Martin Connolly

265
B

Oct 28th 1870

n.2.7.4.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS III.

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J. B. BOUVIER,
EPISCOPO CENOMANENSI.

DUODECIMA EDITIO
PROMOVENTE ET APPROBANTE ILL. AC REV. DD. C. FILLION.
APUD SEMINARIUM CENOMANENSE REVISA ET EMENDATA.

TOMUS TERTIUS.

DE EUCHARISTIA. — DE POENITENTIA. — DE EXTREMA-UNCTIONE.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
B669
Alma, California

PARISIIS,
APUD MEQUIGNON JUNIOREM,
NUNC A. JOUBY, SUCCESSOREM,
Facultatis theologiæ bibliopolam,
VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7.
M DCCC LXV

793

Property of
Clga
Please return to
Graduate Theological
Union Library

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

I. De diversis SS. Eucharistiæ nominibus. — Eucharistia est ineffabile mysterium in quo Salvator noster Dominus divitias divini sui erga homines amoris effundit. Proprio nomine vocatur hoc sacramentum *Eucharistia*, id est, *bona gratia*, quia ad gratias Deo agendas instituta est, et ipsum Christum gratiæ auctorem vere et realiter continet. Variis tamen nominibus appellatur tum in Scriptura Sacra, tum in divina Liturgia, tum apud Patres, pro diversis rebus et circumstantiis quæ in celebratione ac dispensatione hujus augustissimi Sacramenti occurrunt. Etenim a materia ex qua conficitur dicitur *Panis vitæ*, *Panis Dominicus*, *Panis Angelorum*; *Cœna Domini* ex circumstantia in qua fuit instituta; *communio*, quia illius ope fideles Christo, Ecclesiæ, et sibi invicem uniuntur; *sacra Synaxis*, id est, sacer cœtus, quia fideles in suis cœtibus divinam Eucharistiam accipere solebant. Vocabatur olim *Agape*, latine *dilectio*, quia est summum divini amoris erga nos argumentum. Dicitur etiam *Mysterium fidei*, *Mysteria tremenda*, *sacrosanctum Mysterium*,

Sancta Sanctorum, *sacramentum altaris*, et frequentius *sanctissimum sacramentum*, etc.

II. De figuris Eucharistiæ. — Multis in modis prænuntiatum est Eucharistiæ sacramentum in veteri lege. Variæ autem illæ figuræ ad tria genera referuntur a D. Thoma, q. 73, a. 6. — 1° Aliæ enim ad rem externam sacramenti spectant, panem scilicet et vinum; et sub hoc respectu potissima figura est oblatio Melchisedech qui panem et vinum obtulit, et Christi sacerdotis simillimam figuram præ se tulit. — 2° Aliæ vero significant Eucharistiam in quantum carnem Christi continet et ejus sanguinem, et figuræ ejus fuerunt omnia sacrificia Veteris Testamenti, præcipue tamen sacrificium expiationis, quod erat præ omnibus solemne. — 3° Aliæ demum præfigurabant Eucharistiæ effectum, et inter eas commemorare juvat Manna, quod e cœlo præstitum est, et habebat in se omnis saporis suavitatem. Sed inter omnes eminet ut figura agnus paschalis, quia secundum hæc omnia sacramentum optime repræsentat : manducatur enim ut cœlestis cibus, immolatur ad expiationem peccatorum, et per ejus virtutem populus Dei a servitute liberatur, quæ sunt præsertim consideranda in Eucharistiæ sacramento.

Quod autem sic prænuntiatum est per diuturna sæcula Christus tandem implevit quando in ultima cœna sacramentum corporis et sanguinis sui instituit. *Patres vestri, inquit, manducaverunt manna in deserto et mortui sunt..... ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Joan. VI, 49, 51. — Ipse verus Melchisedech, sacerdos in æternum, panem sumpsit et vinum in ultima cœna, eaque in corpus suum et sanguinem mutata dedit discipulis dicens : *Hoc est corpus meum... hic est sanguis meus.* — Sic ipse agnus, innocens et immaculatus, rite adimpleto veteri sacrificio, pascha nostrum immolatus est Christus. Unde B. Leo dicit : « Ut ergo umbræ cederent corpori, antiqua obser» vantia novo excluditur sacramento ; hostia in hostiam » transit, sanguine sanguis aufertur, et regalis festivitas » dum mutatur impletur. » Serm. 7, de Passione.

III. Tractatus dividitur. — Tria potissimum eminent in Eucharistia, unde quasi nobis imponitur divisio tractatus; mysterium nempe, sacramentum et sacrificium. 1° Inest enim Eucharistiæ altissimum mysterium, unde præ cæteris vocatur specialiter *Mysterium fidei*. 2° Est insuper Eucharistia saluberrimum sacramentum, unde jugiter emanat fons aquæ salientis ad vitam æternam. 3° Est denique sacrificium præstantissimum, quod per veteris legis sacrificia adumbratum, a Christo Domino tandem institutum est ad expianda hominum crimina, Deumque perfecte placandum et colendum.

Itaque tres erunt hujus tractatus partes : prima de mysterio præsentiæ realis, secunda de Eucharistiæ sacramento, tertia de sacrificio missæ.

PARS PRIMA.

DE MYSTERIO PRÆSENTIÆ REALIS IN EUCHARISTIA.

Primum consideranda est sacra Eucharistia prout est altissimum mysterium. Grande quidem est mysterium quod Verbum Dei caro sit factum et habitaverit in nobis, sed multo magis mirabilius est quod sub communi cibo fiat præsens Christus totus, Deus et homo ; quod per verba consecrationis panis convertatur in corpus ejus et vinum in sanguinem ; quod sub speciebus panis et vini quasi breviatus et coarctatus ubique permaneat, idem in multis hostiis, totus et idem sub singulis hostiæ partibus ; quod per totum orbem terrarum quotidie tot millibus impertitus et a populo manducatus, non tamen consumatur, sed integer remaneat et vivus. Hæc stupenda mysteria nobis per ordinem exponenda sunt et demonstranda.

Ideo dicemus in quadruplici capite : 1° De veritate præsentiæ realis Christi in Eucharistia; 2° de modo quo Christus fit præsens in Eucharistia, seu de transubstantiatione; 3° de modo quo Christus subsistit in Eucharistia, et præsens permanet; 4° de cultu Christo in Eucharistia præsenti exhibendo.

CAPUT PRIMUM.

DE PRÆSENTIA REALI IN EUCHARISTIA.

I. Annumerantur errores circa præsentiam realem. Phantasiastæ, Valentiniani aliique primorum sæculorum hæretici qui negabant Christum habere verum corpus humanum, vel animam, ut initio Tractatus *de Incarnatione* retulimus, eo ipso indirecte præsentiam realem negabant.

Alii directe eam negaverunt, videlicet, 1° Joannes Scott vel Scot, cognomento *Erigena*, a patria quæ erat Hibernia olim vocata *Erim* vel *Erin*. Venit in Galliam in nono sæculo, et a Carolo Calvo bene fuit acceptus, quia pro tempore videbatur doctus. Composuit librum de Eucharistia, nunc non exstantem, in quo totus erat ut persuaderet *hoc quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse*, sed omnia hic *specie geri, non veritate :* sunt verba Ascelini monachi in Epistola ad Berengarium; *Labbe*, t. IX. Fertur hunc auctorem obiisse circa annum 884, quidam dicunt in Gallia, et alii in Anglia. Liber ejus damnatus fuit in conciliis Vercellensi, anno 1051, et Parisiensi, eodem tempore. Scott nullos discipulos reliquisse videtur.

2° Sub initio undecimi sæculi Berengarius, Turonensis, e parentibus divitiis ac nobilitate conspicuis oriundus, celebris Fulberti Carnutensis fuit discipulus et magnos obtinuit progressus. Anno 1030 in patriam reversus,

Scholasticus S. Martini Turonensis creatus, multos habuit discipulos, et, licet dignitate archidiaconi in ecclesia Andegavensi donatus, nihilominus apud S. Martinum docere perrexit. Postea, ægre ferens non paucos e discipulis suis ad Lanfrancum, famosam tunc tenentem scholam in monasterio Beccensi prope Rothomagum, migrare, singulares cœpit defendere opiniones quibus audientium attentionem ad se converteret; et scriptis Erigenæ Scoti utens, mysterium præsentiæ realis in Eucharistia negavit. Damnatus fuit et excommunicatus, anno 1050, a Leone IX, in concilio Romano, et eodem tempore in conciliis Vercellensi et Parisiensi. Anno 1055, errores suos ejuravit in concilio Turonensi; sed relapsus, rursum damnatus fuit a Nicolao II in concilio Romæ habito anno 1059 : damnationi suæ subscripsit, scripta sua combussit, et tamen in Gallia reversus, clamavit se non fuisse liberum et de novo eosdem sparsit errores. Tandem in alio concilio, anno 1079 Romæ, jubente S. Gregorio VII, celebrato, bona fide hæresim deseruit, in Galliam rediit, et octo ultimos vitæ suæ annos in parva insula S. Cosmi, prope Turones, pœnitentiam agens duxit.

3° Petrus *de Bruis*, cujus sectatores dicti sunt Petrobrusiani, versus annum 1126 cœpit docere, in provincia Arelatensi, Christum dedisse quidem corpus suum et sanguinem in ultima cœna, sed nihil tale in Ecclesia fieri. Hæc refert Petrus Cluniacensis, Bibliot. Patrum, t. XXII.

Quidam Henricus, præcipuus Petri *de Bruis*, sectator, eamdem hæresim docuit Tolosis, anno 1146, cui S. Bernardus sermonibus, scriptis et miraculis fortiter obstitit; discipuli ejus vocati sunt Henriciani.

4° Quidam Valdenses et Wiclefistas inter adversarios præsentiæ realis computaverunt; sed illustrissimus *Bossuet* probat eos errare tantum circa ministrum, asserentes malum sacerdotem consecrare non posse, et circa mysterium transsubstantiationis.

5° In decimo sexto sæculo *Carlostad*, discipulus Lutheri, deinde ipsius adversarius, *Zuingle*, *OEcolampade*,

aliique Sacramentarii et Calvinistæ præsentiam realem aperte negaverunt, contendentes verba Christi : *Hoc est corpus meum*, sensu metaphorico intelligenda esse, pro figura corporis. Cum objiceretur hæc verba esse absoluta et nihil indicare in contextu ea ad metaphoram esse convertenda, *Zuingle* refert sibi responsum ad hanc objectionem quærenti, quadam nocte, *nescit quem*, astitisse, *ater, an albus fuerit, nihil meminit, qui moneret* verbum *est*, in propositione Christi, eodem sensu accipiendum esse ac in textu Exodi, XII, **11** : *Est enim phase* (*id est transitus*) *Domini*.

6° Calvinus autem vim Scripturæ et traditionis triplici effugio præsertim conatus est eludere : — a) dicendo cum *Zuingle* verbum *est* idem sonare ac *significat* aut *figurat;* — b) corpus Christi, licet tantum distet ab Eucharistia quantum cœlum a terra, manducari per fidem, quia fidelis credendo illud attrahit et reddit præsens ; — c) corpus Christi aliquam virtutem e cœlo diffundere in animam communicantis.

II. Asseritur et comprobatur dogma catholicum. — Contra omnium ætatum hæreticos stabiliendum est dogma catholicum.

PROPOSITIO.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum continet vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum.

Hæc nostra propositio est de fide; continet enim expressam definitionem concilii Tridentini, quæ de verbo ad verbum sic habetur, sess. 13, can. 1 : « Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri » vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, » una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, » ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo » esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema » sit. » Patet sanctam synodum triplex Calvini effugium

hac definitione præcludere voluisse : continetur enim vere et non per figuram aut symbolum, realiter et non per fidem, substantialiter et non per virtutem. Nostra igitur propositio est de fide catholica.

Insuper probatur scriptura sacra et traditione. Scriptura sacra tria præsertim suppeditat argumenta quæ respiciunt, unum promissionem Eucharistiæ; alterum ejus institutionem, tertium ejusdem usum. Traditio præbet vice sua unum argumentum ex testimoniis SS. Patrum confectum, alterum ex præscriptione. Hinc quinque argumenta quæ ad nostrum dogma probandum fusius protrahere expedit.

ARGUMENTUM PRIMUM, — *ex verbis Christi promissionem Eucharistiæ respicientibus repetitum.*

Hæc promissio reperitur in ultima parte capitis VI evangelii secundum Joannem, a ℣. 25; omnes quippe fatentur in initio capitis, usque ad ℣. 25, sermonem esse de ingenti miraculo multiplicationis panum, quibus quinque millia hominum saturati sunt; qua occasione Christus hortatur Judæos ut præstantiorem appetant cibum qui non perit, *sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius dabit vobis.* Postea, in secunda parte, commendat fidem ut conditionem ad obtinendum hunc cibum; tunc seipsum designat ut panem vitæ, ut panem cœlestem, ad quem suscipiendum fides requiritur. Cum is solus qui Deus est, possit talem cibum, videlicet cibum Eucharisticum promittere et præbere, fides in ejus divinitatem necessaria est. Ideo eam firmiter inculcare nititur et simul qualitates mirabilis cibi sic promissi exponit. Deinde, ℣. 52 et seq., addit :

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vi-

tam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego ressuscitabo eum in novissimo die. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus... Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.

Ut ex illo textu solidum deducatur argumentum in gratiam propositionis nostræ, duo sufficiunt, scilicet 1° quod in illo de Eucharistia agatur, et 2° quod in Eucharistia caro et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter tradantur : atqui hæc duo certa sunt.

1° In illo textu agitur de Eucharistia. — a) Series contextus ad hunc sensum naturaliter deducit : Christus siquidem ex pane corporeo, vitam perituram sustentante, animas Judæorum ad vitam æternam erigit; de cibo eam vitam præstante loquitur, et fidem ad hunc cibum percipiendum valde commendat : deinde ineffabilem promittit corporis sui manducationem. — b) Fatentibus adversariis, tres alii Evangelistæ institutionem Eucharistiæ referunt : incredibile esset S. Joannem de tanto mysterio nihil dixisse : attamen nihil de illo dixisset si præcedentia verba de sacramento Eucharistiæ non intelligerentur. — c) Christus præcipua vitæ suæ facta aut mysteria prænuntiare solebat, ut discipulos ad ea credenda præpararet : sic prænuntiavit sua opprobria, mortem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti effusionem, Baptismi institutionem, infallibilem Ecclesiæ auctoritatem : præsumendum est ergo illum augustissimi Eucharistiæ sacramenti institutionem annuntiasse, et S. Joannem, ultimo scribentem, de hujusce mysterii institutione apud tres alios Evangelistas relata siluisse, ejus vero promissionem retulisse. — d) Inter sermonem Evangelistarum Eucha-

ristiæ institutionem describentium et sermonem apud S. Joannem relatum magna est similitudo; utrinque eadem est cibi et potus, corporis et sanguinis distinctio, eadem dicendi forma. — e) Verba quibus utitur Christus aliquid futurum et magni momenti indicant : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita :* at si fidem in seipsum tantum exprimere voluisset, aliquid futurum non indicasset, nec verbis realitatem sic exprimentibus usus fuisset. — f) SS. Patres Græci et Latini, Ecclesiæ doctores, Scripturæ interpretes et theologi prædicta verba intellexerunt de Eucharistia. « Nemini enim fere auctori, » bono malove, ante Lutherum, venit in mentem ut di- » ceret in hoc loco de Eucharistia non agere, » inquit *Maldonat ;* deinde plus quam triginta citat Patres vel antiquos doctores. — g) Item, concilia Ephesinum, *Labbe*, t. III, Nicænum II, ibid. t. VII, Trid., sess. 13, cap. 2, et multa concilia particularia quædam verba ex dicto S. Joannis capite deprompta Eucharistiæ applicant. — h) Plures auctores protestantes, sola textus evidentia ducti, confessi sunt prædicta S. Joannis verba intelligenda esse de Eucharistia, sic *Sherlock*, *Jérémie*, *Taylor*, *Tittman*, *Tholuck*, Ergo 1°.

2° Hæc verba, de Eucharistia intellecta, veram, realem et substantialem carnis et sanguinis Christi manducationem exprimunt. — a) Patres et concilia citata ea accipiunt, eaque alio sensu accipi posse nunquam æstimaverunt. — b) Verba Christi sensu obvio accepta manducationem realem significant; quod adeo verum est, ut Judæi et ipsi discipuli ea sic acceperint, scandalizati fuerint et multi abierint. — c) Si Christus manducationem realem exprimere noluisset, videns Judæos et discipulos propter duritiam sermonis scandalizatos, errorem eorum corrigere debuisset, dicendo sua verba sensu metaphorico, de manducatione per fidem, intelligenda esse : sic in aliis circumstantiis agere consuevit, quando vidit sua verba metaphorica in sensu litterali accipi; hic, e contra, nedum auditores ab errore reducat, eos in persuasione accepta magis ac magis confirmat, dicens : *Hoc vos scanda-*

lizat? id est, ut interpretatur *Maldonat*, hoc credere non potestis dum me videtis, quomodo ergo credetis cum rediero ad Patrem et amplius me non videbitis? et ad Apostolos : *Numquid et vos vultis abire?* — d) Advertunt auctores, et præsertim DD. *Wiseman* (*Conférences sur le Protestantisme*), verba manducare *carnes*, figurative accepta, semper usurpata fuisse apud Hebræos in sensu odioso : ea igitur Christus non adhibuisset, nisi sensum realem exprimere voluisset. — e) S. Joannes Evangelium suum scripsit ad probandum, contra *Phantasiastas*, Christum verum habuisse corpus : scopum intentum optime attingit loquendo de manducatione reali, minime vero si de manducatione in figura locutus fuisset. Ergo 2°; aliunde, etc. Ergo, etc.

Notandum tamen, præter Calvinistas, nonnullos catholicos, ut Gabrielem, Cajetanum, *Tapper*, Jansenium Gandensem, tertiam capitis VI S. Joannis partem interpretatos esse de fide, ut facilius refellerent Hussitas et Lutheranos, communionem sub utraque specie jure divino necessariam esse probare nitentes, ex his Christi verbis : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Licet hi erraverint, concilium tamen Tridentinum decretum contra communionem sub utraque specie ita composuit, ut eos non attingeret. Vide Palav., l. XVII, cap. 11.

ARGUMENTUM SECUNDUM, — *ex verbis institutionis Eucharistiæ petitum.*

Institutionem divini illius sacramenti sic refert S. Matthæus, XXVI, 26, 27, 28 : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Illa institutio iisdem ferme verbis refertur a S. Marco XIV, 22; a S. Luca, XXII, 19, et a S. Paulo, I Cor. XI, 24. Verba consecrationis panis sunt apud omnes : *Hoc est*

corpus meum. S. Lucas addit : *Quod pro vobis datur ;* et Apostolus : *Quod pro vobis tradetur ;* in textu græco *frangitur.* Verba consecrationis calicis sunt apud Matth. et Marc. : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis,* etc. ; apud Lucam : *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur ;* et apud B. Paulum : *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite,* etc.

Unde sic : Præcedentia verba sensu naturali accepta præsentiam realem exprimunt, ut ipsi Sacramentarii fatentur : atqui sensu naturali accipienda sunt. Nam 1° verba Scripturæ semper intelligenda sunt sensu obvio et naturali, nisi aliquid ostendat ea sensu metaphorico esse accipienda, alioquin nihil esset certum : porro in contextu prædictorum verborum nihil ostendit ea sensu metaphorico accipienda esse. 2° Quando adhibentur figuræ, necesse est ut signum rem exprimendam significet vel ex natura sua, ut statua ad effigiem alicujus sculpta ; vel ex usu recepto, v. g., sicut agnus significat Christum ; vel ex loquendi modo aut ex contextu, exempli gratia : *Est enim phase, id est, transitus Domini,* Exod. XII, 11 ; vel ex prænonitione loquentis, quia unusquisque sensum metaphoricum voci qua pro arbitrio utitur annectere potest, modo audientes de hac significatione admoneat, secus insipienter loqueretur. Atqui panis et vinum neque ex natura sua, neque ex usu recepto, neque ex loquendi modo aut contextu, sunt figura corporis et sanguinis Christi, et Christus his utendo vocibus discipulos non monuit eas sensu metaphorico accipendas esse : ergo dicendum esset Christum, cujus verba tantam simplicitatem et claritatem semper redolent, hic modo ambiguo et inintelligibili locutum fuisse. 3° Metaphoræ ideo adhibentur ut qualitates alicujus rei clarius aut fortius exprimantur ; v. g., dicitur de viro forti quod sit leo, id est, habeat talem fortitudinem qualem habent leones : in metaphoris igitur necesse est ut terminus figurativus sit generalis, hinc Christus recte dixit generaliter : *Ego sum panis vitæ,* id est, habeo relative ad vitam æternam

eas qualitates quas panis materialis habet relative ad vitam corporalem; sed dicere non potuisset, aliquem ostendendo panem : *Ego sum hic panis,* quia tunc non designasset qualitatem, sed ipsam panis substantiam. Pariter dixit : *Ego sum vitis vera ; Pater meus agricola est... vos palmites,* Joan. xv, 1 et 5 ; non autem : *Hæc vitis, hic agricola, hi palmites.* Attamen dixit, ostendendo panem et vinum : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ergo non adhibuit metaphoram. 4° Christus, dicta proferens verba, sacramentum instituebat, juxta ipsos novatores, dogma fidei proponebat, legem condebat, testamentum conficiebat et ultimum vale discipulis suis dicebat : hujusmodi circumstantiæ exigebant ut aperte et simpliciter loqueretur. Equidem sic admirabiliter locutus est, si præsentiam realem expresserit ; contra vero obscure et absurde, si quamdam præsentiam figurativam significare voluerit. 5° Apostoli verba Christi de præsentia reali intellexerunt, ut patet relatione B. Pauli, I Cor. xi, 23, et seq., qui certe sensum figurativum indicare debuisset, si eum admittendum esse credidisset. 6° Tota omnium ecclesiarum traditio, saltem usque ad Sacramentarios, præfata Christi verba in sensu naturali accepit, *ut infra ostendemus.*

7° Ipse Lutherus in Epist. ad Argentinenses, t. vii operum ejus, aiebat : « Vellem quod posset aliquis mihi persuadere nihil esse in Eucharistia præter panem et vinum : magno ille me beneficio devinciret. Jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, et videbam me hoc modo posse Papatui incommodo esse. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est apertus. » Ergo.

Protestantes pauca hæc verba : *Hoc est corpus meum,* sensu figurativo explicare, aut in sensum a sensu catholico alienum detorquere volentes, in innumeras abierunt sententias diversas. Auctor quidam Lutheranus 80 numerat. Bellarminus, de Euch., l. i, c. 8, refert anno 1577 prodiisse libellum in quo 200 jam numerabantur. Ex illo tempore quot aliæ prodierunt !

Inter recentiores quidam dicunt panem significare corpus Christi, quia cadaver est siccum; et vinum sanguinem, quia utrumque est rubri coloris; alii volunt corpus Christi vocatum esse panem pro nobis traditum, quia Christus in corpore suo pro nobis satisfecit sicque animas nostras sustentavit; alii, vocem *corpus* intelligendam esse de Agno paschali de quo edidit Christus in signum novi fœderis; alii, Christum illis verbis significasse quamdam susceptionem universæ doctrinæ morte sua confirmatæ; alii negant quidquam symbolis eucharisticis significari, etc, *Hampden, Kuinoël, Wenstein, Rosenmüller,* etc. Vide P. *Perrone,* de Euch., part. I, cap. 1.

Nihil proficiunt Sacramentarii varios allegando Scripturæ textus, in quibus verbum *esse* ponitur pro *significare* v. g.!, *Septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt,* Gen. XLI, 26 : *Petra autem erat Christus,* I Cor. X, 4.; nam sensus metaphoricus ex contextu evidenter determinatur. Idem dicendum de textu jam citato : *Est enim phase Domini*; de quo insuper animadvertit *Rosenmüller* ipse in hebræo legendum : *Est enim phase Domino,* quod omnem difficultatem aufert : intelligendum enim esset eo sensu, quasi *Hoc est pascha seu festum paschatis sacrum Domino.*

ARGUMENTUM TERTIUM, — *ex usu Eucharistiæ desumptum.*

Modum divina Eucharistia utendi sic describit Apostolus, I Cor. XI, 27-29, postquam institutionem hujus sacramenti retulit : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Supposita reali præsentia, ad sensum catholicorum, hæc verba sunt clara, gravia, sensu plena, ad ædificationem animæ conducentia : si vero corpus et sanguis Christi non accipiuntur in Eucharistia nisi in figura et per fidem, rationabilem non habent sensum.

Quid enim significant verba manducare corpus vel bibere sanguinem indigne, reum esse corporis et sanguinis Domini, corpus Domini non discernere, id est, illud sicut cibos communes sumere, si tantummodo ibi adsit figura? Aliunde, cum, juxta Calvinistas, sola fides peccata remittat, vel sumens Eucharistiam habet fidem, vel non : si habet fidem, justitiam obtinet et indigne non manducat; si non habet fidem, corpus Christi nullo modo accipit, sed ad summum figuram ejus non sufficienter honorat : ergo proprie dici non potest eum corpus Christi indigne manducare, illius reum esse, etc. Ergo.

Firmum aliud deduci posset argumentum ex sequentibus ejusdem B. Pauli verbis I Cor. x, 16, 17 : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Optimum habent sensum hæc verba de præsentia reali intellecta et ad fovendam pietatis affectionem valde idonea sunt; in sensum vero figurativum detorsa, sunt obscura et absurda. Ergo.

ARGUMENTUM QUARTUM, — *ex SS. Patrum doctrina petitum.*

Quamvis Protestantes soli Scripturæ standum esse profiteantur, et traditionem sibi adversam contemnere soleant, conati sunt tamen Patres primorum sæculorum ad se trahere, ut probarent catholicos, præsentiam realem admittentes, a doctrina veterum recessisse. « Constat ve» tustos omnes scriptores qui totis quinque sæculis post » Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari, » inquit Calvinus in ultima admonitione ad Westphalum. Hæc audax assertio impudens est mendacium. Si cuncta Patrum testimonia quæ præsentiam realem adstruunt referre vellemus, multo longiores essemus. Cum dogma præsentiæ realis ex natura sua sit populare, supponi non potest aliquem ex SS. Patribus ignorasse quid Ecclesia suo tempore doceret, aut contra fidem ejus, nullis recla-

mantibus, scripsisse. Sufficit ergo unum aut alterum ex singulis sæculis in testimonium proferre.

Primo sæculo S. Ignatius martyr, S. Petri discipulus, ab eo, post Evodium, Antiochensis ordinatus episcopus, et anno 116 circiter mortuus, Epist. ad Smyrnæos, n. 8, de quibusdam errantibus dicit : « Ab Eucharistia et ora-» tione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam » carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, qui pro pec-» catis nostris passus est, quem Pater sua benignitate » suscitavit. » *Cotel.*, t. II, pag 37.

Secundo sæculo, S. Justinus, in Apologia I ad imperatorem Antonium directa, anno 150, n. 66 : « Neque enim » ut communem panem, neque ut communem potum, » ista sumimus ; sed quemadmodum per verbum Dei caro » factus Jesus Christus Salvator noster, et carnem et san-» guinem habuit nostræ salutis causa : sic etiam illam, » in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ » actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ » per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem » et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in com-» mentariis suis quæ vocantur Evangelia, ita sibi man-» dasse Jesum tradiderunt, eum scilicet accepto pane, cum » gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in meam commemo-» rationem : Hoc est corpus meum ;* et poculo similiter ac-» cepto, actisque gratiis, dixisse : *Hic est sanguis meus*, » ipsisque solis tradidisse. » Panis et vinum eo modo, per verba a Christo determinata fiunt corpus et sanguis Christi, quo per verbum Dei caro factus est Salvator noster : atqui Salvator noster non factus est caro metaphoricæ : ergo.

Tertull., libro de Resurrectione carnis, cap. 8, sic se habet : « Caro abluitur, ut anima emaculetur ; caro un-» gitur, ut anima consecretur ; caro signatur, ut et anima » muniatur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, » ut anima de Deo saginetur. » Si Christus figurate tantum esset in Eucharistia, certe dici non posset carnem corpore et sanguine Christi vesci. Præterea caro realiter abluitur, ungitur, signatur, etc. Ergo, in mente Tertulliani, et realiter corpus et sanguinem Christi suscipit.

Tertio sæculo, S. Cypr., Epist. x, aliquos reprehendens presbyteros qui, ad preces martyrum et confessorum, veniam facilius lapsis concedebant, ait : « Illi contra Evan» gelii legem, contra vestram quoque honorificam peti» tionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim... » offerre pro illis et Eucharistiam dare, id est, sanctum » Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit : » *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne*, » *reus erit corporis et sanguinis Domini.* »

Quarto sæculo habentur testimonia concilii Nicæni I, prohibentis, can. 64, diaconis ne corpus Christi presbyteris porrigant. S. Greg. Nyssenus, Catechetica oratione, cap. 37, ait, post comparationem inter corpus Verbi incarnati, et corpus Christi in Eucharistia : « Et hic simi» liter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per ver» bum Dei et orationem, non eo quidem quod cibo me» diante in Verbi corpus evadat, sed quod statim per ver» bum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo : » *Hoc est corpus meum.* »

S. Cyrillus Hierosol., anno 386 defunctus, Catechesi 4 mystagogica : « Cum igitur ipse Christus pronuntiaverit » et dixerit de pane : *Hoc est corpus meum*, quis audebit » deinceps ambigere ? et cum ipse asseveraverit et dixerit : » *Hic est sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, dicens » non esse ejus sanguinem ? Aquam olim in vinum, » quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmuta» vit, et eum parum dignum existimabimus cui crede» mus, cum vinum in sanguinem transmutavit ? Ad » nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum » effecit ; et non eum multo magis filiis thalami nuptia» lis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confi» tebimur ? Quare cum omni persuasione tanquam corpus » et sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis » datur tibi corpus, et sub specie vini datur tibi sanguis ; » ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concor» poreus et consanguis ipsi efficiaris : sic etenim Christi» feri efficimur, distributo in membra nostra corpore » ejus et sanguine. » Adeo clarus est ille textus, ut nulla

explicatione indigeat : idcirco illum in aliqua extensione referendum censuimus. Melius adhuc tota Catechesis legeretur.

Quinto sæculo, S. Ambros. lib. de Mysteriis, cap. 9, n. 54 : « Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est corpus meum.* » Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species » nominatur, post consecrationem corpus significatur. » Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem, aliud » dicitur; post consecrationem, sanguis nuncupatur. Et » tu dicis : Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, » mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat. »

S. Chrysost., Homilia 83 in Matth., n. 4 : « Quoniam » ille dixit (Christus) : *Hoc est corpus meum*, obtemperemus, credamus... Quot sunt qui modo dicunt : Vellem » ejus formam, typum, vestimenta, calceamenta videre? » Ecce ipsum vides (in Eucharistia), ipsum tangis, ipsum » comedis. « Et paulo post : » Cogita quantum adeptus » sis honorem, qua frueris mensa. Quod angeli tremunt » videntes... eo nos alimur, huic commiscemur factique » sumus Christi unum corpus et una caro. »

S. Aug., Sermone 132 de Verbis Evang. Joan., dicit : « Qui jam manducant carnem Domini et bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent et bibant, ne, sicut » dicit Apostolus, *judicium sibi manducent et bibant.* »

Sexto sæculo, S. Cæsarius Arelatensis, anno 542 vita functus, Homilia 7 de Paschate 5, ait loquens de sacramento corporis et sanguinis Christi : « Quando bene» dicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus im» ponuntur, antequam invocatione sancti nominis conse» crentur, substantia illic est panis et vini : post verba » Christi, corpus est sanguis Christi. Quid autem mirum » autem est si ea quæ verbo potuit creare, possit verbo » creata convertere? »

Sexto et septimo sæculo, S. Gregorius Magnus, anno 604 mortuus, Homilia 14 in Evangelia : « Bonus pastor » pro ovibus suis animam posuit, ut in sacramento » nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves, quas

» redemerat, carnis suæ alimento satiaret. » In hypothesi adversariorum, non carnis alimento, sed carnis simulacro Christus fideles satiaret.

Præterea, idem S. Greg., Dialog. l. III, cap. 3, refert claudum et mutum oblatum fuisse S. Agapito, pontifici Romano, qui « orationi incubuit, et missarum solemnia » exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis » immolavit; quo peracto, ab altari exiens, claudi manum » tenuit, atque assistente et aspiciente populo, mox a terra » in propriis gressibus erexit, cumque ei Dominicum » corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lin- » gua soluta est. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt. »

Insigne aliud miraculum in Vita S. Greg., a duobus diversis auctoribus scripta, refertur : Quædam mulier a dicto S. Greg. interrogata cur jam communicatura risisset, respondit, quia de pane a se confecto eum audiisset dicentem : « Corpus Domini nostri Jesu Christi custo- » diat animam tuam. Tunc S. Greg. hæc audiens, pro » incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem » prostravit, et post paululum surgens, particulam panis » quam super altare posuerat, carnem factam reperit. » *Inter opera S. Greg.*, t. IV.

Hæc facta saltem evidenter probant dogma præsentiæ realis et transsubstantiationis tunc universum creditum fuisse.

Octavo sæculo, S. Joannes Damascenus, anno 760 circiter defunctus, de Fide orthodoxa, l. IV, cap. 13 : « Nec » vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figura » sunt (absit), sed ipsum Domini corpus deitate dona- » tum; cum ipse Dominus dixerit, *hoc est*, non figura » corporis, sed *corpus meum*; neque figura sanguinis, » sed *sanguis meus*. Et antea Judæis dixerat : *Nisi man-* » *ducaveritis*, etc. » Et paulo post : « Quod si nonnulli pa- » nem vinumque corporis et sanguinis Domini antity- » pos, seu imagines figurasve vocaverunt, velut divinus » Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed » antequam oblatio ipsa consecraretur, vocem hanc usur- » parunt. »

Nono sæculo, Nicephorus, patriarcha Constantinopol., apud Allatium, de Perpetua consensione utriusque ecclesiæ, l. III, cap. 15 : « Nos catholici neque imaginem, » neque figuram, hæc *corpus et sanguinem* dicimus, licet » symbolicæ conficiantur, sed ipsum Christi corpus deifi- » catum. »

Anno 831, juxta P. *Mabillon*, Annal. Bened., t. IV, prodiit liber Paschasii Radberti, monachi et deinde abbatis Corbeiensis, de corpore et sanguine Domini, in quo præsentia realis tam aperte docetur, ut quidam scriptores calvinistæ affirmare non erubuerint Paschasium certe primum fuisse novatorem, qui doceret Eucharistiam simul esse figuram corporis Christi et ejusdem corporis veritatem. Ipsius tamen doctrina circa hoc punctum consentanea est testimoniis jam relatis, et nisi consensisset fidei Ecclesiæ, adversus illam undique reclamatum fuisset. Liber ejus reperitur in Bibliotheca Patrum, t. XIV.

Versus finem ejusdem sæculi, apparuit liber Scoti Erigenæ, qui præsentiam realem impugnans, supponebat tamen eam ab omnibus tunc admitti : statim Nicolaus adCarolum Calvum scripsit, postulans ut talem novatorem expelleret. *Labbe*, t. VIII.

Postea ipsi Sacramentarii non negant fidem totius Ecclesiæ Romanæ tunc fuisse Christum realiter esse præsentem in Eucharistia, et ideo eam in absurditatem idololatriæ lapsam esse fidenter pronuntiant.

Omnes insuper norunt in primis Ecclesiæ sæculis paganos, mysterium sacræ Eucharistiæ confuse intelligentes, Christianis exprobasse quod in cœtibus suis nocturnis infantem lmmolarent, carnem ejus ederent ac sanguinem potarent, sicque eos valde odiosos populo reddidisse. Constat Christianos, ex pastorum præscriptione, verum prædicti sacri mysterii sensum revelare noluisse ob incredulorum blasphemias. Porro utrumque factum in Historia ecclesiastica certissime consignatum nonne evidenter probat tunc creditum fuisse Christum aliter quam sensu figurativo in Eucharistia præsentem esse?

ARGUMENTUM QUINTUM, — *ex præscriptione petitum.*

Qui positiva traditionis monumenta colligere, lustrare et ab ojectis adversariorum vindicare non posset, præscriptionis argumento de præsentia reali Christi in Eucharistia sic facile convinceretur.

Nunc, solis Sacramentariis exceptis, omnes ecclesiæ et sectæ christianæ, in orbe universo dispersæ, catholicæ, hæreticæ, schismaticæ, Latinæ, Grecæ, Moscovitæ, Armenicæ aliæque orientales dogma præsentiæ realis admittunt : illud admittebant in decimo sexto sæculo, quando Lutherus et Calvinus prædicare cœperunt : id fatentur Sacramentarii. Imo conveniunt hanc persuasionem in nono vel decimo sæculo invasisse et tempore Berengarii fuisse universalem, ut patet ex tot sententiis quibus ille fuit percussus, donec errorem suum abjuraret et resipisceret.

Porro hoc facto admisse sic inconcusse præscriptionis argumentum confici potest : fides hujus dogmatis vel ab apostolis descendit, et est vera ; vel decursu temporis incœpit et tunc esset rejicienda. Atqui ab Apostolis descendit ; ab Apostolis enim descendit si ipsius introductio fuerit prorsus impossibilis : atqui introductio præsentiæ realis fuit omnino impossibilis. Nam 1° hic recurrunt omnes rationes quibus ostendimus suppositionem alicujus sacramenti fuisse impossibilem. 2° In ea hypothesi, omnes fideles per octo vel novem sæcula persuasum habuissent Eucharistiam esse duntaxat figuram corporis Christi, et postea omnes præsentiam realem credidissent : at evidenter repugnat omnes fideles ab una persuasione ad fidem oppositam in materia tanti momenti sic transiisse, ut nullum talis innovationis reperiatur vestigium. 3° Supponendum est innumeros episcopos, presbyteros et monachos, qui hactenus credebant et docebant Christum non esse in Eucharistia nisi modo figurato, doctrinam oppositam amplexos esse sine disceptatione, eamque velut a Christo descendentem unanimi ore tradidisse : quis autem, serio reflectens, talem suppositionem admittere

potest? 4° Volunt adversarii suppositionem quam fingunt in nono vel decimo sæculo contigisse, eamque Paschasio, obscuro monacho, tribuunt : sed eo tempore, Græci a Latinis jam incipiebant separari : Cophtæ, Jacobitæ, aliæque sectæ orientales a plurimis sæculis erant separatæ : quomodo fieri potuit ut omnes dogma rationi impervium, antiquæ fidei contrarium et gravissimi momenti, adeo facile et universaliter admiserint ut ne unus quidem, aut episcopus, aut doctor, imposturam detexerit vel suspicatus fuerit? Eadem recurrit ratio pro aliis retro sæculis : si una ecclesia talem produxisset innovationem, aliæ reclamassent : semper enim extiterunt sectæ hæreticæ aut schismaticæ quæ hujus naturæ mutationem Ecclesiæ Romanæ exprobrassent.

Dicendum est ergo cum Tertull., lib. de Præscriptione, cap. 28 : « Ecquid verisimile est ut tot et tantæ in unam » fidem erraverint *ecclesiæ*? Nullus inter multos eventus » unus est exitus; variasse debuerat error doctrinæ ec- » clesiarum. Cæterum, quod apud multos unum inveni- » tur, non est erratum, sed traditum : audeat ergo ali- » quis dicere illos errasse qui tradiderunt. » Vide hoc argumentum fusius expositum in exquisito opere dicto : *Perpétuité de la foi*, præsertim, l. IX, cap. 11. Vide etiam aliud opus gallice scriptum : *Discussion amicale, lettre* VIII *et suiv.*

COROLLARIUM.

Si unum ex præcedentibus argumentis seorsim sumptum sit invictum, quantam animi convictionem omnia simul spectata producere debent! Quam inania sunt systemata et vana objecta quibus novatores veritatem tam firmiter stabilitam lacessere conantur! Præcipuæ tamen rationes quibus eis responderi potest exponendæ sunt.

Solvuntur objectiones contra argumenta ex Scriptura sacra petita.

Obj. 1° *contra argumentum ex promissione Eucharistiæ petitum.* In ultima parte capitis VI Evangelii secundum

Joannem agitur de cibo qui dat vitam æternam, et sine quo vita æterna obtineri non potest : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* At omnes qui panem eucharisticum manducant, vitam æternam non habent, et multi qui illum non manducant, vitam æternam consequuntur : ergo ibi, sicut in parte præcedenti, de manducatione spirituali agitur.

R. Dist. maj. Agitur de cibo qui dat vitam æternam, etc., positis conditionibus requisitis, *concedo*; secus, *nego maj.* Etenim in divinis promissionibus, libertatem hominis supponentibus, quædam ordinarie subaudiuntur conditiones omnino necessariæ; sic apud Lucam, XI, 10 : *Omnis qui petit, accipit*; id est, si bene petat; apud Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; supposito quod, Baptismo suscepto, fidem non amittat, aut alterius gravis peccati reus non fiat, aut pœnitentiæ remedio veniam obtineat, etc. Ita qui panem eucharisticum, per se gratiam producentem, cum dispositionibus requisitis manducat, *vivet in æternum*, modo in gratia per illum suscepta usque ad mortem perseveret.

Item verba, *Nisi manducaveritis*, etc., exprimunt mandatum affirmativum : at de natura est mandati affirmativi ut non obliget pro semper, sed tantum in debitis circumstantiis : ergo nihil exigit ut de manducatione spirituali intelligantur. Imo in ea hypothesi eadem esset difficultas, siquidem infantes valide baptizati salvantur, et tamen spiritualis manducationis sunt incapaces. Ergo.

Inst. Christus ait, ℣. 64 ejusdem capitis, Capharnaitis respondens : *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Ergo volebat ut ipsius verba præcedentia, non de manducatione reali, sed de manducatione spirituali, seu per fidem, intelligerentur.

R. Nego conseq. Nam 1° si Christus de manducatione spirituali tantum loqui voluisset, uno verbo scandalum Capharnaitarum sustulisset, dicendo verba quæ illis vi-

debantur dura, sensu metaphorico esse accipienda; quod tamen non fecit, et passus est ut *multi discipulorum ejus abirent retro.* 2° Verba nobis objecta : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, non ipsam carnem Christi indicant, sed sensum quo accipienda essent præcedentia verba quibus audientes fuerant scandalizati, id est, ea secundum fidem et affectum cœlestem intelligenda esse, non vero carnali ingenio, more Judæorum, vel de sanguinolenta manducatione cadaveris a spiritu separati, ut sibi fingebant Capharnaitæ, qui, audientes Christum dicentem : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* dixerunt : *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* « Acceperunt illud stulte, inquit S. Aug. » in Ps. CXVIII, carnaliter illud cogitaverunt et pu- » taverunt quod præcisurus esset Dominus particulas » quasdam de corpore suo et daturus illis, et dixerunt : » *Durus est hic sermo* : ipsi erant duri, non sermo. » Ergo.

Obj. 2° *contra argumentum ex verbis institutionis.* Christus, ostendendo panem, dixit : *Hoc est corpus meum* : atqui panis ipsius corpus esse non poterat, sed figura ejus : ergo.

R. Dist. min. Panis', remanens panis, ipsius corpus esse non poterat, *concedo*; in corpus ejus mutari non poterat, *nego min.* Itaque verba Christi efficiunt propositionem practicam quæ, vi supremæ potestatis, producit quod enuntiat. Si Christus, quando aquam vertit in vinum, ostendendo hydrias aqua plenas, practice dixisset : *Hoc est vinum,* certe non sensu metaphorico locutus fuisset : at eodem sensu protulit verba : *Hoc est corpus meum.* Ergo.

Eodem sensu intelligenda sunt verba quibus affirmatur Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, ac dedisse discipulis, etc.

Notandum est Christum, porrigendo panem consecratum, non dixisse : *Hic panis est corpus meum*, sed : *Hoc est corpus meum.* Pronomen autem *hoc,* græce τουτο, et non ουτος, panem designare non potest, cum ejusdem non sit

generis, sed vel corpus si adjective sumatur, vel rem præsentem et ostensam si substantive accipiatur, ut videtur accipiendum. Similiter, pro altera specie, Christus, ostendendo vinum, non dicit *hoc*, ut ne intelligeretur vinum, sed : *Hic est sanguis meus*. Quia Græce οἶνος, *vinum*, masculini est generis, Evangelista pronomen τουτο adhibet : idcirco cum vinum neutri sit generis, interpres latinus dicere debuit *hic est*. Unde in utroque textu, græco scilicet et latino, pronomen optime eligitur, ut præsentia realis exprimatur et sensus figuratus excludatur.

Inst. 1° Christus, apud Lucam, XXII, 20, dixit : *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine*. Unde sic : vox *calix* sumitur metaphorice pro re in calice contenta ; *ergo a pari*, et vox *panis* metaphorice accipienda est.

R, nego conseq. et paritatem. Nam ex usu recepto et communi, *calix* pro liquore contento usurpatur, sicut apud nos dicitur *emporter une bouteille de vin, boire un verre de vin*, etc. Nusquam vero *panis* ad figurandum corpus Christi ex usu communi destinatus est. Aliunde si vox *calix* aliquid reconditum haberet, sufficienter ab aliis evangelistis explicaretur ; nam apud Matth. et apud Marc. Christus simpliciter et absque figura dicit : hic est sanguis meus qui pro multis effundetur : ergo.

Inst. 2° Christus, apud Matth. XXVI, 29, post consecrationem subjunxit : *Dico autem vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei* : ergo non sanguis Christi, sed vinum adhuc erat in calice post consecrationem.

R. Nego conseq. Sanguis enim Christi vinum appellatur quia ex vino conversus est, et alibi in Scripturis res in aliam conversa primum nomen retinet ; v. g., Exod. VII, 12, de virga Aaron in draconem versa legitur : *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum*, etiam in serpentes versas ; et apud Joan. II, 9 : *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*. Præterea sanguis Christi in sacramento Eucharistiæ speciem seu apparentiam habet vini, et in Scripturis res sæpe designantur per eam

quam habent vel habuerunt apparentiam : sic Deus, quia sub forma ignis apparuerat, *ignis consumens* vocatur, Deut., IV, 24 : Abraham angelos appellat homines, quia formam humanitatis induerant. — Tandem plurimi, textum S. Matthæi cum simili textu S. Lucæ, XXII, 18, consecrationem panis et vini immediate antecedenti, conferentes, arbitrantur ibi non agi de calice consecrato ; sed de altera calicis non consecrati distributione quæ in cœna ante institutionem Eucharistiæ locum habuit. Vide super hunc locum *Maldonat* in Matth., Jansenium, etc.

Calvinistæ multos alios objiciunt textus qui evidenter ipsorum systemati non favent et meras subministrant cavillationes, quibus solvendis non immorabimur.

Solvuntur objectiones contra argumenta ex Patribus et præscriptione petita.

Obj. 1° Rarissima et obscura sunt veterum Patrum testimonia in quibus fit mentio Eucharistiæ : ergo certitudo præsentiæ realis ex illis deduci non potest.

R. 1° *Nego ant.* Quædam enim retulimus testimonia in quibus præsentia realis non obscure docetur. Alia plura legi possunt apud *du Perron, Bellarmin, Wintasse,* in opere dicto, *la Perpétuité de la foi,* etc.

R. 2° *Nego conseq.* Etenim si non multa ex primis temporibus referantur testimonia in gratiam præsentiæ realis, ratio est quia pauca supersunt horum sæculorum scripta, et nulla de illo dogmate movebatur controversia. — Aliunde mos erat in Ecclesia sacramentorum mysteria, præsertim ea quæ Missæ Sacrificium et Eucharistiam respiciebant, infidelibus et ipsis cathecumenis non revelare, sed solis baptizatis, ne sacra hæc objecta in contemptum devenirent. Existentia hujus disciplinæ, traditione Apostolica innixæ, ex pluribus constat monumentis, v. g., ex S. Ambros., lib. de Mysteriis, cap. 9; ex Julio I, Epist. 1, apud *Coustant*; ex Innocentio I, Epist. 25, ibidem ; et ex multis aliis testimoniis, ut videre est in opere dicto, *Discussion amicale,* t. I.

Sæpe igitur Patres de sanctissimo illo mysterio obscure loquebantur, ne illud intempestive manifestarent. Sic Origenes, contra Celsum, lib. VIII, sacram Eucharistiam vocat *corpus quoddam sanctum;* et S. Aug., Epist. 140 ad Honoratum, cap. 19, ait : « Hinc gratias agimus Domino » Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrifi- » cio Novi Testamenti; quod ubi, et quando, et quomodo » offeratur, cum fueris baptizatus, invenies. »

Sed ex facto in Historia ecclesiastica relato, *Fleury*, l. XXXVII, *n.* 17, videtur sacram Eucharistiam in septimo sæculo ab episcopo Londinensi, in Anglia, jam publice distributam fuisse populo, et principes paganos illius participes instar cæterorum fieri voluisse.

Hæc autem sollicitudo tantum mysterium infidelibus occultandi fidem præsentiæ realis probat; si enim pastores Ecclesiæ hanc præsentiam non credidissent, nonne palam dicere debuissent Christianos verum Christi corpus non manducare et sanguinem ejus non bibere? Sic enim præcidissent in radice calumniam qua infideles eos incusabant, occidere scilicet in cœtibus suis infantem, ut corpus ejus manducarent et sanguinem biberent : id nunquam tentaverunt; nec unum verbum contra præsentiam realem dixerunt; sed duntaxat, etiam inter acerrimos cruciatus professi sunt tantum scelus falso sibi imputari, et in ritibus suis nihil reperiri quod sanctitate et pietate plenum non esset. « Quotidie obsidemur, inquit » Tertull., Apol., c. 7, quotidie prodimur : in ipsis plu- » mum cœtibus et congregationibus nostris opprimimur; » quis unquam taliter vagienti infanti supervenit. » Ergo.

Inst. 1° Sæpe sancti Patres vocaverunt Eucharistiam simpliciter panem, panem sacrum, typum, figuram, imaginem, sacramentum corporis Christi : ergo ex eorum testimoniis præsentia realis concludi non potest.

R. Nego conseq. Omnes enim citatæ locutiones aliæque similes cum præsentia reali optime conciliari possunt. Eucharistia, etiam post consecrationem, dici potest panis, quia ex pane conficitur et speciem retinet panis;

figura, imago, signum, repræsentatio corporis Christi, quia sub sacramenti specie latet corpus Christi, quasi sub involucro. Unde duplicis generis distinguendæ sunt figuræ, aliæ nempe vacuæ, ut panis et vinum quæ obtulit Melchisedech, manna in deserto, panes propositionis in antiqua lege quibus figurabatur Eucharistia, et aliæ plenæ, quæ continent rem quam repræsentant : hujus generis sunt species eucharisticæ. Non mirum ergo si Patres eas sæpe vocaverint figuram, typum, signum, etc., præsertim cum prævidere non potuerint Sacramentarios in decursu sæculorum eis abusuros, ut cavillationes adversus præsentiam realem congererent.

Inst. 2° Frequenter dicunt Patres Eucharistiam non continere idem corpus quod natum est ex Maria virgine : illud corpus eucharisticum esse spiritualiter manducandum ; vel e contra ipsi tribuunt effectus qui non conveniunt nisi pani materiali, ut corpus nostrum nutrire, et ipsum corrumpi : ergo Patres non admiserunt præsentiam realem in sensu Catholicorum.

R. Neg. cons. 1° Vere dici potest corpus Christi non esse in eodem statu sub sacramento quo erat vivens in terra, quo nunc sedet ad dexteram Patris ; ideo SS. Patres, affirmata identitate corporis eucharistici cum corpore nato ex Maria, potuerunt quasdam notare differentias : imo quædam hujusmodi differentiæ potuerunt in controversiam adduci, ut nono sæculo factum est.

2° SS. Patres potuerunt affirmare corpus Chri spiistritualiter esse manducandum, sed ita locuti sunt ad negandum sensum Capharnaitarum, vel ad declarandum modum manducationis ut sit rata et fructuosa : equidem evidens est corpus Christi, si absque fide et pietate manducetur, manducanti nocere juxta verba Apostoli.

3° Quo ad effectus quos SS. Patres Eucharistiæ tribuunt, dici potest manducationem corporis Christi nos alere et enutrire, at non in sensu vulgari : divina enim Eucharistia nutrit corpus nostrum non ad vitam temporalem, sed ad vitam æternam cujus est pignus ; est caro Christi in nostris membris tanquam quoddam condimentum aut

sal divinum cujus virtute a corruptione salvamur et ad vitam æternam reservamur. Nutrit insuper panis eucharisticus corpora nostra, sed per species sacramentales, quæ eosdem effectus producunt ac si nulla facta fuisset mutatio.

Inst. 3° Multi proferri possunt SS. Patrum textus qui doctrinæ catholicæ contradicunt; inter multos alios in exemplum sint textus sequentes :

1° Tertull. adversus Marcionem, l. I, cap. 14 : « Ille » quidem (Christus) usque nunc nec aquam reprobavit » Creatoris qua suos abluit; nec oleum quo suos ungit, » nec mellis et lactis societatem qua suos infantat; nec » panem quo corpus suum repræsentat; etiam in sacra- » mentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. » Item, ibid., l. III, cap. 19 : « Sic Deus in Evangelio quoque » vestro revelavit, panem corpus suum appellans, ut et » hinc jam cum intelligas corporis sui figuram pani de- » disse, cujus retro corpus in panem Propheta figuravit, » ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo. »

2° S. Ambros. de Officiis, l. I, cap. 48 : « Imago est in » Evangelio, veritas in cœlestibus..... hic in imagine » (*Offertur Christus*), ibi in veritate, ubi apud Patrem » pro nobis quasi advocatus intervenit. » Et de Sacra- mentis, lib. IV, cap. 4 : « Similitudinem pretiosi sangui- » nis bibis, ut nullus horror cruoris sit, et pretium ta- » men operatur redemptionis. »

3° S. Aug. Serm. 272, ad infantes baptizatos loquens, ait : « Quod videtis, panis et calix; quod vobis etiam » oculi vestri renuntiant : quod autem fides vestra pos- » tulat instruenda, panis est corpus Christi, et calix san- » guis Christi... ergo in pane? Nihil hoc de nostro offera- » mus, ipsum Apostolum identidem audiamus, qui, cum » de isto sacramento loqueretur, ait : *Unus panis, unum* » *corpus, multi sumus;* intelligite et gaudete; unitas, ve- » ritas, pietas, charitas. »

R. 1° Ad textus Tertulliani; in primo textu vox *repræ- sentare* significat rem præsentem efficere, rem exhibere; non raro enim sumitur in hoc sensu apud varios aucto-

res ; sed frequenter apud Tertullianum, et hic est sensus præsentis textus. Vid. *Tournely*, p. 140.

In altero textu intelligendum est Deum figuram corporis sui pani dedisse in antiqua lege, cujus retro corpus in panem propheta figuravit. Propheta hic indicatus est Jeremias, qui, XI, 19, de Christo prophetans, dixit : *Mittamus lignum in panem ejus*, videlicet in corpus.

In hoc utroque textu argumentatur Tertullianus contra Marcionitas, qui Christum opponebant creatori ; in primo ex materia sacramentorum quam a creatore Christus mutuat ; in secundo ex figuris antiquæ legis quam creatori hæretici tribuebant per oppositionem ad Christum.

R. 2° Ad textum S. Ambr., omnia quippe in hac vita, in specie et in ænigmate fieri, ut ait Apostolus ; quod dicendum est non tantum de Eucharistia, sed de cunctis aliis. Lex vetus figuravit legem novam ; nova vero veritatem habet, veritatem tamen velatam et imperfectam ; unde et ipsa est figura eorum quæ ventura sunt, nempe gloriæ et revelationis quæ est apud Patrem. Igitur patribus dedit Deus figuram tantum veritatis ; nobis veritatem dedit cum figura, id est, sub figuris velatam ; in cœlestibus autem jam non videbitur sub figuris, sed facie ad faciem. Non aliud intendit S. Ambrosius.

R. 3° Ad textum S. Aug., ipsius nempe verba a sacramentariis allegata magis nobis prodesse quam obesse. Probat enim S. Doctor Symbola Eucharistica sapienter in pane et vino instituta fuisse, ut nobis manducantibus panis ille divinus condimentum esset unionis et pacis, juxta verba Christi, post cœnam dicentis : *Ego in eis, et tu in me ; ut sint consummati in unum.* Joan., XVII, 23.

Obj. 2° Nonum et decimum sæculum densissimis tenebris erant involuta : ergo non repugnat fidem Ecclesiæ circa naturam Eucharistiæ eo tempore mutatam fuisse.

R. Nego conseq. Nam 1° multa existunt Patrum et Doctorum testimonia antecedentia, quæ præsentiam realem clare exprimunt. 2° Immerito forsan dicitur illa sæcula ignorantiæ tenebris fuisse obsita ; plurimi tamen tunc floruerunt summi Pontifices, episcopi et abbates

sanctitate et scientia conspicui, inter quos S. Odo, S. Maiolus et S. Odilo, abbates Cluniacenses; S. Dunstanus et S. Odo, archiepiscopi Cantuarienses; Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis; Fulbertus, episcopus Carnutensis; Paschasius Radbertus jam citatus; Rabanus, archiepiscopus Moguntinus; Ratramnus, monachus Corbeiensis, etc. Tres posteriores de sacra Eucharistia scripserunt, et præsentiam realem agnoverunt, saltem Paschasius et Rabanus; de Ratramno magis dubitatur; plerique tamen affirmant obscuriora ipsius verba cum fide præsentiæ realis conciliari posse. Vide P. *Mabillon*, Annal. Bened., t. III. 3° Durantibus his sæculis, multa celebrata sunt concilia inter quæ octavum generale; error Prædestinatianorum pluries damnatus est : ergo similiter error circa Eucharistiam proscriptus fuisset. 4° Eo tempore celebres floruerunt scholæ, v. g., Turonibus, Carnuti, Fuldæ, in monasterio Beccensi, etc. Si præfata mutatio locum habuisset, numquid magistri et discipuli eam non advertissent? 5° Plures existebant sectæ in Oriente, ab Ecclesia Romana separatæ, quæ hujus generis innovationem certe non admisissent : attamen omnes præsentiam realem agnoscunt : ergo.

Inst. Usus communicandi sub utraque specie, praxis utendi pane fermentato ad consecrationem, mos jejunium ante vesperas non solvendi, insensibilem et tamen gravem subierunt mutationem, ut ex hodierno usu patet : ergo *a pari* et fides circa Eucharistiam mutari potuit.

R. Nego conseq. et paritatem. Rationes disparitatis sunt : 1° quod in exemplis allatis ageretur tantum de disciplina quæ, juxta omnes, varias subire potest mutationes, non ita fides circa dogma catholicum; 2° vestigia istiusmodi mutationum sunt manifesta; assignatur tempus quo vetus disciplina adhuc vigebat, loca in quibus etiam nunc exstat, nempe apud Græcos qui in pane fermentato consecrant, sub utraque specie communicant, et jejunium ante vesperas non solvunt. Nihil horum existit relative ad dogma præsentiæ realis : ergo nulla est paritas.

Solvuntur objectiones ex ratione petitæ.

Obj. Præsentia realis evidenter repugnat : ergo admitti non potest.

R. Nego ant. 1° Illud evidenter non repugnat quod cunctis hominibus ratione præditis et in materia versatis repugnare non videtur : at innumeri homines doctissimi et in scientia theologica versatissimi non judicarunt præsentiam realem evidenter repugnare, siquidem eam firmiter crediderunt. 2° Ideo affirmatur præsentiam realem repugnare, quia modus ejus existentiæ non percipitur : sed multa sunt in mundo quorum certissima est existentia, licet modus existendi nos prorsus lateat, ut in Tractatu *de vera Religione* ostendimus : ergo *a pari,* etc. 3° Quod Deus certo revelavit, repugnare non potest : atqui præsentiam realem Deus certo revelavit, *ut invicte probavimus*, licet modum divinæ illius præsentiæ non manifestaverit : ergo quælibet rationis repugnantiæ statim repelli debent tanquam meræ argutiæ.

Inst. Deus revelare non potest absurda : atqui dogma præsentiæ realis multa complectitur absurda, v. g., idem corpus esse simul in cœlo et in terra, in omnibus hostiis consecratis et in singulis hostiarum partibus, corpus extensum fieri simplex vel adeo parvum ut sensibus sit impervium. Ergo.

R. Nego min. Demonstrandum enim foret dogma præsentiæ realis absurda continere : porro adversarii id nunquam demonstrabunt. Ad hoc quippe necesse esset ut accurate determinarent quid sit materia, quid sint loca, quid Deus possit circa præsentiam corporum in locis. Fieri quidem non potest ut corpus naturale reducatur, servatis legibus physicis, ad minimum punctum, vel in pluribus simul adsit locis : sed quis negabit hoc omnipotenti Deo possibile esse? Cunctis igitur impossibilitatibus quas fingunt hæretici et increduli semper invicte respondemus, dicentes : Nescitis quid sit corpus in ordine supernaturali, corpus glorificatum, corpus in statu sacra-

mentali ; locorum naturam, materiæ essentiam ignorantis : qua ergo fiducia affirmare audetis præsentiam realem potentiæ Dei repugnare ?

Certum est Deum omnibus locis et totum singulis locorum partibus simul præsentem esse, animam nostram cunctis corporis nostri partibus integram præesse, vocem coram multitudine prolatam in auribus omnium audientium eodem instanti totam esse : quomodo hæc fiant non percipimus, et tamen ea negari posse, propter obscuritatem qua involvuntur, non arbitramur : ergo similiter præsentiam realem negare non debemus, ex eo quod ratio nostra ipsius modum non percipiat.

Exponuntur theologorum systemata.

Quædam prodiere systemata ad explicandam præsentiam realem in Eucharistia. Omnia referuntur, ut videre est, sive ad opiniones Cartesianorum, sive ad sententiam Thomistarum circa corporum naturam et compositionem.

1° Qui opinionem Cartesii de essentia materiæ sequuntur multum desudant ad explicandam realem præsentiam, sed non multum proficiunt.

— A) D. *de Lignac*, qui successive fuit apud Patres societatis Jesu et apud presbyteros Oratorii quos etiam deseruit, in opere dicto : *La présence corporelle de l'homme prouvée possible en plusieurs lieux à la fois par les principes de la saine philosophie*, fingit hypothesim in qua corpus ex Maria natum et crucifixum, idem in multis locis simul esse possit.

Supponit — a) eamdem animam multis corporibus individuis simul uniri posse, sicut multis partibus ejusdem corporis præest. Supponit — b) ex omnibus partibus quibus corpus Christi conflatur, quasdam partes omnipotentia Dei extrahi, non per sectionem, sed per accuratam *deduplicationem* ; tunc habebitur corpus organicum, animæ et divinitati Christi unitum, ex Maria natum, etc. Porro hæc *deduplicatio* ope divina iterari potest usque ad infinitum, et sic præsentia corporis Christi multiplicari ratione locorum.

— B) D. *de Pressy*. Bononiensis episcopus, alteram refert hypothesim quæ compendiose sic se habet : Supponitur in corpore Christi innumera existere corpuscula invisibilia, organis instructa, animæ Christi et divinitati æqualiter unita, licet singula sint completa. Supponitur iterum hujusmodi corpuscula, per singulas hostias et singulas hostiarum partes ad exhibendum corpus Christi idoneas, in ipso consecrationis momento distribui. In hac suppositione, dici potest de singulis hostiis consecratis et singulis earum partibus sensibilibus : Hoc est verum Christi corpus, ex Maria natum, una cum anima Christi et divinitate Verbi. *Œuvres de M. de Pressy, éd. Migne* t. I.

His explicationibus objici potest, primum quod solvant identitatem corporis Christi. Etenim ex definitione Ecclesiæ, quoties sacramentum conficitur, tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi; — deinde minime explanatur difficultas accidentibus propria; si enim accidentia panis possunt a substantia sua separari, necesse est ut substantia possit et ipsa separari ab accidentibus; — tandem non sufficienter accommodatur cæteris mysterii partibus. Etenim, vi sacramenti, non fit præsens sub speciebus ipsa corporis Christi quantitas dimensiva, sed sola substantia in solam substantiam transmutatur. Unde, ipsa naturalis dimensio corporis Christi non fit præsens vi sacramenti, sed vi concomitantiæ naturalis, ut dicetur infra. Concedendum est ergo corpus Christi naturale posse subsistere in pluribus locis simul etiam circumscriptive, sed non opus est ut ad *deduplicationem hanc* et ad *corpuscula* recurramus. Ex potentia enim Dei absoluta, nihil impedit quin corpus secundum formam propriam et naturalem possit esse simul in pluribus locis, ut narratur de S. Francisco Xaverio, de S. Alfonso et de pluribus aliis; Deus enim qui potuit efficere, ut quod nondum ullibi erat inciperet esse in loco, potest *a fortiori* efficere, ut quod jam est in uno loco, esse incipiat in pluribus.

2° Multo communius tenent theologi corpora non esse essentialiter extensa et posse dimensionem a substantia

separari. — Hanc sententiam quasi suam fecit *Leibnitz* inter recentiores; — at longe ante Leibnitz, Thomistæ ab Aristotele hanc sententiam tenebant et per singula fidei dogmatibus explicite accommodabant; ideo, nunc videndum manet quomodo hoc systema Thomistarum adhibetur ad explanandam in Eucharistia præsentiam realem.

—A) *Leibnitz* igitur, contra præcedentem explicationem, contendit, immerito quidem juxta nos, quod si invictis argumentis posset demonstrari corporis essentiam in extensione consistere, fatendum esset unum corpus in pluribus locis simul existere non posse, neque etiam per omnipotentiam Dei. At putat contrarium solide ostendi posse.

Assertionem suam sic demonstrat celeber philosophus. In rebus corporeis aliud est essentia et aliud dimensio : essentia enim illud est quo res aliqua constituitur in esse suo et eadem permanet, licet mutetur in multis ; est igitur essentia quædam vis interna, invariabilis et rei constitutiva, ad quam non pertinet quidquid in corpore mutatur. Dimensio autem multum variatur ; imo quotidie substantiis variis suas dimensiones et qualitates ipsa natura adimit, ut novas prioribus substituat. Distinguuntur igitur ab invicem essentia corporis et ejus dimensio, et si distinguantur, a Deo possunt realiter separari ; quia Deus potest dividere per effectum, quidquid possumus per intellectum. Si autem per omnipotentiam Dei corpus sine extensione ac proinde, *sine spatii determinati implemento* existere possit, nihil obstat quominus pluribus locis simul correspondeat per eam actionem vel relationem quæ distantiam constituit. (*Système théologique*, p. 222 et suiv.)

— B) Thomistæ præsentiam realem explicare nituntur secundum principia eorum philosophiæ, quæ ad majorem elucidationem breviter referre expedit. Tria distinguunt in composito naturali, ut aiunt : nempe materiam, formam et accidens. — *Materia est aliquid, quod cum per se ab omni essentia et proprietate vacet, in potentia est ad recipiendum in se quamlibet essentiam aut pro-*

prietatem. Cum per se sit indifferens ad hoc vel illud corpus constituendum, indiget aliquo principio ex quo determinatur ad hanc et non aliam corporis speciem efformandam. Hoc principium dicitur *forma substantialis*.

Forma igitur *illud est principium quod reducit materiam ad actum, nempe ad constituendum actu hanc aut illam speciem, sive essentiam compositi naturalis*. Exinde intelligitur materiam, veluti principium passivum, et formam, veluti principium activum, ad corporis effectionem concurrere; nam forma est principium quo res efficitur id quod est, et materia est principium quod efficitur id quod res est. Ex materia et forma substantiali unum corpus per se et sine interventu ullius medii efficitur, ita ut idem sit « esse formæ et materiæ, et hoc idem sit esse compositi. » S. Th. Iª IIæ, q. 4, a. 5 ad 2.

Accidens est res cui convenit esse in alio tanquam in subjecto. Esse accidentis ab *esse* substantiæ reapse distinguitur. Inde fit ut, quamvis accidens integram et absolutam entitatem in se non habeat, sed naturaliter expostulet inhærere substantiæ, possit tamen virtute divina a substantia separari, quin *esse* suum amittat. Inter accidentia primum locum obtinet quantitas; qualitates, sicut color, gustus, mediante quantitate, substantiæ adhærent; unde per conversionem substantiæ panis in corpus Christi, sola quantitas dimensiva remanet sine subjecto, alia vero accidentia in quantitate subjacent.

Hic positis, nihil impedit quin corpus Christi possit esse præsens simul in pluribus, imo in multis locis; difficultas enim non potest esse ex parte materiæ et formæ, id est, ex parte substantiæ. Etenim materia, formæ suæ conjuncta, est quid inextensum, invisibile, quod non potest esse alicubi localiter : nam corpus naturaliter est in loco, mediantibus dimensionibus, quibus loco commensuratur; ergo substantia a dimensione separata, non potest esse proprie in loco : porro sola substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi. — Item difficultas non potest esse ex parte accidentium; nam accidentia panis non convertuntur in accidentia corporis

Christi, sed visibiliter remanent. Unde quamvis corpus Christi sit in Eucharistia quasi in loco, non tamen ibi est localiter; quia non est ibi sub propriis dimensionibus, et propria quantitate, sed sub quantitate et dimensionibus sub quibus panis erat prius.

Sententiæ huic Thomistarum magna accedit auctoritas ex Catech. Conc. Trident. qui ait: « Nec inter se pugnant ut ipse salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus locis sacramentaliter præsens, *sua substantia* nobis adsit. »

Ipsi auctores profani eamdem opinionem nunc communiter tenent, *vid. Laforêt* t. IV, p. 63, 64, 65. Rationabiliter ergo rejici non potest fidei veritas, quantumvis sit incomprehensibilis, quæ impugnari non potest, quin eo ipso impugnetur peritissimorum scientia.

3° Alii tamen viam quasi mediam inter utrumque Cartesianorum et Thomistarum systema sequuntur. Ponunt ens corporale necessario extensum in se, sed ipsius dimensionem existere posse modo insensibili. Sic. *P. Maignan*, ordinis S. Francisci a Paulo (Philosophia sacra). Hoc posito, corpora jam non commensurantur loco, ac consequenter existere possunt, vel unum simul in pluribus locis, vel plura simul in eodem loco. Non desunt theologi qui hunc modum exponendi præsentiam realem sequuntur. « Communis est sententia scholarum, ait » Bellarminus, totum Christum existere in Eucharistia » cum magnitudine, et omnibus accidentibus, excepta » relatione ad locum, quam habet, ut est in cœlo; et » contra, in cœlo totum Christum existere cum magni» tudine et accidentibus, excepta relatione ad species, » quam habet, ut est in Eucharistia. » De Eucharist., lib. III, cap. 5, p. 575. Paulo post, addit idem Bellarminus, tria intelligi in corpore; primum, nempe esse extensum, quod est corpori omnino essentiale; secundum coextendi loco, seu loco commensurari et habere situm extrinsecum in ordine ad locum, quod quidem sequitur a primo, et ideo ab eo potest separari; tertium denique

aliud corpus extrudere e loco, id est, non pati secum aliam magnitudinem in loco sibi adæquato, sed illud tertium, cum sit posterius primo et secundo, et ex illis sequatur, posse per Dei potentiam ab eis separari, ita ut duo corpora coexistant in eodem loco. Ratio ab illustrissimo auctore allata est quod replere locum sit quasi officium magnitudinis et functio quædam externa : porro in omnibus creatis esse et agere distinguuntur, et ideo possunt separari.

In illa sententia facile explicatur præsentia simultanea corporis Christi in pluribus locis; item illa omnium partium corporis Christi mutua compenetratio sub speciebus panis, ita ut sit totum sub utraque parte. Præcipua difficultas superest relative ad accidentia, ut infra videbitur.

Quidquid sit de variis his systematibus, eorum auctores, ut facile intelligitur, minime naturam mysterii explicare sibi proponunt, sed tantum ostendere illud rationi non evidenter repugnare : si enim humanum ingenium monstrare valeat idem corpus in multis locis a se longe dissitis simul existere posse, *a fortiori*, infinita Dei sapientia innumeros excogitare potest modos hoc ineffabile adimplendi mysterium.

Supremæ igitur auctoritati Dei præsentiam realem certo revelantis plenissime fidentes, hoc venerandum et sanctissimum dogma immobili fide teneamus, de modo possibilitatis ejus nihil curantes, neque de variis incredulorum dicteriis. In mente habeamus sequentia S. Aug. verba ad philosophos æterna damnatorum supplicia negantes directa, quæ præsentiæ realis adversariis pariter conveniunt, de Civitate Dei, l. XXI, cap. 3 : « Quod si res-
» pondetur... nullam esse carnem quæ dolere possit mo-
» rique non possit, quid aliud dicitur, nisi quod sensu
» corporis homines et experientia collegerunt? Nullam
» namque carnem nisi mortalem sciunt, et hæc est eo-
» rum tota ratio, ut quod experti non sunt, nequaquam
» esse posse arbitrentur. »

Quando igitur Calvinistæ et increduli nobis objiciunt

in nostra doctrina corpus Christi manducari, conculcari, corrumpi, simul quiescere et moveri, seipsum portasse et manducasse in cœna institutionis, etc., hæc omnia et alia quæcumque ejusdem generis sola rei expositione, prout fecimus, evanescunt. Corpus Christi in statu sacramentali idem est quidem numerice ac fuit in statu naturali, sed non ejusdem est conditionis, ac proinde ab uno statu ad alterum non valet conclusio : attamen omnia adversariorum objecta ex ratione petita, hoc vitio fundamentali laborant. Ea ipse solvit *Leibnitz*, licet Protestans, in libro cui titulus : *Exposition de la doctrine de Leibnitz*. Ergo nullius sunt roboris.

Gratias igitur *Deo super inenarrabili dono ejus*. II Cor. IX, 15 : *Jesus.,., cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, Joan. XIII, 1; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Psal. CX, 4. Non solum gratia sua animas nostras reficere, sed et carnem nostram sua sanctissima carne mirabiliter nutrire voluit, sicque futuræ resurrectionis pignus et semen immortalitatis nobis præstitit. Vid. concil. Trid. sess. 13, cap. 2.

CAPUT SECUNDUM.

DE MODO QUO CHRISTUS FIT PRÆSENS IN EUCHARISTIA, SEU DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

Dogmate catholico adversus quoslibet repugnantes stabilito, et divina Christi præsentia in tuto reposita, nunc videndum est quomodo fiat hæc præsentia. Porro duo præcipue hic attendimus; scilicet substantiam Christi vere et realiter præsentem fieri, quod transsubstantiationem dicimus; et tamen, peracta transsubstantiatione, remanere species panis et vini; — itaque dicemus in duplici articulo, primum de ipsa transsubstantiatione; deinde de natura specierum quæ post transsubstantiationem remanent.

ARTICULUS PRIMUS.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

I. Quid transsubstantiatio. — Transsubtantiatio est mutatio alicujus substantiæ in aliam substantiam, per oppositionem ad transformationem : ut quemadmodum in transformationibus naturalibus mutatio fit de forma ad formam, immutabili substantia remanente; ita in transsubstantiatione substantia in substantiam mutatur, formis in utroque termino integris remanentibus. Omnis quippe conversio quæ fit secundum legem naturæ est formalis, nam operatio agentis naturalis, quæ materiam præsupponit, sese extendit tantum ad immutationem formæ. At virtus divina, quæ materiam non præsupponit, sed eam producit, conversionem totius entis potest operari, ut scilicet tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius. — S. Thom. q. 75, art. 4. Per hujusmodi transmutationem convertitur panis in corpus Christi;

unde hæc conversio proprio nomine potest dici *transsubstantiatio*.

II. Errores adversus transsubstantiationem. — Calvinistæ et increduli transsubstantiationem a præsentia reali non sejungunt, et fatentur, una admissa, alteram esse admittendam.

Lutherani, e contra, qui vere sunt Lutherani, non vero qui, sub nomine Lutheranorum, sunt rationalistæ, præsentiam realem semper retinuerunt; sed mysterium transsubstantiationis pertinaciter negant, voluntque Christum esse in Eucharistia vel per *impanationem*, vel per *consubstantiationem*.

Impanatio, si existeret, esset unio hypostatica Christi cum pane, sicut unio Verbi divini cum homine; ita ut, quemadmodum recte dicitur de Christo: *Hic homo est Deus*, sic pariter recte diceretur de pane consecrato: *Hic panis est Deus*. Quosdam Berengarii discipulos hanc sententiam habuisse creditur, et inter Lutheranos solus Oziander eam docuit.

Vide, circa *impanationem*, *Bossuet*, *Hist. des Variat.*, l. II, n. 33 et 34 (t. XIX, p. 81).

Alii vero Lutherani post antesignanum suum admittunt consubstantiationem, quæ in eo sita est, ut corpus Christi, vi consecrationis, simul cum pane, vel sub pane vel in pane existat. Zuinglianis autem objicientibus corpus Christi in cœlo simul et in Eucharistia existere non posse, respondit Lutherus illud hypostatice unitum Verbo, ubique præsenti, etiam ubique existere. Qui hanc amplexi sunt sententiam, ut Brentius, Illyricus et alii in decimo sexto sæculo, dicti sunt *Ubiquistæ*. Post Lutheri mortem, discipuli ejus et præsertim Melanchthon hunc errorem generaliter improbaverunt.

Anglicani, circa præsentiam realem valde anxii, negant transsubstantiationem.

Plures etiam e scholasticis contra veritatem transsubstantiationis erraverunt. Sic Durandus a S. Porciano, qui docuit solam formam substantialem panis converti in corpus Christi, sed remanere materiam, transmutata forma,

quasi materia aliquid esse possit absque forma. Alii e contra, referente D. Thoma, q. 75, a. 6, posuerunt remanere etiam formam substantialem panis et non sola accidentia.

III. Comprobatur dogma Catholicum de transsubstantiatione. — Habemus nunc probandum catholicum dogma de transsubstantiatione eo sensu intellectum quem supra exposuimus.

PROPOSITIO.

Christus est in Eucharistia per transsubstantiationem.

Hæc propositio est *de fide*. In synodo Romæ, anno 1079, contra Berengarium sub S. Gregorio VII celebrata, definitum est *panem et vinum substantialiter converti in corpus et sanguinem Christi ;* apud *Labbe*.

Concilium Lateranense IV, anno 1215 celebratum, ait canone 1, *Labbe*. t. XI, part. 1 : « De Christo cujus corpus » et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et » vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in » corpus et vino in sanguinem potestate divina. »

Concilium Constantiense, præscribens ut quilibet de erroribus Wiclefistarum suspectus interrogetur, inter proponendos articulos sequentem exprimit : « Utrum credat » quod, post consecrationem sacerdotis, in sacramento » altaris sub velamento panis et vini, non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus » qui fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris. »

Concil. Florent. in Decreto ad Armenos : « Ipsorum » verborum virtute substantia panis in corpus Christi et » substantia vini in sanguinem convertuntur. »

Tandem concil. Trid., sess. 13, can. 3 : « Si quis dixe- » rit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere » substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine » Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem il- » lam et singularem conversionem totius substantiæ pa- » nis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, » manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam

» quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime » transsubstantiationem appellat; anathema sit. » Ergo.

Prob. 1° *Scriptura sacra*, nempe verbis institutionis : *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*. Hæc enim verba, *ex dictis in primo capite*, non figuratam, sed realem significant præsentiam : unde intelligenda sunt, vel de *impanatione*, vel de *consubstantiatione*, vel de *transsubstantiatione :* atqui duo priora dici nequeunt.

— A) Intelligi non possunt de *impanatione*. Posita enim absurda *impanationis* hypothesi, panis et corpus, vinum et sanguis Christi hypostatice unirentur, sicut divinitas et humanitas in Christo : utraque igitur substantia simul existeret sicut utraque natura, divina et humana in Christo : atqui verba Christi : *Hoc est corpus meum ; Hic est sanguis meus*, utramque substantiam non exprimunt, *ut patet*. Absurde dictum fuisset, humanitatem Christi, ostendendo, *Hoc est divinitas :* ergo *a pari* de pane et vino naturam suam retinentibus, absurde diceretur : *Hoc est corpus Christi*; *Hic est sanguis Christi*. Ergo.

— B) Non de *consubstantiatione*. Nam similiter et *a fortiori* utraque simul existeret substantia : verba igitur Christi significarent; *hic*, id est, *in hoc* vel *sub hoc pane est corpus meum, in hoc* vel *sub hoc vino est sanguis meus :* atqui talis sensus evidenter est contortus, usui communi contrarius et sermonis subversio. Si quis enim aurum in frustulo panis occultasset, et panem ostendendo diceret *hoc est aurum*, a nemine intelligeretur; ergo *a pari* Christus insulse locutus fuisset, quod est impium. Unde ipsi Calvinistæ fatentur prædicta verba de præsentia reali intelligi non posse, quin simul de transsubstantiatione intelligantur. Nullius sunt ponderis exempla a Lutheranis allegata, v. g., dici posse, ostendendo dolia vel lagenas : *Hoc est vinum*; *Hoc est cerevisia*, etc., quia, ex usu recepto, vas pro liquore contento nominari solet : nihil simile est autem in pane et vino relative ad corpus et sanguinem Christi; ergo, etc., aliunde, etc. Ergo, etc. Ergo.

Prob. 2° *Traditione*. Testimonia enim S. Gregorii

Nysseni, S. Cyrill. Hierosolymit., S. Ambrosii, S. Cesarii Arelat., S. Joannis Damasceni superius relata, transsubstantiationem evidenter exprimunt vel supponunt, et in sensu Lutheranorum intelligi non possunt, *ut unicuique* attendenti *patet*. Omnes liturgiæ orientales et occidentales, ut testatur P. *Le Brun*, habent orationem qua sacerdos postulat ut oblata fiant corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi : statim atque errores adversus præsentiam realem prodierunt, concilia eos profligantia mysterium transsubstantiationis docuerunt, *ut ostendimus* : ergo non minus constans fuit traditio circa transsubstantiationem quam circa præsentiam realem.

Leibnitz, licet protestans, hæc habet (*Syst. th.* p. 224) : « Pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in » corpus Christi, vinum in sanguinem, passimque hic » veteres agnoscunt Μεταστοιχείωσιν quam Latini trans- » substantiationem recte verterunt, et definitum est to- » tam substantiam panis et vini transire in totam sub- » siantiam corporis et sanguinis Christi; et quemadmo- » dum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scrip- » tura ex traditione quam custos Ecclesia ad nos usque » transmisit. » Ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Prob. 3° *Ratione.* Christus enim non potest fieri præsens in Eucharistia nisi per motum localem, vel per alterius conversionem in ipsum : impossibile est autem quod hoc fiat per motum localem corporis Christi ; tum quia sequeretur quod in cœlo esse desineret, quandocumque hoc agitur sacramentum : tum quia non posset simul hoc agi sacramentum nisi in uno loco, cum unus motus localis non nisi ad unum terminum finiatur; tum etiam quia motus localis instantaneus esse non potest, sed tempore indiget, consecratio autem perficitur in ultimo instanti prolatione verborum. Relinquitur ergo dicendum quod verum corpus Christi esse incipiat in hoc sacramento per hoc quod substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, et substantia vini in substantiam sanguinis ejus. Sic. D. Thom. cont. Gent., lib. IV, cap. 63.

Hoc quidem argumentum S. Doctoris impugnari posse

non diffitemur, si absolute sumatur : omnino enim non impossibile videtur quod corpus Christi sine motu locali fiat præsens in pluribus locis ; at valet, si consideretur ad textus Scripturæ sacræ, et definitiones Ecclesiæ ; unde in illo argumento verus exponitur modus transsubstantiationis, ut videbitur infra.

Qui hanc quæstionem fusius tractatam videre cupierit, adeat opera jam citata, *La perpétuité de la Foi*, *Discussion amicale*, *Lettre du P. Scheffmacher*, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. In materia fidei omnis fugienda est novitas : atqui vox transsubstantiatio nova est : ergo non adhibenda.

R. Distinguo min. Vox transsubstantiatio nova est quoad syllabas, *concedo* ; quoad rem significandam, *nego min.* Etenim vox ipsa in primis traditionis monumentis non reperitur : sed res per hanc vocem designata semper credita est ; sæpe enim Patres utuntur verbis, *convertere, transmutare, corpus et sanguinem efficere :* porro illæ locutiones mutationem naturæ exprimunt. Merito igitur vox transsubstantiatio usurpata est, ut effectus consecrationis clarius et brevius exprimeretur, sicut in concilio Nicæno I vox *consubstantialis* inventa est, ut natura Verbi divini accuratius redderetur. Ergo.

Inst. SS. Patres pluribus in locis dicunt *naturam panis, substantiam panis*, post consecrationem remanere. Ergo.

R. Dist. ant. Et per naturam aut substantiam naturales qualitates intelligunt, *concedo ;* secus, *nego.* Revera plures sancti Patres species eucharisticas, etiam post consecrationem, vocaverunt naturam vel substantiam panis aut vini. Verum ex contextu vel ex aliis eorumdem auctorum textibus, constat eos per hujusmodi voces Eucharistiæ applicatas, qualitates naturales panis et vini intelligere, scilicet colorem, saporem, figuram, etc. ; v. g., objiciuntur hæc verba S. Gelasii papæ, Bibliotheca Patrum, t. VIII, p. 703 : « Certe sacramenta quæ sumimus corporis

» et sanguinis Domini, divina res est... Et tamen esse » non desinit substantia vel natura panis et vini. » Sed primum Melchior Canus, Bellarminus, Baronius aliique doctissimi viri contra Sirmundum, Petavium et alios scriptores, contendunt librum de Duabus naturis, ex quo citata extracta sunt verba, non esse S. Gelasii. Auctor hujus libri de sacris symbolis ibidem loquens, ait : « In » divinam transeunt, sancto Spiritu perficiente, substan- » tiam, permanente tamen in sua proprietate natura, et » per eadem (*symbola*) divinæ efficimur consortes na- » turæ. » Ergo per naturam sensibiles panis et vini qualitates intelligit. Alii textus qui objici solent eadem facilitate explicari possunt. Ergo.

Obj. 2°. Testimonium sensuum universale, constans et invincibile, certum est veritatis argumentum : atqui sensus nostri universaliter, constanter et invincibiliter, testantur panis et vini materiam post consecrationem remanere : ergo.

R. Nego minorem. Testimonium enim sensuum circa materiæ et vini existentiam, post consecrationem, non est invincibile, siquidem datur revelatio qua reformatur : unde merito cum Ecclesia dicimus : *Si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.*

Inst. 1°. Naturali propensione ferimur ad judicandum non solum panis et vini sensibiles qualitates, sed et substantiam post consecrationem existere; ergo Deus, qui est auctor naturæ, nos decipit.

R. 1°. *Nego ant.* Naturali enim propensione non ferimur ad judicandum de intrinseca corporum natura, aut saltem in ferendo hujusmodi judicio, testimonio sensuum imprudenter niteremur, cum sensus essentiam materiæ attingere non valeant.

R. 2°. *Nego conseq.* Deus quippe ingens dilectionis suæ erga homines prodigium operari volens, revelavit naturam panis et vini per consecrationem transmutari : ergo reipsa non decepit. Si contingat hostiam consecratam reperiri coram homine consecrationem ignorante vel eam non credente, qui judicet panem ibi adesse, est

error accidentalis, non magis in Deum refundendus quam error eorum qui videntes Christum, et divinitatem ejus nescientes, judicant esse purum hominem. Ergo.

Obj. 3°. Qualitates sensibiles per se subsistere non possunt, sed indigent subjecto cui inhæreant : ergo substantia panis et vini, etc.

R. Dist. ant. Qualitates sensibiles per se subsistere non possunt, naturaliter, *concedo ;* supernaturaliter et ex omnipotentia Dei, *nego ant.* Apud omnes enim constat qualitates sensibiles per se naturaliter subsistere non posse; eas nobis repræsentare non possumus sine subjecto cui inhæreant. Sed quid in alio ordine et ex omnipotentia Dei fieri possit, ignoramus. Ergo.

SCHOLIUM.

De natura transsubstantiationis. — Catholici dogma transsubstantiationis admittentes non sibi consentiunt circa divinæ illius operationis naturam. Recte tamen observat *de Lugo* plus de nomine quam de re quæstionem inter theologos versari, ut *ex modo dicendis* patebit.

Tria autem in transsubstantiatione distinguenda sunt : scilicet terminus a *quo,* qui est panis et vinum ex quo conficitur sacramentum; terminus *ad quem,* seu corpus Christi in quod convertitur panis; et tanquam medium inter utrumque actio qua conversio operatur.

1° Quoad primum, Scotistæ dicunt ipsius substantiam panis annihilari; supponi insuper posset, non annihilari, sed reduci in præjacentem materiam, id est, in eam generaliorem materiam quæ forma destituitur, vel denique simpliciter converti.

Nolunt generaliter Doctores et præcipue Thomistæ substantiam panis annihilari, quia Deus non est causa tendens ad nihilum, nec præsertim decet, ut in sacramento salutis divina virtute aliquid in nihilum redigatur. Insuper, annihilatio fit simplici suspensione actionis Dei causæ entis; at in transsubstantiatione Deus agit active in panem, et desitio panis non tendit ad nihilum, sed ad

conficiendum corpus Christi, quod est ideo terminus ad quem.

Non resolvitur item panis in præjacentem materiam; id enim non sonant verba formæ sacramentalis, nec hujusmodi actionem indicant ex parte Dei. Etenim substantia panis ex prædictis verbis non tendit ad esse imperfectius, sed ad esse perfectius, quod est corpus Christi. Igitur *convertitur* panis in corpus Christi, et hic modus dicendi magis admittendus est et retinendus, ut demonstrat D. Thom. q. 75, a. 3.

2° Quoad secundum terminum, certum est apud omnes proximam et propriam rationem cur Christus sit in Eucharistia totalem esse conversionem substantiæ panis et vini in ejus corpus et sanguinem. Quo modo autem illud fiat et corpus Christi præsens esse incipiat non omnes consentiunt, sed alii aliter exprimunt.

Volunt Thomistæ virtute consecrationis, corpus Christi sub speciebus *produci;* non quod antea non existat, sed quia vel *ibi* sub sacramento vere et realiter producitur, *ubi* antea non erat, vel producitur, sub novo statu; vel denique, ut multi theologi docent, quia tanta est vis verborum in consecratione, ut si, quod impossibile est, non existeret corpus Christi in cœlo, produceretur et vere crearetur in hoc sacramento.

Scotistæ e contra contendunt corpus Christi in sacramento *adduci*. Hanc sententiam, quam S. Thomæ immerito tribuit, sic exponit *Bellarminus*, lib. III, cap. 18 : « Adductivam, ait, vocamus istam conversionem, non » quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum » locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cœlo » adducatur, sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in cœlo, jam etiam sit sub » speciebus panis, et non solum sit sub illis per simplicem præsentiam, sed etiam per unionem quamdam » qualis erat inter substantiam panis et ipsius accidentia, excepta tamen inhærentia. »

Negat *de Lugo* transsubstantiationem esse productivam, quia corpus Christi non potest proprie produci;

item eam esse adductivam, quia vox illa sonat corpus Christi venire per motum localem, per medium transeundo, sed contendit corpus Christi sub speciebus panis *introduci* et *constitui*. Sed satis patet in his omnibus theologos non de rebus disserere sed de verbis; quærunt enim aptiorem modum loquendi de illo tanto mysterio, cujus modum et naturam nemo apprehendere et concipere potest.

Vasquez ait transsubstantiationem esse relationem ordinis inter substantiam quæ cessat et substantiam quæ vi verborum Christi incipit, et hæc sententia admitti potest; etenim, juxta D. Thom. q. 76, a. 5, « Succedit sub» stantia Christi in hoc sacramento substantiæ panis. » Sed necesse est veram esse connexionem et dependentiam inter desitionem unius substantiæ et successionem alterius; unde *Vasquez* dicit transsubstantiationem esse cessationem panis in ordine ad realem Christi præsentiam.

3° Quoad actionem qua mutatio operatur dicendum est eam esse supra modum admirabilem, et omnem sensum superare, nullique alteri esse similem. Unde S. Bonaventura recte dicere potuit, lib. IV, Dist. 11, pars 1, art. 1, q. 2 : « Assimilatur (transsubstantiatio) quæ nul» lum simile plenum habet, *creationi;* quia vero princi» pium initiale non est nihil, sed aliquid, ideo dissimilis » est creationi, et similis *generationi*; quia vero termi» num finalem non habet de novo factum, sed prius exis» tentem, ideo est dissimilis generationi, et similis *aug*» *mento*; quia vero corpus Christi ex hoc non crescit, sed in » pluribus locis existit, ideo dissimilis est augmento et si» milis *loci mutationi*; quia vero in alio loco existit et a » proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit, ideo » omni motui et mutationi dissimilis est, et est prorsus » mutatio singularis. » Denique hæc mirabilis conversio assimilari potest nutritioni, qua nempe cibus quodam modo convertitur in hominem. « Le pain au delà du » cours ordinaire de la nature se change en un instant » en la chair du Sauveur, ce qui ne se fait en nous, et ne

» se faisait aussi en lui, lorsqu'il en usait ici-bas que » par une succession de temps. » *Le P. Lallemant, Entretiens*, etc.

Igitur panem assumpsit Christus et vinum quibus sustentatur vita hominis, eaque in corpus et sanguinem suum convertit, ut mediantibus novis illis et cœlestibus alimentis, ipsum hominem assumeret et in se transmutaret. « Qui ne pense aussitôt, ait *Moehler*, au changement » moral qui transforme tout notre être? Qui ne se rappelle que l'homme terrestre finit, et l'homme céleste » commence, tellement que ce n'est plus nous qui vivons, » mais c'est le Christ qui vit en nous? » (*Symbolique*, t. I, p. 361). Quot et quanta mysteria contineatur in transsubstantiatione fuse et optime exponit *Faber*, in opere *Le Saint Sacrement*, t. I.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA ACCIDENTIUM PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM.

Experientia constat post consecrationem accidentia panis et vini permanere in sacramento Eucharistiæ. Ratio datur ut illa tam mira operatio sub velamento fidei nobis ad credendum proponatur et inter cætera mysteria proprie mysterium fidei nuncupetur; ut sit etiam salutis nostræ saluberrimum sacramentum, nam si accidentia abessent, nullum esset in Eucharistia signum sensibile ac proinde nullum sacramentum.

Quid sint autem illæ species, an subsistant sine subjecto, an alteri subjecto inhæreant, et quodnam sit, Ecclesia non aperuit, sed tantum definivit, transsubstantiatis pane et vino, nihil omnino remanere præter eorum species. Hæc explicare conati sunt philosophi Christiani et theologi, et in varias abierunt sententias; præcipuas breviter referemus.

I^a^ est eorum qui dicunt accidentia panis et vini in corpus Christi transire, et in eo subsistere. Sic corpus Christi qualitates suas naturales et gloriosas, juxta quas nec

frangi nec pati potest, retinens qualitates panis et vini induit; et sub eo respectu est album, rotundum frangibile, etc. Quando autem hostia consecrata dividitur, Christus juxta ens suum naturale non frangitur, sed totus a seipso separatur et totus est sub singulis specierum partibus. Reipsa tangitur, manducatur et nobis incorporatur, juxta ens suum sacramentale.

Hanc sententiam optime exponit P. *Lejeune Serm.* 81, punct. 2 : « La substance du pain qui est l'appui et le » soutien des accidents est dépossédée pour y loger et in» troduire en sa place la substance du corps de J.-C., sans » que les accidents ou les espèces soient aucunement in» téressés : mais J.-C exerçant envers ces accidents tous » les offices que la substance du pain y exercerait, si elle » y était ; les exerçant, dis-je, non par un concours pas» sif, matériel et subjectif, mais par un concours actif, » efficient et opératif. » *Collet* arbitratur hanc opinionem plus imaginationem quam rationem lædere, et ideo esse commendandam ; quia—a) a multis viris doctrina et sanctitate conspicuis admissa fuit; — b) tempore Berengarii recepta fuisse videtur; — c) antiquorum Ecclesiæ doctorum verbis magis congruit; — d) recentiori doctrina accidentium absolutorum, de quibus infra, est clarior.

Præcipue objiciunt Thomistæ quod substantia corporis Christi non potest his accidentibus affici nec ab eis informari. Sed nil impedit quin substantia corporis et sanguinis Christi, substantiæ panis et vini supernaturaliter substituta, illius vices et officia gerat, accidentia active sustentet, nec tamen ab eis afficiatur et informetur. Sic *de Lugo* et *Bellarminus*, qui passim tribuunt corpori Christi munus sustentandi accidentia, sed semper exclusa *informatione*, vel *inhærentia*.

II[a] Est S. Th. qui, in 3[a] p., q. 77, art. 2, concl., ait expresse accidentia eucharistica *esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini ramanente*, et quantitatem sine subjecto existere, idque Deum sua omnipotentia facere posse. Multi theologi, maxime inter antiquiores,

huic adhærent sententiæ quæ dicitur accidentium absolutorum, eamque admittendam esse sequentibus momentis probare conantur : — a) auctoritate concilii Constant., in quo, sess. 8, damnata est hæc propositio Wiclefi. *Accidentia panis non manent sine subjecto*; — b) auctoritate Catechismi conc. Trid. in quo expresse declaratur « *hanc* » *perpetuam et constantem fuisse Ecclesiæ Catholicæ doc-* » *trinam*, eamque, addit, facile eorum testimoniorum » auctoritate confirmari posse, quibus antea planum fac- » tum est nullam residere in Eucharistia panis aut vini » substantiam. » — c) *Ratione*. « Quoniam ea accidentia » Christi corpori et sanguini inhærere non possunt, relin- » quitur ut supra naturæ ordinem ipsa se nulla alia re » nisa sustentent. » Sunt verba ejusdem Catech. Rom. « Nec est impossibile, ait S. Thom. cont. Gent. Lib. IV, » cap. 65, quod accidens, virtute divina subsistere possit » sine subjecto; divina enim virtus potest producere » effectus quarumcumque causarum secundarum sine » ipsis causis secundis. »

III^a^ Ex novo philosophandi modo apud Cartesianos exorta est. Cum enim juxta eos materia corporis non distinguatur ab ejus magnitudine, nec ideo ulla exstant accidentia solida et absoluta, et tamen post consecrationem species panis et vini et omnia eorum accidentia supersint, fingunt Deum, nullo mediante corpore, easdem in nobis producere sensationes quæ per panem et vinum producebantur. Unde species sacramentales nihil sunt ex parte rei. Hæc est inter alios sententia *P. Maignan*, de quo jam supra dictum est.

Verum illa hypothesis pluribus obnoxia videtur difficultatibus. — a) Eucharistia non esset realiter, sed tantum apparenter signum sensibile. — b) Non videtur quomodo esset signum permanens ; nam, pyxide occlusa vel in tabernaculo deposita, nullæ essent apparentiæ, ergo nec sacramentum ; aperta tamen eadem sacra pyxide, rediret sacramentum, cum species de novo apparerent. — c) Tunc falsa esse viderentur verba concilii Trid. *manentibus duntaxat speciebus panis et vini*. — d) Species Eu-

charisticæ mutari, adulterari et corrumpi non possent, quod experientiæ et sensui Catholicorum communi adversatur.

Non tamen prætermittendum est, ut ipse notat prædictus auctor, hanc sententiam in pluribus ab opinionibus S. Thomæ non multum recedere; ait enim S. Doctor. 3 p. q. 44, a. 1, ad 2 : « Quod aliquid videatur, fit per » actionem visibilis in visum. » Unde concludit corpora gloriosa, quia spiritui perfecte subjiciuntur, modo videri et modo non videri, prout spiritui moventi placebit. Sensibiles igitur qualitates nihil aliud sunt quam ipsa actio objectorum in sensus. Cum autem in Eucharistia, nihil ex pane remaneat, et perseverent tamen qualitates sensibiles, necesse est actionem naturalem panis in sensus aut supernaturaliter a Deo suppleri, aut potius, sublata causa ipsam actionem qua sensus afficiuniur miraculose conservari, juxta verbum S. Thomæ supra allatum.

Quod si insuper supponatur hanc actionem fieri a Deo, mediante corpore suo, tres illæ opiniones, licet inter se distinctæ, nullam tamen oppositionem habent; imo non multum ab invicem distant.

Opinionem S. Thomæ communius theologi sequuntur. Prima tamen tuto defendi potest, et quidem nobis magis congruere videtur modo præsentiæ Christi in sacramento, in quo mediantibus speciebus vere est præsens in Ecclesiis, circumfertur, sumitur et manducatur. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Joan., VI, 57. Oportet ergo inter corpus Christi et species sacramentales intimam et singularem existere unionem, ut in modo loquendi et in usu sacramenti inter ea non distinguatur. Sed de his iterum in cap. sequenti.

CAPUT TERTIUM.

DE MODO QUO CHRISTUS SUBSISTIT IN EUCHARISTIA, ET PRÆSENS PERMANET.

Hujus capitis duo erunt articuli, in quibus perscrutabimur modum quo Christus subsistit sub speciebus, et permanentiam hujus præsentiæ realis in Eucharistia.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MODO QUO CHRISTUS SUBSISTIT SUB SPECIEBUS.

I. APERITUR ET PROBATUR MODUS JUXTA QUEM CHRISTUS SUBSISTIT SUB SPECIEBUS. — Juxta doctrinam Ecclesiæ, primum affirmandum est Christum esse totum sub utraque specie et sub singulis uniuscujusque speciei partibus.

PROPOSITIO.

Christus est totus sub utraque specie et sub singulis uniuscujusque speciei partibus sensibilibus, saltem separatione facta.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

Est de fide. Traditur in Decreto ad Armenos, his verbis : « Totus Christus continetur sub specie panis, et to-» tus sub specie vini ; sub qualibet quoque parte hostiæ » consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus » est Christus. » Et in concil. Trid., sess. 13, can. 3, sic definitur : « Si quis negaverit, in venerabili sacramento » Eucharistiæ, sub unaquaque specie et sub singulis cu-» jusque speciei partibus, separatione facta, totum Chris-» tum contineri ; anathema sit. » Ergo.

1° *Probatur Scriptura sacra.* I Cor., XI, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Apostolus non dicit, *Quicumque manducaverit et biberit,* sed *manducaverit vel biberit :* sensus est disjunctivus, et tamen pronuntiat absolute indigne manducantem vel bibentem, fieri reum corporis et sanguinis Domini. Ergo 1°.

2° *Praxi Ecclesiæ*, quæ Christum semper venerata est sub utraque specie et sub singulis partibus separatis, fragmenta hostiæ divisa fidelibus præbens et calicem consecratum dividens, totum Christum tradere judicabat. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : igitur dividi non potest. Unde ubi est corpus, ibi est sanguis et anima. Divinitas autem humanitati hypostatice unita, ab illa nunquam separatur : ergo 3° ; aliunde, etc. Ergo.

Diximus 1° *partibus sensibilibus* : nihil enim demonstrat Christum esse præsentem sub partibus specierum adeo tenuibus ut sensus nostros omnino fugiant ; partes nullo modo sensibiles jam panis et vini apparentiam non haberent.

Diximus 2° *saltem separatione facta*, et hoc fides docet, *ut ostendimus.* De fide vero non est totum Christum esse sub singulis specierum partibus ante divisionem, sed omnino certum videtur. Nam — a) concil. Trid., sess. 13. cap. 3, ait in fine : « Totus et integer Christus » sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus » idem sub vini specie et sub ejus partibus existit. » Ibi nullam facit mentionem separationis ; eam vero in canone 3 expressit, ne liberas scholasticorum sententias anathemate percuteret, ut narrat Palavic., l. XII, cap. 1, n. 4. — b) Totus Christus est sub singulis partibus, divisione facta : ergo et ante divisionem ; repugnat enim solam divisionem corpus Christi in parte in qua non erat producere ; alioquin laicus vel femina corpus ejusdem Christi producere et multiplicare posset, divisiones multiplicando. Ergo.

II. Modus præsentiæ realis magis explicatur. — Ut magis ac magis determinetur modus præsentiæ Christi in Eucharistia.

Notandum est 1° : Multiplici modo posse intelligi præsentiam rerum in loco ; — a) est enim præsentia corporum, ut sunt naturaliter, quæ est *circumscriptiva*; in eo consistit quod ita corpus commensuretur loco et ab eo circumscribatur ut totum sit in loco, et singulæ ejus partes in singulis partibus loci; — b) est et præsentia propria spiritibus, qui non commensurantur loco, sed toti in singulis partibus loci, ut anima in unaquaque parte corporis; dicitur *definitiva*, quia præsentia alicujus substantiæ spiritualis terminatur naturaliter ad unum locum; — c) deinde, est præsentia Dei, quæ est *immensa*, totus enim Deus est in omnibus locis, et totus in qualibet parte loci; — d) tandem est præsentia *sacramentalis* quæ propria est Christo in Eucharistia.

Hæc præsentia Christi sacramentalis habet aliquid simile cum aliis, et ab eis plurimum differt. — Convenit enim præsentia sacramentalis cum circumscriptiva, quia determinatur visibiliter in loco per species, sub quibus latet; sed differt ab ea quia non commensuratur loco, nec ab eo circumscribitur; corpus enim sacramentale non est præsens in loco sub propria dimensione, sed sub dimensione aliena, nempe panis et vini; unde corpus Christi non potest proprie videri in se, nec tangi, nec pati, quia licet species mutentur et corrumpantur ipse est incorruptibilis et impassibilis. — Item convenit præsentia sacramentalis cum præsentia definitiva, quia corpus Christi, quemadmodum anima in corpore, totum est in tota hostia, et totum sub singulis partibus hostiæ; sed ab ea differt quia non limitatur ad unum locum, sed extenditur ad omnia quæ in ipsum convertuntur; — « et quia conversio-
» nis loca non possunt esse omnia, nec unum solum, imo
» plura, quantum ad hoc, corpus Christi nec immense est
» sicut Deus; nec omnino definitive sicut aliquod indi-
» viduum; sed medio modo, sicut Deus secundum mo-
» dum essendi per gratiam non in omnibus, sed in pluri-

» bus. » S. Bonavent., lib. IV, sent., dist. 10, p. 1, art. 1, q. 3.

Notandum est 2° non sub eadem ratione Christum præsentem esse in Eucharistia quoad omnes sui partes. Certum est enim solum corpus esse sub specie panis, vi sacramenti, et solum sanguinem sub specie vini ; nam, ut ait S. Thom., illud tantum est in sacramento ad quod directe conversio terminatur; porro ex definitione Ecclesiæ sola substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, et substantia vini in substantiam sanguinis, ut patet ex eo quod accidentia panis et vini, conversione facta, remaneant. Unde si in triduo mortis Christi hoc sacramentum celebratum fuisset, non fuisset sub specie panis anima Christi, quia realiter non erat corpori ejus unita ; et similiter nec sub specie panis fuisset sanguis, nec sub specie vini corpus, propter separationem utriusque in morte.

Nunc autem quia Christus, *resurgens ex mortuis, jam non moritur*, nec a seipso dividitur, illud primum adestvi sacramenti quod significant verba, sive corpus sive sanguis, cætera autem adsunt vi concomitantiæ naturalis; itaque illa substantia, quæ fit præsens vi sacramenti, alteram trahit vi istius concomitantiæ, et non tantum alteram sed et insuper corporis Christi quantitatem dimensivam et qualitates naturales, sicut et animam ipsamque divinitatem, ut non separentur in sacramento, quæ sunt unita inseparabiliter in gloria. — Hinc solvitur difficultas spectans ad præsentiam Christi corporalem et naturalem : magnitudo enim naturalis corporis Christi non est ibi vi sacramenti, sed per concomitantiam, et ideo non necesse est ut contineatur proprie sub dimensionibus panis aut vini. Pariter solvitur altera quæstio quam ponunt theologi, an, scilicet, actiones ab organis sensuum pendentes exercere possit Christus præsens in sacramento. Non quidem potest secundum strictam rationem sacramenti, quia præsens est per modum substantiæ ; at propter concomitantiam aliorum, potest præter ordinem sacramenti agere, si velit, ut non semel accidit.

Notandum est 3° aliquam admittendam esse unionem specialem inter corpus Christi et species : corpus enim Christi dicitur contineri sub speciebus, per species demonstratur, et quodam modo denominatur. Nisi intime esset unitum non posset dici : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus ;* inquirendum est igitur quænam sit illa unio et in quo consistat.

Certum est apud omnes admitti non posse unionem inhærentiæ ex parte accidentium, neque unionem informationis ex parte corporis Christi, tum quia accidentia proprie manent absque subjecto, ut dictum est a conc. Constant.; tum quia corpus Christi non potest affici ab accidentibus et ab eis formam aliquam suscipere.

Juxta *de Lugo* videtur hanc unionem corporis Christi cum speciebus duo includere, quorum unum sine altero non sufficit. Primum est illa actio corporis Christi in species, per quam exercet munus substantiæ respectu earum, non in genere causæ materialis, sed in genere causæ efficientis. Secundum vero est obligatio ipsius corporis Christi ad species, seu insolubilitas præsentiæ intimæ, ex vi quadam divinitus data speciebus ad trahendum secum intime corpus Christi, quocumque ferantur. *De Lugo,* disp. 6, sect. 2.

Igitur illa intima unio consistit in quadam reciproca dependentia, qua primum species a corpore sustentantur, et *in esse* suo conservantur : corpus vero ita a speciebus dependet, Deo sic disponente, ut permanere non possit *in esse* sacramentali nisi cum speciebus permanentibus, nec non nisi eisdem mediantibus, demonstretur, ad locum determinetur, et ad manducandum præstetur.

Ex his inferendum est quoad denominationes quæ tribui possunt corpori Christi ratione specierum, alias dici posse proprie et absolute, alias improprie et mediate, alias neque proprie neque improprie. — Proprie dicitur corpus Christi moveri, circumferri, sumi et manducari, quia, licet hæc fieri non possint, nisi mediantibus speciebus, proprie tamen cadunt in corpus Christi. — Improprie autem dicitur corpus Christi *videri, tangi,* etc., sed ta-

men vere dicitur, quia species panis et vini, in quantum sub sensibus cadunt, veram habent relationem ad corpus et sanguinem, quæ sacramentaliter significant et demonstrant. — At nullo modo dici potest corpus Christi *comburi, corrumpi*, etc., quia illud in se omnino est impassibile, et hæc cadunt tantummodo in species quæ in hujusmodi accidentibus nullam habent relationem cum corpore et sanguine Christi, sed ab eis incipiunt separari. Vid. S. Thom. 3 p. q. 76. a. 7.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PERMANENTIA PRÆSENTIÆ CHRISTI IN EUCHARISTIA.

I. Asseritur et probatur Christum sub speciebus eucharisticis permanere. — Primum tenuit Lutherus, cum tota Ecclesia, prolatis verbis consecrationis statim præsens esse corpus Christi, et permanere quamdiu species manent integræ. Verum anno 1536, cum de pace inter varias Reformatorum sectas ageretur, *Bucer*, celebris Lutheri discipulus, Sacramentarios sibi conciliare volens, dixit Christum non diu permanere in Eucharistia, sed in usu tantum adesse. Hoc concessit Lutherus, et pace verbis inita, non fide, Lutherani et Zuingliani communem celebraverunt cœnam in signum communis fidei circa hoc sacramentum, quod evidenter falsum erat, ut experientia monstravit. Postea docuerunt Lutherani, auctore Chemnitio, corpus Christi in sacramento manere durante cœnæ actione, dum scilicet panis benedicitur, frangitur, distribuitur, manducatur et ad absentes immediate defertur, non vero ubi in pyxide asservatur.

PROPOSITIO.

Christus est sub speciebus panis et vini modo permanente.

Propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

Est de fide; definita enim fuit in concil. Trident.,

sess. 13, can. 4, his verbis : « Si quis dixerit, peracta » consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento » non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu » Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem » ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis quæ » post communionem reservantur vel supersunt, non » remanere verum corpus Domini; anathema sit. » Ergo.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Christus enim dixit, ostendendo panem consecratum : *Accipite et comedite; hoc est corpus meum;* et ostendendo vinum benedictum : *Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus Novi Testamenti.*

Hæc verba, *hoc est, hic est enim,* indicant corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini jam existere, ac proinde ante usum. Unde concil. Trid., sess. 13, cap. 3 : « Reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi » vim habent cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse » sanctitatis auctor ante usum est; nondum enim Eucha» ristiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum » vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præ» bebat. » Ergo 1°.

Prob. 2° *Praxi Ecclesiæ.*—a) In primis Ecclesiæ sæculis fideles sacram servabant Eucharistiam in domibus suis, ut ea privatim vescerentur, ut constat ex Tertull. ad Uxorem, l. II, cap. 5 : « Non sciet maritus (infidelis) quid se» creto ante omnem cibum gustes; et si sciverit panem, » non illum credet esse quid dicitur. » Ex S. Basilio qui, Epist. 93, alias 289, de frequenti corporis et sanguinis Domini susceptione tractans, testatur ex antiquo more fideles consuevisse, tempore persecutionis, defectu sacerdotis vel diaconi, communionem propriis manibus sibi præbere; omnes monachos in desertis habitantes, ubi non habebant presbyteros, Eucharistiam conservare, ut eam sibi administrarent; et sæculares idem fecisse Alexandriæ ac in Ægypto. — b) Illud sacramentum per presbyteros vel diaconos antiquitus deferebatur ad ægrotos sub nomine viatici, ut patet exemplo venerabilis Se-

rapionis, a Dionysio Alexandrino apud Eusebium, Hist. l. VI, cap. 44, relato. — c) Juxta Græcorum liturgiam quæ S. Basilio attribuitur, et saltem est antiquissima, cunctis diebus jejunii in quadragesima, excepto sabbato, dicitur Missa præsanctificatorum, sicut fit apud nos feria sexta Majoris hebdomadæ, id est, non consecratur, sed offertur et distribuitur hostia prius consecrata et reservata. Ergo 2°.

Prob. 3° *Ratione.* Vi consecrationis, corpus Christi realiter fit præsens sub specie panis, et sanguis sub specie vini : igitur sacramentum istud non consistit, sicut alia sacramenta, in actione transitoria; sed per se subsistit : si autem aliquo instanti realiter subsistat, nulla est ratio cur non subsisteret quamdiu species manent integræ; ergo 3°; aliunde, etc. Ergo.

Hanc veritatem, utpote Scriptura et traditione fundatam, clare admittit *Leibnitz, Syst. theol.*, p. 230.

II. Observanda practica circa permanentiam Christi sub speciebus. — 1° Maxima cura asservanda est sacra Eucharistia ne indebite corrumpatur, neve Christus sub speciebus præsens, quamdiu permanent, inhonoretur. Ipsæ particulæ vel minimæ, modo sensibiles, sedulo colligendæ et custodiendæ sunt, cum Christum realiter contineant : non tamen summa et inquieta adhibenda est vigilantia, quia Christus sacramentum Eucharistiæ instituendo, quædam illius fragmenta deperdenda prævidit et solummodo curam prudentem a nobis exigit; quod rubrica Missalis Romani supponit dicens : « Sacerdos inspi- » cit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ » sint in eo. » At si per accidens, hostia consecrata vel species vini a bestia sorberetur, in immunda loca caderet, etc., nihilominus Christus præsens esset, et tamen immunditiem non contraheret, nec aliquem experiretur dolorem; quia incorruptibilis et impassibilis est.

2° Regulariter corrumpuntur species per sumptionem sacramentalem. Sed cum ad naturam illius sacramenti pertineat quod sumatur per modum cibi aut potus, cavere debent communicantes ne sacras species in ore retineant

donec dissolvantur. Tunc enim sacramentum non susciperent, nec proinde gratiam sacramentalem obtinerent, quia Christus non manducatur, nisi species in stomachum trajiciantur. Ita, cum pluribus aliis, S. Ligorius, l. VI, n. 226. Unde qui moritur dum hostia est in ore ejus, gratiam non percipit.

3° *Notandum est* species per communionem susceptas non diu manere integras. Refert. card. *de Lugo* plures medicos a se Romæ consultos, putasse formulas laicis destinatas intra minutam corrumpi, et magnam formulam cum specie vini intra medium quadrantem : hoc utrumque approbat, et censet in laico intra quinque *Pater* et *Ave* consummari, et in sacerdote postquam vestibus est exutus. Saltem post quadrantem, etiam in sacerdote, utraque species omnino corrumpitur, nisi forsan stomachus propter pituitam, senium, etc., sit debilis. Sic S. Ligorius, l. VI, n. 225.

Requirit tamen Continuator *Tournely*, « propter sacra» menti reverentiam, ne laici ante quadrantem, sacerdo» tes vero ante mediæ horæ tempus ad vomitum se pro» vocent. »

Cum sputa ex capite vel ex pectore communiter proveniant, multo minus in his timenda est profanatio quam in vomitu : cavendum nihilominus ad cautelam ne statim emittantur, aut si necessitas incumbat, in linteo vel loco mundo deponantur. Post aliqua momenta nihil est timendum.

Dixi *regulariter*, quia possunt species sacramentales variis modis accidentaliter corrumpi, ut si panis consecratus diutius asservaretur, ita ut putridus fieret, aut species vini donec immutetur. Verum quoniam vinum cum alio vino saltem ejusdem speciei mixtum non corrumpitur, nisi tota massa corrumpatur, gutta pretiosi sanguinis in dolium vini immissa, suam retineret qualitatem, et totum vinum in dolio contentum aliquatenus redderet sacrum, ita ut usibus sanctis adhibendum foret, videlicet ad celebrandam Missam et ad ablutiones in fine Missæ, aut infantibus usum rationis non habentibus,

vel adultis in gratia sanctificante constitutis et jejunis propinandum esset.

Si autem vinum consecratum cadat in liquorem specie diversum et ita ei misceatur ut substantia vini non remaneat, ibi desinit esse Christus ; secus vero si vinum consecratum liquorem specie diversum sibi ita assimilet ut idem semper appareat vinum, licet particulæ adjunctæ realiter non sint consecratæ.

III. De cessatione præsentiæ realis. — Ubi vero species ita corrumpuntur, ut, juxta consuetum loquendi modum, non jam videantur panis et vinum, Christus statim desinit esset in Eucharistia : tunc eo instanti, ex lege a Deo in institutione hujus sacramenti statuta, eadem substituitur materia, quæ pani et vino corruptis naturaliter succederet.

Manifestum est ex speciebus corruptis novam aliquam substantiam generari : quomodo autem hoc fiat et undenam nova substantia oriatur varie explicant theologi. Probat S. Thomas, q. 77, a. 5, hanc novam substantiam non esse priorem substantiam panis, quia conversa est in corpus Christi et non potest ex corpore Christi iterum converti in panem ; — neque esse aliquam aliam substantiam de novo creatam, quia prior non fuit annihilata, nec verba consecrationis aliquid hujusmodi indicant, sed tantum conversionem panis in corpus. Melius igitur dicendum videtur, quod in ipsa consecratione, sicut substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita miraculose accidentibus conferatur quod subsistant, quod est proprium substantiæ ; et consequenter, quod omnia possint facere et pati, quæ substantia faceret et pateretur, si revera adesset; non quidem id ex novo miraculo provenit, sed ex vi miraculi prius patrati.

CAPUT QUARTUM.

DE CULTU CHRISTO IN DIVINA EUCHARISTIA PRÆSENTI DEBITO.

Lutherani, nolentes Christum esse in Eucharistia extra usum, et Calvinistæ præsentiam ejus realem negantes, contendunt nullum cultum huic sacramento exhibendum esse, vocantque Catholicos *artolatras*, seu panis adoratores.

PROPOSITIO.

Cultus latriæ Christo debetur in Eucharistia.

Ista propositio est de fide. Concil. Tridentin. habet, sess. 13, can. 6 : « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ » sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse » cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo » nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in » processionibus, secundum laudabilem et universalem » Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter » circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo » proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; ana- » thema sit. » Ergo.

Prob. 1° *traditione*. Citari possent S. Greg. Naz. in oratione funebri suæ sororis Gorgoniæ; S. Chrysost. in Homil. 24 in I Epist. ad Cor., etc. Cæterorum teneat locum S. Aug. in Ps. 98, n. 9 : « Et quia in ipsa carne » hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam » ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non » peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Ergo.

Unde *Leibnitz, Syst. Theol.*, p. 260 : « Adorasse Eucharistiam et veteres constat; et sane Ambrosius atque Augustinus illud psalmi : *Adorate scabellum pedum ejus*, de adoratione carnis Christi in mysteriis interpretantur. »

Prob. 2° *Praxi Ecclesiæ.* In cunctis liturgiis, etiam antiquissimis, Christus in Eucharistia adoratur, ut fuse et clare ostendit P. *Le Brun.*

Prob. 3° *Ratione.* Constat, ex dictis, totum Christum sub speciebus consecratis modo permanenti residere : atqui Christus, cum Deus sit, cultu latriæ est adorandus, ubicumque existit : ergo.

Cultus igitur quem exhibemus Christo in Eucharistia non terminatur ad species quæ suo genere tamen honorari possunt, sed ipsi personæ Christi redditur, et ideo est absolutus.

Dicamus cum synodo Trid., sess. 13, cap. 5 : « Pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. »

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRAMENTUM.

In præcedenti parte demonstravimus præsentiam realem corporis et sanguinis Domini una cum ejus anima et divinitate sub speciebus panis et vini; nunc ad eas quæstiones devenimus quæ ad Eucharistiam pertinent quate-

nus est sacramentum. Totam hanc materiam tractabimus in sex capitibus; 1um erit de existentia et natura hujus sacramenti; 2um de ipsius materia et forma; 3um de ipsius ministro; 4um de ipsius subjecto; 5um de ipsius necessitate; 6um de ejus effectibus.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA ET NATURA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

In hoc capite dicemus : 1° de existentia sacramenti Eucharistiæ; 2° de ejus natura; 3° de ejus unitate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

I. An Eucharistia sit proprie Sacramentum novæ legis. — Ita patet Eucharistiam, prout fuit a Christo instituta, rationem habere sacramenti, ut omnes christianæ societates usque ad hodiernos novatores illam acceperint ut verum et proprium sacramentum. Imo et ipsi Protestantes, exclusis Socinianis, aliisque Rationalistis qui vix inter Christianos annumerandi sunt, tenent ore unanimi Eucharistiam esse sacramentum.

Post concilium Florentinum, sacrosancta synodus Tridentina, sess. 7, can. 1, expresse definivit Eucharistiam esse verum et proprie dictum novæ legis sacramentum. Aliunde in ea reperies quidquid sacramentum constituit; videlicet, signum sensibile, per species panis et vini; institutionem factam a Christo, et modo permanenti duraturam, ut patet ex variis textibus promissionis, institutionis et usus, supra memoratis, et illo dominico effato : *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc., XXII, 19; tandem gratiam huic institutioni affixam, juxta illud

Joan., VI, 59 : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Id igitur ita manifestum est ut instare prorsus fiat inutile ; sed paulo magis immorandum est in explicando quid sub signo sacramentali Eucharistiæ lateat.

II. De signo sensibili in sacramento Eucharistiæ. — Signum sensibile in Eucharistia sunt species panis et vini ; porro multa sub his speciebus significantur. Etenim, 1° panis est figura externa et sensibilis illius divinæ alimoniæ, et vinum illius cœlestis potus qui est sanguis Christi, et utrumque conjunctum, illius convivii spiritualis in quo corpus vescitur carne Christi et sanguine ejus potatur, ut de Deo anima saginetur.

2° Est signum passionis Christi et sacrificii quod in cruce pro nobis oblatum est et permanet in Eucharistia. Materia enim qua tegitur, vitæ expers et quasi mortua, dat vitam manducanti, quemadmodum Christus in cruce mortuus nobis omnibus præbuit vitam ; — in Eucharistia panis et vinum separantur ; sic adumbratur memoria corporis et animæ Christi, quæ, ipso moriente, disjuncta sunt.

3° Eucharistia est signum unionis fidelium cum Christo et fidelium inter se : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* Joan., VI, 57. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* I Cor. X, 17.

4° Eucharistia significat etiam hominis deificationem. Quemadmodum enim ex pane naturali fit corpus Christi, id est, panis ex vili suo statu transsubstantiatur in corpus Christi, ita homo per istam Eucharistiam quasi transsubstantiatur in Christum et in Deum ; quod in memoriam quotidie revocamus quum inter sacra dicimus : *Deus... da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.*

5° Tandem Eucharistia est signum seu potius pignus vitæ æternæ. Scimus enim sub specie panis Eucharistici abscondi panem cœlestem, indeficientem, viventem et

vitalem ; ergo, sicut panis nos nutrit, fovet et sustentat, ut vivamus in hoc mundo, ita et cibus ille absconditus sumitur ut vivamus in cœlo ; ut ipse expresse Christus promissit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Joan., VI, 55.

Hæc signa memorat Ecclesia dum, ferventi affectu, Eucharistiam laudat et veneratur : « O sacrum convi- » vium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria pas- » sionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ » nobis pignus datur. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Ex demonstratis in præcedenti parte certum est Christum permanere sub speciebus eucharisticis, unde statim habemus sacramentum Eucharistiæ esse quid permanens ; et in hoc, ut alia prætermittamus, differre ab aliis sacramentis, quæ in actione transitoria consistunt. *Hoc principio præmisso,* facilius inveniemus in quo essentialiter consistat Eucharistiæ sacramentum.

I. DE IIS IN QUIBUS NON CONSISTIT HOC SACRAMENTUM. — 1° Ad sacramentum essentialiter non pertinet consecratio Etenim consecratio est tantum actio transiens, sacramentum res permanens. — Consecratio est quidem causa efficiens sacramenti, sed essentia alicujus rei non consistit in ipsius causa. Sic essentia panis non consistit in ejus confectione. Igitur dum conficitur sacramentum pendet a sua causa, sed causa ejus non est ipsius elementum, ubi jam in se subsistit.

2° Sumptio item non pertinet ad sacramenti essentiam ; quia sumptio est actio transiens et sacramentum Eucharistiæ res permanens. Præterea sacramentum est perfectum antequam sumatur, et licet sit institutum ut sumatur ab homine, non tamen ad ejus essentiam spectat ista sumptio. Sic panis conficitur ut manducetur, sed est panis antequam manducetur. Igitur non magis finis

Eucharistiæ quam ejus causa pertinet ad essentiam sacramenti, quod in se subsistit et permanet.

3° Solæ species non habent rationem sacramenti : non possunt enim solæ species gratiam producere sicut sacramentum ; — sacramentum adoratur, solæ species vero adorari non possunt.

4° Nec solum Christi corpus in Eucharistia contentum efformat sacramentum. — Ad essentiam cujusvis sacramenti pertinet signum sensibile; porro corpus Christi non est sensibile nec significativum. — Concil. Trident. sess. 13, can. 1, declarat corpus Christi contineri in sacramento, sed quod in sacramento continetur, eo ipso non est sacramentum. — Frangitur etiam sacramentum, juxta D. Thomæ dictum, *fracto demum sacramento*; atqui frangi non potest corpus Christi.

II. In quo specialiter consistat sacramentum Eucharistiæ. — Ex his præcedenter dictis restat ut species panis et vini una cum corpore et sanguine Christi constituant Eucharistiæ sacramentum, quibus per concomitantiam conjungitur anima Christi et ejus divinitas.

Hinc intelligitur Patres cum de Eucharistia loquuntur, dicere posse modo sacramentum esse corpus, modo species, sive magis corpus attendant, sive magis involucrum sub quo tegitur istud venerabile corpus. « Sic etiam » ratio sacramenti magis convenit, ait Bellarminus, speciebus, ut continent corpus, quam corpori Christi, ut » est sub speciebus. Ratio sacrificii, necnon pignoris et » alimenti divini, magis convenit corpori Christi ut est » sub speciebus, quam speciebus, ut continent corpus » Domini. » De Euch. lib. IV, cap. 4.

Iterum, concludendum est cum *Dens* : « Quod sicut de » homine qui essentialiter componitur ex corpore et anima rationali quædam prædicantur propria corpori, et » quædam propria animæ, et quædam utrique communia; ita et huic sacramento alia attribuuntur ratione » specierum, alia ratione contenti sub speciebus, alia » utrique communia. »

Tandem, species et corpus non sunt separanda nisi per

abstractionem; intime enim conjunguntur corpori et sanguini Christi, et ejus divinitati; igitur adorantur per modum unius, sicut Christi humanitas adoratur simul cum ejus divinitate.

ARTICULUS TERTIUS.

DE UNITATE ET IDENTITATE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Dubium suboriri potest an Eucharistiæ sacramentum sit duplex, tum quia duplex est materia et duplex forma seu consecratio; tum quia duplex est species post consecrationem; tum quia duplex est sumptio et successiva.

Verum hæc non officiunt unitati sacramenti; — etenim unicum est objectum sub diversis speciebus, nempe Christus qui totus est sub utraque specie. — Unica est significatio, nempe spiritalis refectio hominis; unde, ut ratiocinatur D. Thom. q. 73. a. 2, Eucharistiæ sacramentum institutum est per analogiam ad convivium et refectionem corporalem; at convivium et refectio corporalis una tantum æstimatur, etsi ex ferculis specie distinctis componatur. — Tandem dicendum est unicum esse effectum, scilicet, incorporationem fidelis in Christo, et fidelium unionem; ac proinde unicum et idem esse sacramentum.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Apte dividetur hoc præsens caput in duplicem articulum, in quo disseremus seorsim de materia et forma venerabilis sacramenti.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Nomine materiæ hujus sacramenti, intelliguntur elementa quæ ad illud conficiendum adhibentur : in omnibus ecclesiis, catholicis, schismaticis et hæreticis, adhiberi solent panis, vinum et aqua. Itaque dicemus 1° de pane; 2° de vino; 3° de aqua ; 4° de modo quo materia debeat esse præsens et determinata; 5° de unione utriusque speciei in consecratione.

§ I. — De pane Eucharistico.

1. DE PANE EUCHARISTICO, IN QUANTUM TRITICEUS ESSE DEBET. — Errarunt olim circa hoc punctum, 1° impuri Gnostici, de quibus S. Epiphanius, Hæresi 26, qui, inter alia abominanda, fetum ex utero extractum, in mortario contusum, offerebant in sacrificium et velut perfectum pascha habebant. « Nonnulli eos etiam Borboritas vo» cant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem » quam in suis mysteriis exercere dicuntur, » inquit S. August., Hæresi 6. 2° Montanistæ seu Cataphryges, qui de sanguine infantis annui, ope punctionum in toto corpore factarum extracto et farinæ immixto, panem suum eucharisticum conficiebant. Si « puer mortuus fuerit, ha» betur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro ma» gno sacerdote ; » S. Aug., Hæresi 26. 3° Artotyritæ, a verbis græcis ἄρτος, panis, et τύρος *caseus*, offerebant in Eucharistiam panem et caseum, ut refert ibidem S. Aug.

PROPOSITIO.

Solus panis triticeus adhibendus est ad consecrationem Corporis Domini.

Prob. 1° *verbis institutionis.* Christus enim accepit *panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait*, etc.

At panis simpliciter dictus est panis triticeus. 2° Concilio Florentino, in quo Græci et Latini erant coadunati, ubi in sess. ultima habetur : « De pane, sive azymus, sive » fermentatus fuerit, non curant Græci, dummodo ex » tritico constet ; » et Decreto ad Armenos, in quo Eugenius IV. de Eucharistia loquens, ait : *Cujus materia est panis triticeus.* 3° Constanti utriusque ecclesiæ Latinæ et Græcæ atque diversarum sectarum praxi.

II. Consectaria ad praxim spectantia. — *Hinc* 1° panis ex millio, oryza, fabis, castaneis, nucibus, amygdalis, vel ex radicibus, ut *manioc*, *pomme-de-terre*, vel etiam ex farre vel hordeo, *épeautre*, *orge*, etc., confectus non est materia valida ; quia evidenter non est triticeus, et non nisi cum addito dicitur panis, v. g., hordeaceus, fabeus, oryzeus, etc.

Hinc. 2° panis de secali, *seigle*, est materia dubia, quia nonnulli auctores, inter quos S. Th., 3ª part., q. 74, art. 3. ad 2ª, Estius, *Tournely*, etc., arbitrantur illud granum ex vero tritico in malis terris seminato nasci, et speciem a frumento disctinctam non constituere : alii vero contendunt illud a frumento specie differre, et panem ex illo provenientem non simpliciter dici panem. Nunquam igitur talis adhibendus est panis, neque ut plebs audiat Missam, neque ut moribundus suscipiat viaticum ; quia extra casum extremæ necessitatis, materia dubia uti non licet : unde Rubrica Missalis, tit. De Defectibus, habet : « Si panis non sit triticeus, vel si tri- » ticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta » quantitate ut non maneat panis triticeus, vel sit alio- » quin corruptus, non conficitur sacramentum. » Contra vero, si granorum alterius generis commixtio sit in parva quantitate, validitati materiæ non nocet, nec communiter reddit illicitam.

Hinc 3° valde optandum est ut triticum sit purum, panisque pia sollicitudine confectus et albedine nivi similis. Optimum religiosæ hujus sollicitudinis exemplum præbuerunt in undecimo sæculo Cluniacienses monachi, qui, ut scribit Ulricus in Tractata de Consuetudinibus

celebris istius monasterii, grana frumenti, quantumvis puri, singulatim seligebant, lavabant, in sacco mundo ad hunc usum destinato deponebant; vir bonus et commendabilis saccum ad moletrinam deferebat, molas lavabat alba et amictu indutus, cribrum abluebat, farinam pluries incernebat; deinde tres monachi, sacerdotes vel diaconi, cum uno fratre converso, albis et amictis induti, summa cum cura conficiebant hostias, Horas canonicas vel Officium B. Mariæ interea continuo cantantes.

Hinc 4° massa triticea cruda, frixa aut elixa, *frite* ou *cuite dans l'eau bouillante*, non vero cocta per modum panis, ut sunt placenta, libum, laganum, *des gâteaux des tourtes, des gaufres*, etc., ad validitatem sacramenti probabilius non sufficeret, quia panis usualis non reputatur. Siccata vel torrida, ad summum etiam esset materia dubia, quæ igitur nunquam adhiberi posset. An autem fuerit cocta in clibano, sub cinere, vel ope ferri callidi, ut fieri solet, parvi refert, dummodo panis simpliciter dici possit.

Hinc 5° panis lacte, melle, butyro aliove liquore subactus, loco naturalis aquæ, non est verus panis usualis, nec proinde materia valida : si modica esset alterius liquoris quantitas aquæ commixta, valida, sed illicita esset materia.

Hinc 6° panis mucidus, dummodo non sit putridus vel omnino corruptus, est validus, sed graviter illicitus.

Hinc 7° parvuli panes, quibus sigillantur litteræ, non reputantur ad consecrationem validi, quia non sunt panis usualis, nisi admodum parva cinnabaris quantitate intincti fuerint, et in eo casu eis uti graviter illicitum esset. Sic S. Ligorius, l. VI, n° 199.

Hinc 8° forma panis consecrandi ad validitatem sacramenti non pertinet; sed, ex Ecclesiæ præcepto, debet esse apud nos figuræ orbicularis et integræ. Major est formula pro sacerdote celebrante, et minor pro populo. Cum minore, si alia haberi non possit, privatim celebrare licet, modo absit scandalum; imo et publice die festo vel dominica, monendo populum ut præcaveatur scandalum; item ut viaticum moribundo administretur.

Hostiam fractam vel enormiter maculatam, sine causa, consecrare, esset paccatum mortale; si leviter sit fracta aut maculata, peccatum est duntaxat veniale; et nullum erit peccatum si adsit causa, puta si macula vel fractura post oblationem tantum advertatur. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 204, et plures apud ipsum.

III. De validitate utriusque panis sive azymi sive fermentati. — Michael Cerularius, patriarcha Constantinop. creatus an. 1043, primus in Latinos pane azymo utentes insurrexit, contenditque eos valide non consecrare, et odioso nomine appellavit *Azymitas*. Photius autem primus schismatis græci auctor, in nono sæculo, Latinos odio et calumniis prosequens, eis non exprobravit quod pane azymo uterentur. Unde P. *Sirmond* concludit usum azymorum in Ecclesia Occidentali intra nonum et undecimum sæculum incœpisse. Plerique eruditi, e contra, contendunt usum fermentati nunquam in ea Ecclesia fuisse receptum. Card. Bona, de Rebus liturgicis, l. I, cap. 23, docet Græcos usum fermentati semper retinuisse, et Latinos in primis sæculis azymum vel fermentatum pro libitu adhibuisse, usque ad initium decimi sæculi, quo usus azymorum lege generali fuit præscriptus.

PROPOSITIO.

Valet consecratio, tum in azymo, tum in fermentato, et disciplina utriusque Ecclesiæ retinenda est.

Prob. 1ª *pars.* Valet consecratio tum in azymo, tum in fermentato; nam 1° uterque est simpliciter panis, et qualitas fermenti naturam ejus non mutat. 2° S. Pontifex Leo IX, Michaelem Cerularium redarguens, non illi exprobravit quod cum Orientalibus fermentato uteretur, sed quod Latinos haberet ut hæreticos. 3° Concil. Florent., Decreto unionis, sess. ultima, apud *Labbe*, dicit « in » azymo sive fermentato pane triticeo corpus veraciter » confici; sacerdotes quoque in alterutro ipsum Domini » corpus conficere debere, juxta suæ Latinæ vel Orien- » talis Ecclesiæ consuetudinem. »

Prob. 2ª *pars.* 1° ex decreto concilii Florentini modo citato ; 2° ex Constitutione Bened. XIV, *Etsi pastoralis*, anni 1742, § 6, n. 10, in qua, sub pœnis perpetuæ suspensionis a divinis, confirmat prohibitionem ne Latinus aut Græcus præter proprium ritum celebret. Ergo.

Dices : Christus consecravit in azymo, et dixit : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo consecrandum est in azymis.

Notandum moveri controversiam inter theologos et Scripturæ sacræ interpretes, an Christus sacram instituendo Eucharistiam, pane azymo vel fermentato usus fuerit. Quæstio hæc pendet ab altera, scilicet quandonam Christus instituerit hoc sacramentum. Latini communiter docent Christum ultimam Agni paschalis cœnam celebrasse feria quinta ad vesperam, tempore quo non licebat apud Judæos uti pane fermentato ; Græci vero dicunt, ut usum panis fermentati defendant, Christum uno die cœnam Agni paschalis anticipasse, et ideo adhibuisse panem tunc usitatum, videlicet fermentatum.

A solvenda hac quæstione controversa abstinemus.

R. Nego conseq. Nam præceptum Christi dicentis : *Hoc facite*, etc., in substantiam ipsius actionis cadit, non vero in circumstantias, alioquin eadem hora, post cœnam, cum iisdem vestibus, etc., consecrandum esset : porro fermentum in pane ad substantiam sacramenti non pertinet, *ut diximus.* Ergo.

III. De praxi utriusque servanda. — Uterque panis, azymus aut fermentatus, est materia valida sacramenti, uti modo diximus. At ex dictis, scilicet ex decreto concilii Florentini, et ex constitutione Benedicti XIV, panis fermentatus est illicita materia pro Latinis et panis azymus pro Græcis.

Si vero Latinus in locis Græcorum, vel Græcus in locis Latinorum inveniatur, petitur in quo pane consecrare debeat. Si existant ecclesiæ ipsius ritus, pane sibi præscripto uti debet. Est sententia communis ut asserit S. Ligorius, l. vi, n. 203. Si vero ecclesiæ sui ipsius ritus non existant, ut si Græcus per Galliam transeat, pane in

Ecclesia in qua versatur usitato licite uti potest, ut docent Natalis Alexander, P. *Antoine*, *Suarez*, *Tournely*, S. Ligorius et communiter alii; quia etsi sibi liceat morem regionis sequi, ad id tamen non tenetur. Contra tamen contendit *Billuart* illum teneri, ex Constitutione S. Pii V, *Providentia Romani pontificis*, anni 1566, et ex altera Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, § 6, proprium servare ritum, nisi vel notabile timeat scandalum, vel fixum in ea regione acquirat domicilium et clero incorporetur.

§ II. — De vino eucharistico.

I. QUODNAM VINUM SIT MATERIA VALIDA SACRAMENTI APERITUR. — Ebionitæ, quamdam sobrietatis laudem quærentes, panes quidem azymos ad conficiendam Eucharistiam adhibebant, sed loco vini, aquam substituebant, ut refert S. Epiph., Hæresi 50.

Tatianus, in secundo sæculo, *aquam solam*, inquit idem Epiph., Hæresi 46, *in mysteriis usurpavit*.

Ex Tatiano orti sunt Encratitæ a verbo græco ἐνκρατος idem significante ac continens vel abstinens. Hi, juxta eumdem S. doctorem, Hæresi 47, dicebant vinum esse diabolicum, id est, a diabolo creatum, et ideo in Eucharistia ab illo abstinebant. Idem faciebant Manichæi, arbitrantes vinum a principio malo venire.

Quidam episcopi et sacerdotes Africæ, tempore persecutionis, a vino in sacrificiis matutinis abstinebant, ne ex odore vini agnoscerentur. Non præcise contra fidem errabant, sed institutioni et præcepto Christi adversabantur, ut ostendit S. Cypr., Epist. 63.

Illi omnes dicti sunt Aquarii, ut notat S. Aug., Hæresi 64.

PROPOSITIO.

Solum vinum ex vite est materia consecrationis calicis.

Prob. 1° *verbis institutionis.* Christus enim in cœna ait discipulis : *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem*

illum, etc. Pronomen *hoc* indicat materiam in calice contentam ante consecrationem fuisse jus de vite, id est, vinum; 2° Decreto ad Armenos, in quo de Eucharistia dicitur, *cujus materia est panis triticeus et vinum de vite;* 3° perpetua traditione, ut ex testimoniis Patrum supra citatis constat; 4° praxi omnium ecclesiarum et sectarum. Ergo.

II. Consectaria ad praxim spectantia. — *Hinc* 1° jus ex pomis, piris, cerasis, moris, malogranatis, etc., expressum, aliusve quilibet liquor, non ex vite proveniens, ad consecrationem calicis non essent valida.

Sed valet et licita est consecratio in quolibet vino naturali, gallico, hispano, italo, albo, rubro, generoso, insipido, etc., quia unumquodque simpliciter est vinum. Reverentia erga sanctissimum sacramentum postulat ut, quantum fieri potest, non adhibeatur vinum odoratu vel gustu ingratum : ex alia parte, vino extraneo et delectabili, v. g., quibusdam vinis hispanicis, sæpe imprudenter uteretur, quia non raro hujusmodi vina vel omnino fuerunt fabricata, vel alienis substantiis commixta.

Hinc 2° valida est consecratio in musto, quia mustum substantialiter est vinum, et ita nuncupatur : sed, extra casum necessitatis modo expositæ, graviter illicita esset, tum propter dispositionem Rubricæ superius citatæ, tum propter naturalem indecentiam et erga sacramentum irreverentiam. Notat *Beleth.* in Explicatione divini Off., cap. 144, « Christi sanguinem hac die (Transfigurationis) » confici ex novo vino, si inveniri possit, aut aliquantu» lum ex matura uva in calicem expressa. » Mos ille fuit et adhuc est usitatus in diversis ecclesiis. In aliis benedicebantur racemi qui postea distribuebantur. (*Origines et raisons de la Liturgie*, v° *Transfiguration.*)

Sed non valeret jus in uvis adhuc contentum vel in pane imbibitum, quia non habet formam vini; nec omphacium, gallice *verjus*, quia nondum est vinum simpliciter dictum; nec acetum, quia est vinum substantialiter corruptum; nec sapa, seu vinum ad mediam aut tertiam partem coctum, quia non est amplius simpliciter

vinum; nec lora, id est aqua expressis acinis superfusa, gallice *piquette*.

S. Congr. S. Officii, julio 1705, declaravit liquorem ex uvis pressis ope cujusdam fermentationis expressum, in Æthiopia, ubi aliud vinum deficit, usitatum, esse materiam divini sacrificii validam ac licitam (*Ferraris*, v° *Euch.* art. 2, n. 31).

Hinc 3° vinum aliis liquoribus vel aromatibus in modica quantitate immixtum, est materia valida, sed illicita, propter rationes in numero præcedenti expositas. Si commixtio in notabili sit quantitate, materia erit dubia ac proinde nunquam adhibenda.

Hinc 4° vinum acescens est materia valida, siquidem substantia vini existit, sed illicita, propter honorem sacramento debitum. Si post consecrationem sacerdos graviter dubitet an vinum sit omnino acetum, vinum certo validum consecrandum est sub conditione : consecrandum est, ne sacrificium maneat incompletum; sed conditionate, ne, si prior consecratio calicis fuerit valida, aliud incipiatur sacrificium quod maneret imperfectum. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 206. Vinum graviter dubium, super quod Verba consecrationis fuerunt prolata, in vas mundum erit fundendum, et, post communionem, ante primam ablutionem sumendum.

Sacerdos autem vinum acescens aut etiam aliquantulum acre, extra necessitatem consecrans, mortaliter peccat ; ut expresse dicit Rubrica Romana de Defectibus, § 4, n. 2. Dicimus, *extra necessitatem* quia plurimi, apud S. Ligorium, n. 207, *Quæritur* 1, probabiliter docent quod, deficiente alio vino, adhibere liceat vinum parum acescens, prout facere solent viri probi ; imo licitum fore, urgente gravi necessitate, uti vino notabiliter acescente, modo constet adhuc esse vinum ; non vero si dubium foret, ut de pane dubio diximus.

Hinc 5° plures dubitant an vinum congelatum valide consecrari possit, quia non est potabile ; et quia aqua congelata ad Baptismum non valeret. — Alii vero communius docent illud valide consecrari posse ; — a) quia substan-

tiam vini retinet ; — b) quia vinum nihilominus apellatur ; — c) quia si species vini post consecrationem congeletur, sanguis Christi sub illa remanet; siquidem ex Rubrica de Defect. § 10, n. 11, habetur : « Si in hieme » sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis ca» lefactis, donec liquefiat. » Nec valent rationes oppositæ. Non 1ª, quia si vinum congelatum non sit potabile, hoc fit per accidens, quod facile tollitur ; panis nimis obduratus non est comestibilis, et tamen est materia valida : ergo *a pari*, etc. Non 2ª ; quia Baptisma non est sacramentum permanens sicut Eucharistia, nec conferri potest, nisi per modum ablutionis, ut fert ipsius nomen, et ablutio non fit, nisi aqua hic et nunc fluat.

Quidquid sit, certum est non licere vinum congelatum consecrare, propter reverentiam sacramento debitam ; at si per inadvertentiam vel aliter hujusmodi vinum fuerit consecratum, valet sacrificium : et S. Ligorius affirmat aliud vinum non esse consecrandum, quia prima sententia nulla pollet ratione solida.

§ III. — De aqua in calice cum vino miscenda.

I. An debeat in conficiendo sacramento aqua cum vino infundi. — Olim tenebant Armeni aquam cum vino miscendam non esse, et hujus erroris accusati sunt in concilio Trullano, anno 692, et in illo perseverasse videntur, siquidem Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, *Labbe*, t. XIII, sic habet : « Decernimus ut etiam ipsi Ar» meni cum universo orbe christiano se conforment, eo» rumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, » prout dictum est, admisceant vino. »

PROPOSITIO.

Aqua commiscenda est vino in Eucharistia.

Propositio ista 1° est certa, utpote clare expressa in concil. Trid., sess. 22, can. 9 : « Si quis dixerit... aquam » non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod

» sit contra Christi institutionem ; anathema sit. » 2° Probatur ex perpetua traditione : eam expresse docet S. Just., Apol. 1 : « Diaconi panem, vinum et aquam, in quibus » gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium distribuunt et » ad absentes perferunt. » S. Cypr., in Epist. 63 jam citata, ubi referens hæc Sapientiæ verba : *Venite... et bibite vinum quod miscui vobis*, ait : « Vinum mixtum declarat » (Spiritus sanctus), id est, calicem Domini aqua et vino » mixtum ; » 3° testimonio omnium liturgiarum latinarum, græcarum aliarumque orientalium. Ergo, etc.

Hæc commixtio aquæ est quidem de præcepto ecclesiastico sub mortali : generaliter enim creditur Christum aquam cum vino commiscuisse, et Ecclesia voluit ut ejus ministri idem facerent in memoriam actionis Christi, ad repræsentandam aquam ex latere ejus cum sanguine fluentem et ad significandum populum ipsi adunari, ut ait S. Cypr. in Epistola modo citata, et post eum Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, loco superius indicato. Sed non est de necessitate sacramenti : id omnes fatentur, quidquid in contrarium de Catholicis dicant Protestantes ; nec etiam probabilius de præcepto divino, licet plures affirment.

II. Notanda practica circa infusionem aquæ cum vino miscendæ. — 1° Commiscenda est aqua naturalis in modica quantitate, juxta verba Eugenii IV, *paululum aquæ*, scilicet, una vel altera gutta, modo tamen sit sensibilis : tertiam partem non excedat, alioquin consecrationem redderet nullam vel saltem dubiam. *Ita communiter theologi.*

Quoniam in pluribus locis mos invaluerat ut nimia quantitas aquæ in calicem infunderetur, concil. Tiburiense, anno 895 celebratum, statuit, can. 19, « duas » saltem in calice debere esse vini partes, tertiam aquæ. » Non exigit ut tertia pars aquæ infundatur ; sed prohibet ne excedatur.

Si plus aquæ quam vini fuerit in calice, putat *Drouin* valituram tamen consecrationem, quia natura vini remanet et præsumitur Christum non paucissimam miscuisse

aquam ; cæteri vero negant, et merito ; materia enim calicis est vinum simpliciter : porro commixtio vini et aquæ, in pari quantitate, simpliciter dici non potest vinum, sed vinum cum aqua vel aqua cum vino. Neque valent rationes allegatæ. Non 1ª ; alioquin modica vini quantitas cum aqua immixta valide etiam consecrari posset, siquidem naturam suam physice retinet. Non 2ª; ex traditione et agendi ratione Ecclesiæ, præsumitur Christum non multam adhibuisse aquam ad consecrandum calicem : quia non propter temperantiam sic in illa circumstantia agebat, sed ad repræsentandam aquam ex latere suo cum sanguine fluentem et ad significandum populum sibi adunari.

In eo casu igitur iterum consecrandum esset, saltem sub conditione.

2° Qui misceret aquam rosaceam vel aliam artificialem, etiam in casu necessitatis, mortaliter peccaret, quia in re gravi contra consuetudinem et præceptum Ecclesiæ ageret.

3° Nonnulli dicunt infundere aquam calidam esse peccatum mortale ; alii vero nimis durum æstimant. S. Ligorius videtur approbare ut in regionibus frigidissimis aqua calida adhibeatur, si ita sinat consuetudo, ne vinum congelescat.

Græci solent, sicut et nos, aquam frigidam vino ante oblationem immiscere, ut ex antiquissimis eorum liturgiis, videlicet S. Jacobi, S. Basilii, S. Joannis Chrys. constat ; sed insuper quasdam aquæ ferventis guttulas in calicem ante communionem infundunt, ad significandum sancti Spiritus fervorem et conditionem aquæ ex latere Christi adhuc calido fluentis. Vide *P. Goar* et P. *Le Brun*.

Commixtio aquæ cum vino non facienda est in dolio neque in urceolo, non domi, nec in sacristia, sed in calice ante oblationem; a celebrante in Missa privata, a subdiacono in Missa solemni.

Si celebrans ante consecrationem adverteret se commixtionem omisisse, aquam benedicere et infundere deberet; si post consecrationem, nihil faciendum esset.

4° De fide non est aquam converti in sanguinem Christi : Innocentius III, Decretal. l. III, tit. 41, cap. 6, dicit probabiliorem esse opinionem quæ *asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*. Hæc sententia facta est communis inter theologos, qui tamen circa modum hujus conversionis sibi non consentiunt : — quidam dicunt aquam converti in aquam quæ ex latere Christi cum sanguine fluxit ; sed hæc opinio generaliter rejicitur ut irrationabilis ; quia tunc aqua seorsim a vino consecraretur, sicut vinum a pane. — Alii communissime tenent aquam immediate converti in vinum et mediate in sanguinem Christi. Ratio eorum est, quia sola materia consecrabilis convertitur in sanguinem Christi ; atqui solum vinum de vite est materia calicis : ergo. Hæc ratio supponit quod probandum foret, scilicet aquam cum vino mixtam non esse consecrabilem. — Plures sancti Patres contrarium sensisse videntur ; v. g., S. Hieronymus et S. Ambros. a S. Ligorio citati, l. VI, Innocentius III, modo relatus. Unde *Layman*, card. *de Lugo*, *Tournely*, *Collet*, et plures alii docent vinum et aquam in sanguinem Christi simul et immediate converti.

Cæterum, cum illa controversia nullius sit momenti, eam dirimere non intendimus.

§ IV. — De modo quo materia debeat esse præsens et determinata.

I. De modo quo materia determinari debeat quantum ad præsentiam. — Apud omnes constat materiam Eucharistiæ sacerdoti celebranti moraliter et sensibiliter præsentem esse debere, idque eruitur ex verbis Christi, *Hoc est*, *Hic est*, quæ rem præsentem indicant ; — ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ materiam absentem nunquam consecravit, nec consecrari posse dixit ; ex natura sacrificii hostiam præsentem supponentis.

Hinc 1° valide consecrantur vinum in calice cooperto,

in vase vel cantharo clauso, hostiæ in ciborio inclusæ, sub cumulo latentes. Si vero sub corporali, sub mappa, in Missali laterent, non ita constaret validam fore consecrationem : plurimi affirmant; alii dubitant : ideo pars tutior, casu adveniente, eligenda foret; id est, si hostiæ sic dubie consecratæ necessariæ essent ad communionem dandam fidelibus, vel ad benedictionem impertiendam, iterum verba consecrationis sub conditione pronuntianda essent; secus illæ hostiæ sumendæ forent a celebrante post sanguinis sumptionem; ante primam ablutionem. Item valide consecrat cæcus, vel alius sacerdos in tenebris celebrans; quia non requiritur ut materia videatur aut tangatur : sufficit ut in se vel in continente videri, tangi, vel monstrari possit. Unde auctores non probant eorum praxim qui os ita proxime admovent, ut halitum in calicem vel in panem inspirent.

Hinc 2° invalide certo consecraretur materia in tabernaculo inclusa, post altare posita, vel longe distans, etsi videri posset, quia reipsa moraliter præsens non esset, quamvis stricte determinari non possit quanta esse oporteat distantia ut consecratio sit nulla. Card. *de Lugo* et plures cum illo docent eam ad viginti passus certo valituram; sed saltem illicita esset ac proinde nunquam sic facienda. Similiter materia tam modica ut sensu percipi non possit, invalide consecraretur.

II. Quonam momento præsentari debeat materia sacramentalis. — Sufficit ad validitatem consecrationis, si materia consecranda saltem offeratur antequam consecratio fiat; quia oblatio non est essentialis juxta omnes. Ut vero res licite fiat, materia præsens esse debet ante oblationem. Si tamen, oblatione jam facta, sed ante præfationem, imo et ante canonem parvæ hostiæ pro fidelibus communicandis offerantur sacerdoti consecrandæ, licite eas consecrat, oblationem mentaliter supplendo, si alias plures sine communione manerent. Sic Gavantus, et communiter theologi quibus consentit Benedic. XIV, de Missæ sacrificio, l. III, cap. 18, n. 5; si vero unus tantum mansurus esset, potius ei danda foret pars magnæ

hostiæ, v. g., ne diutius exspectaret. Sic multi apud S. Ligorium.

III. QUOMODO MATERIA SACRAMENTALIS DEBEAT DETERMINARI QUOAD INTENTIONEM SACERDOTIS. — Non sufficit ad validitatem consecrationis materiam esse præsentem, sed requiritur ut determinetur intentione consecrantis ; —a) hoc postulant pronomina demonstrativa *hoc* et *hic* ; — b) actiones circa objecta indeterminata exerceri non possunt, sed tantum circa singularia et certa.

Hinc 1° invalide consecraret qui dimidiam vel tertiam partem hostiarum, juxta se positarum, consecrare vellet, eas in intentione aliter non determinando.

Hinc 2° invalide consecrarentur hostiæ, inscio sacerdote, etiam in corporali positæ, a cumulo sejunctæ, quia sacerdos eas penitus ignorans, veram non habuit intentionem illas consecrandi. Similiter non consecrantur guttæ calici exterius adhærentes, nec probabilius quæ interius adhærent, quia non sunt per modum continui, nec ideo includuntur in intentione celebrantis qui, dicentes : *Hic est*, etc., vinum in calice coadunatum, non vero guttas ab illo separatas, consecrare naturaliter intendit. Hic tamen sibi non consentiunt theologi : idcirco hujusmodi guttæ, nisi formaliter consecrans eas ab intentione sua exclusisset, habendæ forent ut dubie consecratæ, et saltem cum prima ablutione sumendæ. Sedulo igitur, non tamen scrupulose, abstergendæ sunt, ante oblationem, particulæ vini et aquæ calici interius adhærentes, et melius videtur formalem habere intentionem eas, quæ forte remanerent, non consecrandi. Idem dicendum est de micis in patena vel corporali separatis, non autem de iis quæ adhærent hostiis consecrandis vel in ciborio sunt; simul cum hostiis consecrari debent. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 215.

Hinc 3° sacerdos qui positivam habuit intentionem materiam præsentem consecrandi, etsi plures sint hostiæ a se vel ab alio positæ quam putat, omnes valide consecrat, quia omnes in intentione ejus realiter includuntur. Item si ante consecrationem, de hostiis consecrandis

monitus fuerit et consenserit, valide consecrat, licet actu de illis non cogitet, quia habuit intentionem virtualem ad validitatem sacramenti sufficientem.

Similiter, quamvis ciborium in corporali positum discooperire, ut fert rubrica, oblitus fuerit, sive pro oblatione, sive pro consecratione, valet nihilominus consecratio, modo de illa facienda prius cogitaverit. *Est sententia communis.* Non valeret vero probabilissime si ex oblivione ciborium extra corporale relictum fuisset; quia, cum ibi consecrari non possit absque peccato, sacerdos non censetur habuisse intentionem illud sic consecrandi. Quoniam tamen nonnulli arbitrantur hostias in eo casu esse consecratas, sumi debent ante primam ablutionem. Ita communiter theologi, contradicente tamen S. Ligorio. l. VI, n. 217.

Illicite consecrat, qui nimiam panis aut vini quantitatem abbibet, propter periculum ne aliquid depereat aut corrumpatur; — qui vas in quo positæ sunt hostiæ consecrandæ non aperit, — qui hostias extra corporale positas consecrare sibi proponit; — qui guttas calici exterius adhærentes vult consecrare : adesset enim profanationis periculum.

§ V. — De unione utriusque speciei in consecratione.

I. An debeant utraque species simul consecrari. — Certum est unam speciem sine altera, saltem seclusa intentione alteram non consecrandi, valide consecrari posse : nam, prolatis verbis : *Hoc est corpus meum*, statim corpus Christi sub specie panis existit; et similiter sanguis sub specie vini, dictis verbis : *Hic est sanguis meus.* Ergo. Quid si celebrans positivam haberet intentionem alteram speciem non consecrandi? Dicemus infra.

PROPOSITIO.

Jure divino prohibetur ne una species sine altera consecretur.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Christus enim, postquam panem et vinum in corpus et sanguinem suum consecravit, dixit discipulis, et cunctis sacerdotibus eorum in eo successoribus : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo præcepit ut similiter panem et vinum consecrarent. Sic universalis et constans traditio prædicta Domini verba intellexit et catholica Ecclesia docuit, ut ait concil. Trident., sess. 22, cap. 1.

2° *Concilio Trid.*, sess. 22, cap. 1, ubi dicitur Christum, qui corpus suum et sanguinem sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, Apostolis præcepisse ut idem facerent, et canone 2 ejusdem sess. definitur : « Si quis » dixerit illis verbis : *Hoc facite*, etc., Christum non in» stituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi » aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum ; » anathema sit. » Ergo, juxta mentem concilii, unam speciem ab altera separare non licet.

3° *Ratione.* — a) Nam Eucharistia per modum convivii spiritualis, in quo est cibus et potus, instituta est, quod expressius et perfectius sub utraque specie significatur. — b) Quotiescumque hoc sacramentum conficitur, simul offertur Deo sacrificium : ad hujus autem essentiam requiritur consecratio utriusque speciei, ut infra ostendetur. Ergo.

Quidam arbitrati sunt præceptum istud esse tantum ecclesiasticum, et summum Pontificem ab illo dispensare posse ; sed alii communissime docent illud esse divinum, propter rationes modo expositas, ac consequenter Pontificem maximum ab illo dispensare non posse, ne quidem ut viaticum moribundo ministraretur.

Petitur an valida esset consecratio si sacerdos positivam haberet intentionem alteram speciem non consecrandi. Negat card. *de Lugo*, et ratio ejus est, quia essen-

tia sacrificii in consecratione utriusque speciei consistit et dividi non potest. Alii vero communiter affirmant, quia forma unicuique speciei applicata, facit totum morale : ergo effectus producitur.

Quidquid sit, certum est gravissime peccaturum sacerdotem qui unam speciem sine altera consecrare intenderet, « quia diviso unius ejusdem mysterii sine grandi » sacrilegio non potest provenire. » Decreti Gratiani 3ª parte, dist. 2, can. 12.

II. Consectaria practica. — Ex obligatione consecrandi utramque speciem plura consectaria sequuntur ;

Hinc 1° sacerdos unam speciem sine altera consecrare non posset, etiam ad vitandam mortem ab alio ob hunc finem minatam, quia contra præceptum divinum directe ageret.

Hinc 2° si advertat se protulisse verba consecrationis in aquam vel alium liquorem a vino diversum, vinum aqua immixtum et mente oblatum consecret, ut fert Rubrica, *ne sacramentum remaneat imperfectum.* De cætero videatur Rubrica Missalis, *de Defectibus,* ubi varii casus solvuntur.

Hinc 3° si, hostia consecrata, celebrans subito moriatur, vel loquelam perdat, vel in amentiam incidat, alius, si fieri potest, accersatur sacerdos, etiam non jejunus, qui Sacrificium perficiat ; et si sacerdos deficiens communicare possit, fragmentum hostiæ ab illo consecratæ ei tribuatur, ut perfectius sit sacrificium. Ita S. Ligorius, l. vi, n. 197, et plures apud ipsum.

Attamen obligatio alteram speciem consecrandi cessat : — a) si sacerdos non advertat se alium liquorem pro vino consecrasse nisi postquam altare deseruit ; — b) si vinum non habeat, vel si illo, absque vitæ periculo, aut magno simili incommodo uti non possit ; — c) si, post hostiam consecratam, subitum mortis periculum immineat, ab hostibus, ab incendio, a fulmine, etc., secluso tamen scandalo et fidei contemptu ; — d) si, celebrante deficiente, alius non inveniatur sacerdos qui Sacrificium continuare possit, antequam moralis interruptio existat :

moralis autem interruptio censetur existere si spatium duarum horarum effluxerit, inquit *Collet*. Pro diversis his exceptionibus vide Rubricam *de Defectu vini*, n. 8, et S. Ligorium, l. VI, n. 197.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FORMA EUCHARISTIÆ.

Cum in Eucharistiæ sacramento duplex sit materia, duplex similiter debet esse forma. Sed in ea determinanda et in genuino sensu ejus assignando non omnes consentiunt.

I. DE ERRORIBUS AUT VARIIS OPINIONIBUS CIRCA FORMAM EUCHARISTIÆ. — 1° Circa hoc punctum varie pro more suo errarunt protestantes. *Bucer* contendebat nulla verba esse proferenda; Calvinus formam apud nos usitatam magicam incantationem appellat, vultque verba institutionis per modum concionis, ad excitandam fidem, pronuntiari; Chemnitius cum aliis Lutheranis dicit hæc verba esse simul concionatoria et consecratoria. Hodierni Protestantes, quidquid supernaturale est rejicientes, nullam vim tribuunt verbis quibus Eucharistia consecratur.

2° Græci, post verba consecrationis apud nos usitata, quamdam pronuntiant orationem qua petunt ut panis fiat corpus et vinum sanguis Domini : quidam inter theologos eorum dicunt hanc orationem ad formam essentialem pertinere, ut videre est apud Arcudium, l. III, cap. 27 et seq. Ejusdem sententiæ est P. *Lebrun*, t. V, et contendit invocationem quæ apud Latinos verba institutionis præcedit ac in omnibus liturgiis invenitur, ad validitatem consecrationis necessariam esse.

3° Innocentius III, Tractatu *de Sacramentis*, l. IV, de sacro altaris mysterio, cap. 6, docet sane dici posse Christum divina virtute confecisse sacramentum, et postea expressisse formam sub qua posteri consecrarent. Alii dicunt illum quædam pronuntiasse verba nobis incognita; alii denique bis dixisse : *Hoc est corpus meum*, *Hic est*

sanguis meus, una vice ad consecrandum, et altera ad porrigendum corpus et sanguinem suum.

II. QUID PERTINEAT AD SENSUM, VALIDITATEM AUT LICITATEM FORMÆ EUCHARISTIÆ. — 1° Certum est verba consecrationis non esse tantum concionatoria : patet tum ex modo quo Christus Eucharistiam instituit et ex sensu Ecclesiæ, tum ex iis quæ in Tractatu *de Sacramentis in genere*, diximus.

2° Sepositis variis opinionibus de verbis ad essentiam sacramenti requisitis, apud omnes constat valere consecrationem, dummodo verba institutionis et invocatio quæ ea apud nos antecedit et apud Græcos sequitur, debite pronuntientur. Nulla igitur est ratio cur ex diversis theologorum opinionibus aliquod suboriatur dubium.

3° Communitur docetur Christum corpus et sanguinem suum effecisse, dicendo *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* plurima enim citantur Patrum testimonia quæ alium non patiuntur sensum, v. g., Tertull. contra Marcion., l. IV, c. 40 : « Acceptum panem... corpus il- » lum suum fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo. » S. Ambros. vel alius auctor, de Sacramentis, l. IV, cap. 4, de Eucharistia loquens, ait : « Consecratio autem cujus » verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. » Et eo sensu loquitur concil. Trid., sess. 13, cap. 1. Hæc tamen assertio non est de fide, ut omnes fatentur.

4° Certum est preces liturgicas consecrationem antecedentes vel immediate sequentes, ut apud Græcos, ad necessitatem sacramenti non pertinere, sed sola hæc Christi verba : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* idque constat — a) ex numero præcedenti : si enim Christus his solis verbis consecraverit, alia non sunt adhibenda ut essentialia, nisi in Scriptura, vel in traditione inveniantur præscripta : atqui talia verba non inveniuntur præscripta : atqui talia verba non inveniuntur præscripta : ergo. — b) Vi verborum corpus Christi est sub specie panis et sanguis sub specie vini : duplex ergo debet esse forma sicut duplex materia : atqui preces liturgicæ utrique materiæ sunt communes : ergo. — c) Apud

Græcos sicut apud Latinos statim post verba : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, sacramentum adoratur : ergo creditur Christum esse præsentem ante Spiritus sancti invocationem. Itaque, si petatur quod panis corpus et vinum sanguis Christi fiant, id ita intelligendum est, scilicet, « ut fiant nobis in purgationem animæ, in remis- » sionem peccatorum, et non fiant in judicium et con- » demnationem nostram. » Sic Papæ eos interroganti responderunt ipsi Græci in concilio Florentino ; *Labbe*, t. XIII. Unde Latini consuetudinem eorum non redarguerunt. Ergo.

Si tamen ob aliquem defectum iteraretur consecratio, a verbis *Qui pridie quam pateretur* incipiendum esset pro pane, et a *Simili modo*, pro vino, ut habet expresse Rubrica.

5° Ad validitatem consecrationis requiritur et sufficit ut sensus verborum non mutetur substantialiter, juxta quod diximus in Tractatu *de Sacramentis in genere*. Unde — a) nulla vel dubia est consecratio si dicatur adverbialiter : *Hic est corpus meum, hic est sanguis meus* ; vel : *Hoc corpus est meum, Hic sanguis est meus* ; vel : *Hoc est substantia mea, Hoc est corpus Christi* ; vel : *Hoc fit, hoc sit corpus meum*, etc., quia in his omnibus casibus sensus non est idem. — b) Si, e contra, dicatur : *Hic cibus, hic potus, hæc res est corpus meum ; est sanguis meus ; hic calix est novum Testamentum in sanguine meo ; Hic est sanguis meus infiniti valoris*, etc., valeret, sed graviter illicita esset consecratio. — c) Plures et quidem graves theologi inter quos S. Thomas, p. 3, q. 78, a. 3, arbitrantur, pro consecratione sanguinis, præter verba : *Hic est calix sanguinis mei*, sequentia *novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, essentialia esse ; quia sola virtutem sacramenti exprimunt et pleraque ab ipso Christo prolata sunt : quamvis sententia opposita communior et probabilior videatur, certum est consecrationem sine his verbis factam habendam esse ut dubiam et sub conditione iterandam. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 224.

7° Pronuntiatio vitiata aut imperfecta judicanda est ex iis quæ diximus in Tractatu *de Sacramentis*.

Cæterum curare debet celebrans ne aliquid omittat vel imperfecte pronuntiet, et tamen ab omni repetitione sedulo abstinere; quia talis sanctissimorum verborum prolatio vera est erga Christum irreverentia : stet Rubricæ sic se habenti, titulo 5, n. 2 : « Si celebrans non recorde» tur se dixisse ea quæ in consecratione communiter di» cuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei » constet se omisisse aliquid eorum quæ sunt de neces» sitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde pro» babiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret » formam saltem sub tacita conditione. »

CAPUT TERTIUM.

DE EUCHARISTIÆ MINISTRO.

Duplex distinguitur minister Eucharistiæ, unus confectionis, et alter distributionis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MINISTRO CONFECTIONIS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Quidam veteres hæretici de quibus S. Irenæus, contra Hæres., cap. 13, n. 2, S. Aug., Hæresi 27, munia sacerdotalia laicis et ipsis etiam mulieribus tribuebant. Valdenses efficaciam sacramentorum ex sanctitate ministri, repetentes, dicebant sacerdotem, peccati mortalis reum, valide consecrare non posse, bene vero id posse laicum probatum. Lutherus variis in locis asserit quoslibet Christianos, vi Baptismatis, potestatem consecrandi habere; eam tamen, ad vitandam confusionem, exercere non posse, nisi vel legitime fuerint vocati, vel urgens necessitas ad id eos compellat, v. g., ut ait Grotius, si desit pastor et urgeat sacramenti necessitas.

PROPOSITIO.

Soli sacerdotes Eucharistiam valide consecrare possunt.

Prob. Scriptura sacra, traditione, concilio Trid. et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Christus enim sacramentum Eucharistiæ instituens, solis Apostolis hic recumbentibus, ac proinde solis sacerdotibus eorum in eo, ut ex tota traditione constat, successoribus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem :* ergo soli sacerdotes hanc habent potestatem. Ergo 1°.

2° *Traditione.* S. Epiph., Hæresi 79, ait : « Neque diaconis ecclesiastica regula concreditum est peragere sacrificii mysteria, sed ministrare tantum dum perficiuntur. » S. Hieron., Dial. adversus Lucif., 2ª part., de Hilario diacono et Luciferiano dicit : « Neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens : » Concil. Nicæn. I, can. 18, « prohibet ne diaconi communionem presbyteris distribuant, eo quod nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi. » Ergo.

3° *Concilio Trid.*, sess. 22, can. 2 : « Si quis dixerit illis verbis : *Hoc facite*, etc., Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum ; anathema sit. » Propositionem nostram strictis verbis non definit, sed eam evidenter supponit. Ergo 3°.

4° *Ratione.* Si laici radicalem habuissent potestatem consecrandi, nonne Ecclesia permisisset saltem anachoretas, vitam angelicam in desertis agentes, vel confessores fidei in carceribus detentos, ea uti potestate, ne sacramento adeo sibi necessario privarentur? atqui tamen id nunquam permisit : in primis Ecclesiæ sæculis hi sancti viri et etiam simplices fideles divinam Eucharistiam asportare et sibi administrare poterant, consecrare vero nunquam. Ergo.

Si autem fideles dicantur a B. Petro, I Epist. II. 9, *regale sacerdotium*, et in Apocal., I, 6, *regnum et sacerdotes Deo*, id intelligendum est lato sensu, quatenus sacrificium laudis, orationum et bonorum operum Deo offerunt. *Sacerdotium sanctum*, inquit S. Petrus, ibid. ℣. 5, *offerre spirituales hostias*.

Quidam objiciuntur canones concilii Arelatensis, anni 314, Ancyrani, ejusdem anni, etc., ex quibus inferre volunt adversarii diaconos sacram Eucharistiam confecisse. Verum 1° non de consecratione divinæ Eucharistiæ intelligendi sunt, sed de illius administratione aut de participatione ad illius consecrationem, quatenus diaconi episcopis et presbyteris celebrantibus assistebant; 2° ad summum probarent aliquos diaconos potestatem consecrandi ex ignorantia vel ex malitia usurpasse; sed nihil inde sequeretur.

Quæritur an plures ministri eamdem hostiam et idem vinum simul consecrare possint.

R. affirmative, modo oblata sint omnibus moraliter præsentia, et omnes verba consecrationis eodem instanti pronuntient; prolatis quippe verbis formæ, species certo sunt consecratæ : at consecratio uni potius quam aliis tribui non potest : ergo omnibus attribuenda est.

Disputatur an novi presbyteri cum episcopo in ordinatione celebrantes reipsa consecrent. Quidam negant; quia materia non sufficienter est præsens; quia formam non nisi post episcopum pronuntiant; quia sub specie vini non communicant. Alii vero probabilius affirmant, nituntur que 1° textu Pontificalis episcopum monentis « ut » bene advertat quod secretas morose dicat et aliquantu» lum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum om» nia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici » debent eodem momento per ordinatos quo dicuntur per » pontificem. » 2° Rubrica ejusdem Pontificalis, quæ sic se habet : « Accedunt ante altare presbyteri, qui ante » communionem non dicunt confessionem, nec datur eis » absolutio, quia concelebrant pontifici. » 3° In consecratione episcopi, apud Latinos, consecrandus et consecra-

tor simul consecrant eamdem hostiam et idem vinum. 4° Apud Græcos, in locis in quibus unicum est templum. presbyteri episcopum circumstantes cum illo consecrant. Ergo. *Ad rationes sententiæ oppositæ respondent :* materiam esse moraliter præsentem et hanc præsentiam sufficere ; — verba formæ eodem momento, ex Pontificali, pronuntianda esse a novis presbyteris et ab episcopo, et insuper episcopum non habere intentionem consecrandi independenter a novis presbyteris, ac proinde sensum verborum ab ipso prolatorum manere suspensum donec accedant verba aliorum concelebrantium ; — novos presbyteros sub unica specie communicare, quia non sunt principales celebrantes, et ad perfectionem sacrificii sufficere ut principalis celebrans utramque sumat speciem. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO DISTRIBUTIONIS.

Duplex est distributionis Eucharistiæ minister, unus ordinarius et alter extraordinarius. De utroque dicetur in duplicii paragrapho ; tertium addemus circa conservationem et administrationem sacræ Eucharistiæ.

§ I. — De ministro ordinario distributionis Eucharistiæ.

1. Quinam sint ministri ordinarii distributionis Eucharistiæ. — Soli episcopi et presbyteri sunt ministri ordinarii distributionis Eucharistiæ. Id probatur 1° Scriptura sacra. Soli episcopi et presbyteri sunt ministri confectionis Eucharistiæ, ex his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem ;* atqui sacramentum istud conficiunt ; eo ipso illius sunt administratores ; 2° concilio Trid., sess. 13, cap. 8, ubi legitur : « Semper in Ecclesia Dei » mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem accipe- » rent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communica- » rent ; » 3° auctoritate S. Thomæ, 3ª part., q. 82, art. 3, et omnium theologorum. Hujus rationem affert S. Thom.,

quia, in reverentiam hujus sacramenti, a nulla re contingi debet nisi consecrata; unde corporale et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum.

II. De necessitate alicujus jurisdictionis ut ministri licite Eucharistiam administrent. — Aliqua requiritur jurisdictio in sacerdote Eucharistiam licite administret. Nam 1° conditio est sacramentorum ut non nisi ab habentibus jurisdictionem licite administrentur, 2° Pastorum est oves suas pascere : at inter actus pascendi gregem computanda est Eucharistiæ administratio. 3° « Religiosi » qui clericis aut laicis sacramentum Extremæ-Unctionis » vel Eucharistiæ ministrare... præsumpserint, excom- » municationis incurrant sententiam ipso facto, per Se- » dem Apostolicam duntaxat absolvendi; » Clement. lib. v, tit. 12, cap. 1. Quare autem hæc censura, si nulla requiratur jurisdictio? Ergo qui absque ulla jurisdictione Eucharistiam administraret, mortaliter peccaret; insuper inferior sacerdote id faciens, irregularitatem incurreret. Vide S. Ligorius, l. vi, n. 234.

Sufficientem autem habet jurisdictionem qui ad celebrandum in aliqua admittitur ecclesia, nisi rector ecclesiæ positive et rationabili de causa contradicat; — qui Missam celebrat in oratorio privato, ubi, ex concessione speciali, Eucharistia asservatur et fidelibus petentibus distribui solet; seclusa vero speciali concessione, consecrare non posset in sacello privato, ut communionem petenti ministraret : licentia quippe celebrandi Missam in hujusmodi oratoriis non importat facultatem Eucharistiam asservandi, nec sacramentum aliquod ibi administrandi. — Regulares, privilegiis Julii II, Pauli III et Pauli IV, bulla Clementina modo citata posterioribus, facultatem obtinuerunt ut « omni tempore, præterquam in » die Resurrectionis Dominicæ, sacramentum Eucha- » ristiæ..... quibusvis personis licite ministrare pos- » sint. »

Notandum ab hujusmodi concessionibus et privilegiis semper excipi viaticum quod, absque licentia parochi vel

episcopi, aut vicarii generalis, administrari non potest : attamèn in casu summæ necessitatis hæc licentia præsumi potest; — primam communionem, et multis in locis secundam; imo quandoque tertiam communionem puerorum, quos sub hoc respectu proprio parocho specialiter subjici laudabilis consuetudo innuit.

§ II. — De ministro extraordinario distributionis Eucharistiæ.

I. An diaconi sint ministri extraordinarii distributionis Eucharistiæ. — Diaconi sunt ministri extraordinarii distributionis sacræ Eucharistiæ. Hoc enim acceptum est a traditione. S. Just., Apol. I. n. 65, de Eucharistia agens, dicit : « Qui apud nos dicuntur diaconi, » panem, et vinum, et aquam in quibus gratiæ actæ sunt, » unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad » absentes perferunt. » Concil. Nicæn. I, can. 14 : « Quod » si non fuerit in præsenti vel episcopus vel presbyter, » tunc ipsi (diaconi) proferant et edant. » Concil. Aquisgran. anno 816 celebratum, cap. 7; *Labbe*, t. VII : « Sicut » in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio est : » ille oblata sanctificat, is sanctificata dispensat. » Multa alia citari possent testimonia. Ergo.

Hanc facultatem Eucharistiam distribuendi habent diaconi, non ex concessione, sed vi suæ ordinationis, cum sint ministri sacerdotis ad altare : unde ex ipsius commissione possunt eum supplere in distributione sacramenti, quod ipse confecit. Sic *Billuart*.

Diximus tamen eos ministros extraordinarios; qui enim ministrare non debent nisi defectu episcopi et presbyteri, et ex commissione, sunt ministri extraordinarii : atqui tales sunt diaconi respectu sacramenti Eucharistiæ, ut patet ex concilio Nicæno modo citato, ex concilio Carthaginensi IV, can. 38, sic se habente : « Diaconus, præ» sente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, » si necessitas cogat, jussus eroget. » Ergo.

Usus in primis sæculis invaluerat ut diaconi universe ministrarent Eucharistiam, ex commissione generali

episcopi. Tempore S. Thomæ, ut constat ex resp. ad 1um, q. 82, a. 3, diaconi calicem tantum dispensabant ea probabili ratione, quam profert S. Doctor, quod sanguis Christi contineatur in vase, nec adeo necesse sit tangi a dispensante sicut tangitur corpus Domini. Nunc autem diaconi Eucharistiam ministrare non possunt nisi specialem habeant delegationem, saltem parochi. In nostra diœcesi requiritur delegatio episcopi aut vicarii ejus generalis, qui de sufficientia causæ allegatæ judicat.

Juxta communem sententiam, in extrema necessitate, diaconus adhuc posset et teneretur viaticum sine commissione moribundo administrare, et superpelliceo cum stola transversa indui deberet. Sic Billuart, de ministro Eucharistiæ, art. 3, et S. Lig. lib. VI, n. 436. Imo plerique dicunt non extremam necessitatem ad hoc requiri sed gravem sufficere. Apud Neyraguet. p. 424.

II. De aliis clericis quoad sacramenti dispensationem. — Nullus clericus diacono inferior fuit in Ecclesia minister etiam extraordinarius dispensationis Eucharistiæ : attamen olim quandoque sanctissimum illud sacramentum committebatur minoribus clericis, vel etiam laicis, qui illud ad alios deferrent, ut patet exemplo S. Tharsicii, acolythi et martyris, qui, sacramenta Domini deferens, a paganis mactatus est fustibus, ut legitur in Martyrologio, et pueri qui, a sacerdote infirmo missus, *Eucharistiam propria manu Serapionis ori admovit*. Theodoreti Hist. l. VI, c. 44.

Hæc autem consuetudo a multis sæculis inolevit, et nullus, sive clericus inferior, sive laicus, sacram Eucharistiam, sicut olim, accipere, deferre, in domo sua habere sibi vel aliis ministrare posset sine expressa summi Pontificis dispensatione. Ita communiter theologi cum S. Th. contra plures qui tenent veterem consuetudinem non esse abrogatam pro casu extremæ necessitatis, præsertim si licentia episcopi accedat, v. g., tempore pestis. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 237, *Quæritur* 2 et 3.

Quæritur an, urgente necessitate, aliquis sanctam Eucharistiam sibi administrare possit.

R. 1°. Habita sacerdotis copia, nullus, ne sacerdos quidem, extra Missam, communionem sibi licite ministrare potest, quia contra generalem Ecclesiæ disciplinam sine causa sufficienti ageret. *Sic generaliter theologi.*

R. 2°. Supposito quod sacerdos, in gravissimo mortis periculo constitutus, cui alius præsto non est sacerdos, divinam Eucharistiam e sacrario, vel de manu diaconi sacram pyxidem deferentis, sumere possit, se ita communicare potest et tenetur. Sic Durandus, *Suarez*, *Habert*, *Collet* aliique communiter theologi qui, ultra progredientes, dicunt sacerdotem, alterius sacerdotis adjutorio privatum, sola devotionis causa, v. g., in solemni festo et secluso scandalo, seipsum communicare posse; quia nulla est irreverentia erga sacramentum nec aliqua Ecclesiæ prohibitio.

R. 3°. Quod de sacerdote dicitur, communius theologi ad diaconum, ministerio sacerdotis destitutum, extendendum esse volunt; quia, ex concilio Nicæno I, can. 14, diaconus, in absentia episcopi et sacerdotis, Eucharistiam olim ministrare poterat: id autem pro casu necessitatis nulla lege prohibetur. Porro si aliis sacramentum istud ministrare possit, cur non sibi in pari necessitate constituto? Ergo. Sic *Suarez*, *Vasquez*, *Quarti*, *Collet*, *Billuart*, S. Ligorius, etc.

R. 4°. Quoad clericos diacono inferiores et laicos, communi sententia est eos non magis sibi quam aliis Eucharistiam ministrare posse, multi tamen contrarium tenent, ut videre est apud S. Ligorium, n° 237.

§ III. — De regulis observandis circa tempus, locum et modum sacram Eucharistiam administrandi, asservandi et ad absentes deferendi.

I. Tempus communionis. — 1° Est decretum S. Cong. Rituum diei 10 febr. 1622, quod prohibet ne sacra communio distribuatur fidelibus feria sexta in Parasceve : datur tantum ægrotis periclitantibus. Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. III, cap. 18, n. 14, docet nullis, Sabbato sancto,

nisi infirmis, ministrandam esse Eucharistiam, et idcirco in sola Missa, quam celebrare licet hac die, quæ est Missa noctis Paschæ anticipata, non cantari antiphonam quæ appellatur Communio, quia communio non est distribuenda. Attamen ex decisionibus S. Cong. Rit., diei 22 mart. 1806, et 7 sept. 1850, dari potest, sed tantum post Missam majorem. Cæteris diebus eam dispensare licet.

2° Qualibet hora diei, per se loquendo, communio distribui potest, inquit S. Ligorius, n. 252, cum multis aliis, quia hac de re nulla existit prohibitio. Attamen, ex hodierna disciplina, consuetudine firmata, dari non debet nocte, nec sub vesperis; sed licite datur valde mane, quando Missa celebratur, et etiam post meridiem; imo probabile est, juxta eumdem S. Ligorium, licite dari sub vesperis si accedat aliqua specialis causa.

3° Dari non deberet in Missa Nativitatis Domini quæ dicitur de *Media Nocte*, ut definiit sacra Cong. Rit. per decretum supra citatum et per alia plura decreta, ut docent expresse Bened. XIV, de Missæ sacrificio, l. III, cap. 18; *Ferraris*, v° *Euch.*, n. 29; S. Ligorius, l. VI, n. 252, etc. Quidam, attestante *Ferraris*, ibid., a sacra Cong. petierunt ut « liceat in nocte Nativitatis Domini, » post cantatam primam Missam, alias duas immediate » celebrare et communicare fideles. Sacra Cong. respon- » dit nullo modo licere, sed omnino prohiberi. » Contrarius usus apud nos a longo tempore ubique vigens, cum bonis fidelibus valde placeat et ideo supprimi non posse videatur absque gravi pietatis detrimento, indulto pontificio nunc permittitur quoad communionem fidelium.

4° Convenit ut communio intra Missam, statim post communionem sacerdotis, fidelibus distribuatur. Rituale Romanum ait: « Communio autem populi intra Missam » statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri » debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam » sit facienda. » Regula igitur est ut communio fidelibus statim post sanguinis pretiosi sumptionem distribuatur; sed rationabilis causa, puta multitudo communicantium, nimia Ecclesiæ angustia, a servanda hac regula excusat.

lta Bened. XIV, de Sacrif. Miss., l. III, n. 18, n. 9, et Const. 64, *Certiores effecti*, n. 4 et 5.

5° Idem pontifex docebat, ibid., sacram communionem in Missis defunctorum cum paramentis nigris administrari posse, atque sententiam oppositam nullo modo admittendam esse. S. Rit. Cong. pluries hanc sacræ communionis distributionem omnino prohibuit fieri cum paramentis nigris; verum die 2 septembris 1741, statuit eam dandam esse ex particulis in ipsomet sacrificio consecratis, non vero ex particulis reservatis. Non percipimus cur Bened. XIV, cujus opus citatum typis mandatum est, anno 1748, de respons. S. Cong., diei 2 sept. 1741, non loquatur. Ead. Cong. de novo consulta per decisionem diei 12 aprilis 1823, respondit : *Dilata* (*Gardellini*, t. VII, p. 135 et 140.) Hac de re adhuc interrogata, varia referens decreta 22 januarii 1701, 22 nov. 1710, 2 sept. 1741, declarat, die 23 maii 1835, ea omnino esse servanda (*Gardell.*, t. VIII, p. 231.) Sed per novum rescriptum diei 23 sept. 1837, iterum respondit : *Dilata* et servetur rescriptum in Panormitana diei 12 aprilis 1823 (ubi jam *dilata*). Hæc est ultima responsio.

6° Extra Missam defunctorum, communio nunquam in paramentis nigris danda est : hinc juxta *Merati* et S. Ligorium, sacerdos in nigris celebraturus, communionem immediate ante Missam dare non debet, nec dare posset immediate post Missam, nisi prius exuerit vestes nigras et stolam coloris requisiti acceperit.

II. Locus communionis. — 1° Sacra communio dari potest in cunctis ecclesiis parochialibus; 2° in aliis ecclesiis vel oratoriis publicis in quibus asservatur Eucharistia vel etiam non asservatur, si Missa ibi celebretur, v. g., in capellis seminariorum, xenodochiorum, monialium. 3° In privatis autem oratoriis dari non potest, etiam ex particulis in Missa consecratis, sine expressa Ordinarii licentia : ita Benedict. XIV, de Missæ Sacrificio, l. III, cap. 18, n. 14, ac Epist. Encycl. ad episcopos Poloniæ, diei 2 junii 1751, § 23, et statuta diœcesis Cenomanensis, anni 1851.

III. Modus dandi communionem. — 1° Intra Missam, dicto *Confiteor* a ministro, sacerdos extrahit pyxidem e tabernaculo, si formulas distribuendas in ea Missa non consecravit, et, post genuflexionem, vertit se ad communicaturos, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam* in plurali numero, etiamsi unica esset persona; sequitur ea quæ præscripta sunt in Missali ac in Rituali; omnibus communicatis, revertitur ad altare nihil dicens, nec dat benedictionem, etiam in Missa defunctorum, ut asserit *Merati*, part. 2, tit. 10, n° 31.

2° Si communio immediate ante vel post Missam petatur et justa ratio suadeat eam dandam esse, idem observatur ritus, excepto quod semper detur benedictio et dicatur antiphona *O sacrum convivium*, cum versiculo et oratione, quæ tamen non sunt de præcepto, sed de rubrica directoria.

3° Ubi communio non immediate ante vel post Missam distribuenda est, duæ accendendæ sunt candelæ, juxta *Merati*; sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola coloris officio illius diei convenientis indutus, juxta decisionem S. Cong. Rit. 12 mart. 1836, indutus, dicto *Confiteor*, eam dat ut supra, et ad altare rediens, dicit antiphonam *O sacrum convivium*, versiculum et orationem ut in Rituali, et interea sacram pyxidem cooperit, in tabernaculo recondit, digitos abluit in vasculo super altare posito, et manu dextra signum crucis faciens, dat benedictionem, quam cum pyxide nunquam dare debet, nisi super infirmos, ut dicemus infra.

4° Si minister non adesset, unus e communicaturis vel ipse sacerdos diceret *Confiteor* et responderet *Amen*, ubi dicendum est : mulier autem hæc dicere non debet, nisi sit monialis inter claustrum.

5° In communione monialium habentium fenestellam ex parte evangelii, sacerdos descendere debet et revertere per gradus anteriores altaris, non vero per laterales; sic S. Cong. Rit. diei 25 septembris 1736, et *Ferraris*, v° *Benedictio*, art. 5, n. 38. Sic descendendum et ascendendum est cum sacra pyxide quacum-

que ex parte sita sit mensa communionis : sic *Romsée*.

6° Sacerdos qui pollice et indice vel illorum usu privaretur, sacram communionem distribuere non posset; quia etsi tota manus sit consecrata, pollex tamen et index ad hoc ministerium, ex ritu Ecclesiæ, deputantur. Unde dispensatione summi Pontificis ipsi opus esset, similiter et ut manu sinistra uteretur. Probabile tamen videtur S. Ligorio, l. VI, n. 244, et l. VII, n. 408, eum sacram Eucharistiam in casu extremæ vel gravissimæ necessitatis, absque dispensatione, administrare posse.

7° Manu semper danda est communio, et nunquam mediante instrumento, ne pestis quidem alteriusve contagionis causa, quidquid nonnulli in contrarium dicant; neque probare auderemus sententiam eorum qui permittunt ut ægroto, hostiam trajicere non valenti, præbeatur particula hostiæ in cochleari cum vino imposita : talis quippe praxis consuetudini Ecclesiæ opposita est et apud nos prorsus inaudita.

8° Sacerdos podagra laborans deferri potest ad altare, ut ibi sacram Eucharistiam administret, modo in reliquis Ecclesiæ ritum servare possit, et aliunde non prohibeatur. Ita S. Ligorius cum aliis, l. VI, n. 244.

IV. Modus sacram eucharistiam asservandi. — 1° In primis sæculis sanctissima Eucharistia in nulla servabatur ecclesia, propter infidelium persecutiones; sed permittebatur Christianis particulas sacras ad proprias domos deferre, ibi reverenter asservare et singulis diebus, prout moris tunc erat, se illis reficere : sed decrescente pristina fidelium pietate, sanctissimum hoc Sacramentum cum debita reverentia non fuit susceptum nec asservatum. In sexto sæculo, concil. Cæsaraugustanum II prohibuit, sub anathematis pœna, ne quis Eucharistiam in Ecclesia acceptam reservaret. Vetus disciplina circa hoc punctum jam cessaverat, et penitus fuit abrogata; inde statutum fuit ut sacra Eucharistia in cunctis ecclesiis sub fideli custodia, clavibus adhibitis, servaretur, ne quis manum temerariam ad illam extendere posset.

2° Nunc in qualibet ecclesia parochiali servanda est,

ut opportune petentibus semper dari possit; servatur etiam in ecclesiis conventualibus Regularium, imo, ex usu apud nos recepto, in omnibus capellis religiosarum communitatum. Sed in oratoriis privatis assidue retineri non potest, sine speciali concessione summi Pontificis, ut constat ex pluribus sacrarum Congregationum Episc. et Concilii decisionibus, apud *Ferraris*, v° *Euch.*, art. 1, n. 46 relatis.

3° Nullibi conservanda est sine lumine perpetuo ardente. « Si ob graviter culpabilem negligentiam parochi » vel ejus cui cura ista commissa est, integro die vel ali- » quot integris noctibus lumen non ardeat ante venera- » bile Sacramentum peccare eum mortaliter; secus, si » per horam tantum. » Sic docent plures apud S. Ligorium, l. VI, n 248, qui et ipse hanc decisionem approbare videtur. Omnes fatentur hanc legem per se sub peccato mortali obligare. Si Ecclesia vel societas sanctissimum Sacramentum habere cupiens, nimis sit pauper, S. Congregationes Episcoporum et Concilii volunt ut *instituatur quæstor vel eleemnosynarum collector*, ut necessariis provideatur expensis (*Ferraris*, v°. *Euch.*, art. 1, n. 45). Quod si lampas continuo ardere non possit, sanctissimum non asservetur Sacramentum, aut recurratur ad episcopum qui dispensationem pro ecclesia parochiali nimis paupere concedere posse nobis videtur ad tempus, sed pro ecclesia parochiali tantum.

4° Sacræ species renovandæ sunt *singulis octo diebus aut saltem quindecim*, inquit Bened. XIV, de Missæ sacrif., App. 3, § 6, n. 4. *Hostiæ vero seu particulæ sint recentes*, ait Rituale Romanum. Frequentius renovandæ essent si propter humiditatem præmatura timeretur corruptio; at cavendum est ne particulæ consecratæ in pyxide remaneant, aut magna formula in ostensorio ad expositionem collocata ultra mensem existat.

5° Caute invigilandum est, absque ridiculis tamen sollicitudinibus, ut contingit scrupulosis, ne fragmenta hostiarum quantumvis parva pereant, vel irreverenter tractentur: sciendæ igitur et observandæ sunt regulæ hac de re statutæ;

6° Tabernaculum in quo asservandum est sanctissimum Sacramentum, in majori altari singularum ecclesiarum regulariter collocari debet, exceptis cathedralibus, propter functiones pontificales quæ fiunt versis renibus ad altare : sic definiit S. Congr. Episc. 10 feb. 1579 et 29 nov. 1590. Exterius deaurari debet ex toto vel ex parte, et interius panno serico albi coloris decenter esse contectum (*Congr. Concil., apud Cavalieri.*, t. III, cap. 6, *decreto* x).

7° Sanctissima Eucharistia in uno tantum altari ab episcopo designando asservanda est : sic respondit S. Rit. Congr. 21 julii 1696 (*Gardel*, t. III, p. 242), et denuo die 16 mart. 1861.

8° Venerandum Eucharistiæ sacramentum, in singulis ecclesiis ubi asservatur, publice exponi potest in festo *Corporis Christi* et per octavam : in aliis temporibus nullibi publice exponendum est sine licentia episcopi diœcesani; et ubi exponitur, semper aliqui saltem ante illud orare debent, clerici vel fideles.

9° Bened. XIV, Instr. 30, n. 17, *Cavalieri*, t. IV, p. 63, statuunt vel docent coram sanctissimo Sacramento publice exposito saltem duodecim jugiter ardentia existere debere lumina. Item apud *Gardel.*; Instruct. Clem. IX. p. 37. Attamen S. Congr. Rit. definiit, 15 martii anni 1698, *ad minus sex candelas accensas esse retinendas*, et hic numerus in statutis nostris diœcesanis anni 1851 stricte exigitur.

V. Modus sacram eucharistiam ad infirmos deferendi. — 1° Non deferenda est sine indumentis congruentibus, scilicet veste talari, superpelliceo et stola coloris sanctissimo Sacramento convenientis, ac præcedente saltem uno lumine et omnibus caput discoopertum habentibus. Attamen in locis hæreticis, licet eam in parva pyxide inclusam vel in corporali involutam cum vestibus consuetis et sine lumine deferre ; item ubi, propter infideles vel incredulos, timetur persecutio vel scandalum. Quidam arbitrantur id pariter licitum esse propter tempestatem aut itineris longitudinem.

2° Communius docent auctores sacram Eucharistiam sine lumine deferre aut administrare, aut *Confiteor* omittere, peccatum esse veniale ; ministrare autem sine stola et superpelliceo esse mortale. An in necessitate viaticum sine vestibus et lumine ministrare liceat, inter se disputant theologi : plurimi negant, dicentes reverentiam tanto sacramento debitam potius servandam quam infirmum communicare ; alii communius affirmant, quia præsumitur Ecclesiam quæ vestes et lumen in honorem sanctissimi Sacramenti præscripsit, in tali casu obligare noluisse.

3° Sacerdos sacram Eucharistiam cum vestibus sacris deferens, valde festinare debet si periculum immineat, non vero per viam publicam currere propter reverentiam Sacramento debitam : quidam tamen a S. Ligorio citati, l. VI, n. 242, et approbati, habent ut probabile quod in necessitate sine irreverentia currere liceret.

4° Sacra Eucharistia nunquam deferenda est nocte, nisi urgeat necessitas et probabile non existat profanationis periculum ; quo in casu non neganda est infirmo periclitanti.

5° Nullus devotionis causa Eucharistiam secum deferre vel apud se habere potest : solus Pontifex Maximus habet privilegium ut ante se deferatur.

6° Eam olim præsentare licebat in criminis dubii purgationem sicut nunc juramentum in nonnullis casibus defertur : at, juxta disciplinam actualem, id vetatur. Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. III, cap. 20, n. 2 et 3.

CAPUT QUARTUM.

DE SACRÆ EUCHARISTIÆ SUBJECTO.

Duplex hic exsurgit quæstio : 1° quinam ad sacram Eucharistiam admitti possint, et 2° quas dispositiones habere debeant.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUI AD SACRAM EUCHARISTIAM ADMITTI POSSUNT.

Certum est 1° quoscumque infideles, id est non valide baptizatos, ad divinum illud sacramentum admitti non posse, quia Baptismus est janua aliorum sacramentorum.

Certum est 2° hæreticos, schismaticos, apostatas et incredulos ad idem sanctissimum sacramentum non admittendos esse. Ratio patet, et talis semper fuit praxis Ecclesiæ : « Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, » cujus nemini alii licet esse participi nisi qui credat vera » esse quæ docemus. » S. Just., Apolog., I, n. 66.

Quædam nobis dicenda sunt 1° de infantibus et pueris : 2° de amentibus; 3° de surdis-mutis; 4° de peccatoribus, reis et capite damnatis.

§ I. — De infantibus et pueris.

1° Infantes baptizati et usum rationis nondum adepti Eucharistiam sumentes, gratiæ augmentum suscipiunt, quia status gratiæ sufficit ad fructum hujus sacramenti percipiendum.

2° Olim apud Latinos mos erat dare infantibus baptizatis et confirmatis sacram Eucharistiam, ut omnes fatentur. S. Cypr., l. de Lapsis, refert seipso teste, puellam lactentem, in cujus ore immissum fuerat vinum idolis consecratum, postea, sacra vini specie accepta, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpisse luctuabundam jactari, donec totum evomuisset : *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Hæc disciplina, cujus S. Aug., S. Greg. Magnus mentionem faciunt, diu perseveravit; sed tempore S. Th. anno 1274 defuncti, penitus desierat; sanctus Doctor enim ait, 3ª part., q. 80, art. 9 ad 3um, sacra mysteria pueris recenter natis danda non esse, *quamvis quidam Græci contrarium faciant.* Merito usus ille pristinus fuit abrogatus; — a) quia Eucharistia

non nisi sub specie vini dari poterat hujusmodi parvulis, et periculum erat effusionis; -- b) quia parvuli Eucharistiam acceptam sæpe evomebant aut spuebant; — c) quia sanctissimo Sacramento assuefacti ab infantia, illud postea minus verebantur, etc.

3° Græci veterem servant consuetudinem dandi Eucharistiam infantibus, post Baptismum et Confirmationem, ut videre est apud Arcudium, l. III, cap. 40, et *Renaudot.*

4° Pueris qui usum rationis nundum habent non danda est communio, etiam in articulo mortis, propter rationes superius expositas, et præsertim quia talis est usus Ecclesiæ Romanæ ubique receptus.

§ II. — De amentibus.

1° Perpetuo amentibus omnino neganda est Eucharistia, etiam in articulo mortis : sic S. Th., 3ª part., q. 80, art. 9, et cum illo omnes theologi ac Rituale Romanum sequentibus verbis : « Amentibus seu phreneticis com» municare non licet : licebit tamen, si quando habeant » lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo » statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit. »

2° Qui ergo quædam lucida habent intervalla, interea disponi et ad communionem admitti possunt; non vero durante amentia, nisi adsit periculum mortis; quo in casu si usum rationis aliquando habuerint et pie vixerint, S. Th., loco citato, Catechismus concilii Trid., S. Ligorius et alii communiter volunt Eucharistiam eis administrandam esse, si nullum sit irreverentiæ periculum; quia illius fructum percipere possunt et forte illo indigent, si nempe ante amentiam in peccato exstiterint et de illo tantum attritionem habeant. Caute tamen agendum est in praxi ut omne vitetur periculum modo vomitionis, vel alterius indignitatis et incommodi.

3° Semifatuis danda est in articulo mortis et in Paschate, modo aliqualem possint habere notitiam mysteriorum et ad aliquos pietatis sensus excitari; item et a fortiori eis

qui sub quibusdam respectibus delirant, non sub aliis, vulgo *les monomanes :* non autem omnino delirantibus aut phreneticis, epilepticis et energumenis, tempore paroxysmi aut convulsionis, propter irreverentiæ periculum : sic S. Ligorius, l. VI, n° 303, et plures apud ipsum.

§ III. — De surdis mutis.

De solis surdis-mutis seu surdis a nativitate hic agitur; alii namque surdi hujus sacramenti non sunt incapaces. Nec surdi a nativitate per se incapaces reputari debent ; frequenti enim experientia constat eos accuratas mysteriorum religionis christianæ notiones acquirere posse. Sollicitudinis est ergo digni pastoris et aliorum sacerdotum curare ut hi omnes pro sua capacitate eruditantur, et ad sacramenta admittantur, tum in vita, tum præsertim in articulo mortis. Si vero defectu eruditionis aut capacitatis nihil intelligant, aut nulla vel omnino insufficientia religionis signa exhibeant, Eucharistia eis deneganda est (*S. Ligorius*, l. VI, n. 303). Non item Extrema-Unctio, si peccare potuisse præsumantur.

§ IV. — De peccatoribus, reis et capite damnatis.

1° Divina Eucharistia modo concedenda, modo neganda est peccatoribus, prout sunt occulti vel notorii, occulte vel publice petunt. Vide quæ hac de re diximus in Tractatu *de Sacramentis in generis*, cap. 6, art. 3.

2° Prudentia suadet Eucharistiam non concedere accusatis de crimine et nondum judicatis, — a) quia eo ipso suspecti sunt ; — b) periculum esset ne communionem peterent ex hypocrisi; — c) timendum foret scandalum, si, ut communius, crimen negent et tamen damnentur.

3° Quoad eos qui capite damnati sunt, in universa Ecclesia, præter quam in Gallia, in Hispania et Sabaudia, ex indulgentia, ipsis bene dispositis Eucharistia conceditur, etiam ubi tempus urget, ipso die quo plectendi sunt.

Unusquisque consuetudinem Ecclesiæ suæ sequi potest

juxta Bened. XIV ; quoniam tamen consuetudo universalis magis pietati et saluti plectendorum consentanea est, « Il est à désirer, *inquit card.* Gousset, t. II, n. 230, que » les évêques de France introduisent dans leurs diocèses » respectifs ce qui se pratique généralement ailleurs, con- » formément aux décrets des souverains Pontifes et des » conciles. »

Hæc tamen advertenda putamus. Si contendant se injuste fuisse damnatos, ministratio sacræ Eucharistiæ vergeret in scandalum. Si fateantur crimen propter quod fuerint damnati, illud detestantes, conformius esset veris theologiæ principiis sacram Eucharistiam eis præbere, non solum ante diem supplicii, sed ipso die supplicii. At ordinarie non datur tempus sufficiens. Hæc dispositio invenitur in statutis diœcesanis nostris anni 1851.

4° Non ita judicandum est de iis qui propter fidem aut justitiam persecutionem patientes in carceribus detinentur; communio illis procul dubio laudabiliter datur, etiam diei supplicii, ac in viaticum, si jam non sint jejuni et mors immineat.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCIPIENDAM EUCHARISTIAM REQUISITIS.

Aliæ requiruntur dispositiones ex parte animæ, et aliæ ex parte corporis.

§ I. — De dispositionibus ex parte animæ.

Per dispositiones animæ hic intelligimus hunc statum qui ad puritatem aut sanctitatem internam spectat. Circa has dispositiones sequentia observentur.

I. DE PRÆCEPTO CONFESSIONEM PRÆMITTENDI ANTE COMMUNIONEM VEL MISSÆ CELEBRATIONEM. — 1° Cum divina Eucharistia sit sacramentum vivorum, nullum est dubium quin ad eam cum peccati mortalis conscientia accedere non liceat; nihil aliud esset quam judicium sibi

manducare et bibere, et enorme sacrilegii scelus admittere. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* I Cor, xi, 28.

2° Qui, communicaturus vel celebraturus, alicujus peccati mortalis est conscius, sacramentalem præmittere tenetur confessionem si possit, idque ex strictissimo Ecclesiæ præcepto; sic enim habet concil. Trid., sess. 13, cap. 7, postquam verba Apostoli retulit : « Ecclesiastica » autem consuetudo declarat eam probationem necessa» riam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, » quantumvis contritus sibi videatur, absque præmissa » sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam ac» cedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis » sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc » sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, » modo non desit illis copia confessarii; quod si, necessi» tate urgente, sacerdos absque prævia confessione cele» braverit, quam primum confiteatur. » Idem repetit in canone 11 et addit : « Si quis autem contrarium docere, » prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice » disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommu» nicatus existat. »

Ut probabilius docent auctores præceptum istud non esse tantum ecclesiasticum, sed divinum, verbis Apostoli : *Probet autem*, etc., promulgatum, et consuetudine ecclesiastica transmissum.

Hinc 1° qui vi contritionis perfectæ gratiam sanctificantem jam recuperasset, nihilominus, ad Eucharistiam accessurus vel celebraturus, teneretur sub peccato mortali, habita copia confessarii, confessionem sacramentalem emittere, quia expressum est Ecclesiæ præceptum et in materia gravi.

Hinc 2° qui dubitat an mortaliter peccaverit, confiteri tenetur; quia dici non potest illum peccati mortalis non esse conscium, et in hoc dubio pars tutior est eligenda. Est sententia communis et praxis fidelium.

Hinc 3° qui ante communionem recordatur se in bona fide peccatum mortale omisisse, tenetur, juxta commu-

nissimam sententiam, illud confiteri si possit; — a) quia peccati mortalis vere est conscius; ac proinde legi Tridentinæ obnoxius; — b) talis est persuasio fidelium peccatum sic omissum ante communionem ordinarie declarantium.

Alii tamen plurimi recentiores theologi, inter quos *Pontas, Collet,* S. Ligorius, arbitrantur hanc sententiam, licet communiem, non esse fundatam; qui enim bona fide confessus est, inquiunt, vi sacramenti Pœnitentiæ justificatus est; sufficienter se probavit; ergo legem implevit. Tenebitur quidem peccatum istud clavibus Ecclesiæ tempore opportuno subjicere, ut præcepto divino de integritate confessionis satisfaciat; sed illud declarare non tenetur ante communionem, nec positivum contritionis actum de illo elicere, quia cum sit justificatus vi confessionis, præcepto Ecclesiæ satisfecit. Praxis fidelium quæ opponitur non habenda est ut regula certa obligationis, sed ut laudabilis usus.

Posterior hæc sententia fundata videtur, semper nobis arrisit et eam libenter sequimur respectu animarum scrupulis vel anxietatibus laborantium : altera vero, quæ est communior et tutior, non est arguenda nec improbanda. Imo laudabile nobis videtur absolvere de novo pœnitentem peccatum mortale sic confitentem, tum ne omissio non fuerit inculpabilis, tum ad augendam gratiam sanctificantem. Hæc pro scrupulosis non sunt dicta.

II. De causis communicaturum et præcipue sacerdotem celebraturum a confessione præmittenda excusantibus. — Concilium Tridentinum supra citatum permittit sacerdotem celebrare posse absque præmissa confessione, si necessitas urgeat et desit copia confessarii. Sed tres hic occurrunt difficultates : 1° quid per necessitatem urgentem intelligendum sit; 2° quandonam copia confessarii deesse censeatur; 3° quæ sit latitudo clausulæ *Quamprimum.*

1° *De necessitate urgente.* Per eam non intelligitur qualiscumque necessitas, sed gravis. Unde juxta omnes, non sufficeret festi celebritas, magna devotio, indulgentia lucranda, paupertas sacerdotis qui retributione indiget, etc.

Contra vero gravis et urgens reputatur necessitas, — a) si quis absque viatico moriturus sit, nisi Missa celebretur; — b) si communio vel celebratio omitti non possit sine scandalo aut infamiæ nota, puta, si communicaturus jam ad sacram mensam accesserit, si sacerdos sit ad altare, si Missam hac die celebrandam annuntiaverit vel promiserit, et eam sub aliquo prætextu in aliam diem remittere non possit; — c) si populus jam convocatus vel convocandus in die festo Missam non habiturus sit, nisi parochus aut vices ejus gerens, aut probabiliter alius quilibet sacerdos ad hanc Missam celebrandam designatus, in peccato constitutus, eam celebret Si præceptum audiendi Missam non subministret rationem sufficientem, ut multi dicunt contra alios, semper in his casibus adest locus timendi scandalum vel infamiæ notam. — d) Si sacerdos inter celebrandum mortaliter peccet vel peccati mortalis antea commissi recordetur, uni e suis ministris sacerdoti confiteri debet ante consecrationem, si possit; si non possit, vel si post consecrationem tantum id contingat, perfecte conteratur.

2° *De defectu confessarii*. Copia confessarii deesse non censetur quia confessarius ordinarius est absens, vel quia sacerdos præsens est junior, levior, notior, etc., et alius gravior, doctior, sanctior, minus notus, ætate magis provectus desideraretur. Sic omnes, et ex verbi concilii sequitur. Deesse vero censetur, — a) si nullus adsit sacerdos, vel si adiri non possit absque magna difficultate, habita ratione itineris, valetudinis, ætatis, aeris, brevitatis temporis, negotiorum quibus vacandum est, etc.; — b) si adsit sacerdos, sed non approbatus, vel non approbatus in hoc loco, vel surdus aut mutus, aut idiomatis ignarus, aut qui confessionem audire recuset; — c) si celebraturus habeat peccatum reservatum et tantummodo confessarium pro reservatis non approbatum : probabilius ei tamen confiteri debet peccata non reservata, sive reservatum declaret, ut plures volunt, sive illud reticeat, quod multi fieri posse contendunt, ut vi absolutionis justificationem obtineat, directam super peccatis

non reservatis, et indirectam super reservatis. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 265.

3° *De clausula quamprimum.* — a) Hæc clausula ad solos spectat sacerdotes celebrantes : *si... sacerdos absque prævia confessione celebraverit...* — b) Non solum exprimit consilium, sed verum præceptum; nam Alexander VII sequentem damnavit propositionem, n. 38 : « Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex » necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum » est consilium, non præceptum. » — c) Certum est hoc præceptum diu protrahi non posse. Alexander VII enim hanc alteram damnavit propositionem, n. 39 : « Illa par» ticula, *quamprimum*, intelligitur cum sacerdos suo » tempore confitebitur. » (*Curs. complet.*, t. VI, col. 698). — d) Communius docent auctores illud implendum esse intra triduum, et prius si qua ratio id suadeat, v. g., quia occurrit confessarius, et, occasione transacta, non cito inveniretur, vel quia cras eadem urgeret celebrandi necessitas, etc.

In omni casu, qui cum peccato absque prævia confessione celebrat, perfecte conteri tenetur, alioquin sacrilegii reus fieret.

Nota 1°. Requiritur insuper cognitio mysterii sacræ Eucharistiæ sufficiens, ut eam suscepturus censeatur discretus relative ad hoc sacramentum, juxta concilii Lateranensis IV dispositionem infra citandam.

Nota 2°. Præter dispositiones huc usque requisitas ut sacra Eucharistia non indigne suscipiatur, aliæ præmittendæ sunt ut divinissimum illud sacramentum debite colatur et cum abundantiori fructu percipiatur, nempe actus fidei, spei, charitatis, contritionis, desiderii, etc.; ut indicatur in catechismo et in libris asceticis.

§ II. — De dispositionibus ex parte corporis.

Duplex ex parte corporis requiritur dispositio, jejunium scilicet et mundities; de istis dicetur in sequentibus sectionibus.

SECTIO PRIMA. — *De præcepto jejunii.*

Duplex distinguitur jejunium : nempe ecclesiasticum de quo hic non agitur, et naturale. Jejunium naturale in eo consistit ut a media nocte nihil sumptum fuerit per modum cibi, potus vel medicinæ.

DE PRÆCEPTO JEJUNII EUCHARISTICI. — Hujusmodi jejunium ad Eucharistiam ex præcepto Ecclesiæ sub peccato mortali requiritur, ut constat 1° ex Patribus : Tertul. ad Uxorem, l. II, cap. 5 : *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes;* S. Cypr., Epist. 65, refert Christum Eucharistiam post cœnam instituisse, et addit : « Nos autem resurrectionem Domini mane » celebramus; » S. Aug., Epist. 54, n. 8, (t. II, col. 126), postquam retulit discipulos corpus et sanguinem Christi non jejunos accepisse, ait : « Numquid tamen » propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod » a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiri» tui sancto ut, in honorem tanti sacramenti, in os » Christiani prius corpus Dominicum intraret quam cæ» teri cibi : nam ideo per universum orbem mos iste ser» vatur. » 2° Ex variis conciliis, v. g., Carthag. VII, can. 29; Toletan. I, can. 1, Constantiensi, sess. 13, dicente : « Generale concilium declarat, decernit et defi» nit... quod, licet Christus post cœnam instituerit, et » suis discipulis administraverit sub utraque specie panis » et vini hoc venerabile sacramentum, tamen, hoc non » obstante, sacrorum canonum auctoritas et approbata » consuetudo Ecclesiæ servavit et servat quod hujusmodi » sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur » a non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius ne» cessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso, etc. » Ergo.

Olim in aliquibus ecclesiis Africanis sacerdotes post cœnam celebrabant et fideles communicabant feria quinta Majoris hebdomadæ, in memoriam sanctissimi illius sacramenti quod Christus, propter rationes sibi notas et

probabiliter ut vetus pascha novo incipiente desineret, in ipsa cœna instituerat. Ille autem usus, quem S. Aug. commemorat in Epist. superius citata, diu permansit. Concil. Bracarense I, in medio sexti sæculi, can. 16, prohibet ne eo die Missæ, soluto jejunio, celebrentur.

Agapæ, id est, pia convivia quæ tempore Apostolorum fieri solebant, probabiliter locum habebant post sanctorum mysteriorum sumptionem : propter abusus non diu substiterunt.

SECTIO SECUNDA. — *De modo quo observari debeat jejunium eucharisticum.*

I. QUID OBSERVANDUM SIT CIRCA TEMPUS. — Incipiendum est jejunium a media nocte, id est ab initio diei naturalis. Unde qui immediate post mediam noctem vel etiam inter primum et ultimum horologii ictum, aliquid deglutiret, jam ea die communicare non posset. Si diversa existant horologia discordantia, licet stare ei quod reputatur aliorum regula; et si nulla sit ratio unum aliis præferendi, pars tutior videtur eligenda. Item in dubio negativo, quando quis nescit an post mediam noctem aliquid sumpserit nec ne, quidquid contrarium plurimi dicant probabilistæ, asserentes in tali dubio existere libertatem, a communione et celebratione abstinendum esse putamus, nisi notabilis adsit ratio communicandi aut celebrandi : si talis existeret ratio, alteram opinionem sequi liceret.

Quæritur an aliqua saltem temporis mora ante vel post Eucharistiæ susceptionem a cibo potuve abstinendum sit.

R. 1° Non refert an post cibum potumve quis dormierit vel digestus fuerit ut ad sacram Eucharistiam licite accedat, modo mens ob indigestionem vel insomnietatem non sit turbata. 2° Olim præcipiebatur jejunium, post sumptionem sacramenti Domini, usque ad sextam vel etiam usque ad vesperam, Decreti 3ª part., dist. 2, can. 23. At præceptum istud jam diu abrogatum erat tempore S. Th., ut ipse ait, 3ª parte, q. 80, art. 8, ad 6ᵘᵐ, addens tamen : « Debet esse aliqua mora inter sumptionem

» hujus sacramenti et reliquos cibos. Unde et in Missa » oratio gratiarum actionis post communionem dicitur et » communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. »

II. Observanda circa ea quæ frangunt aut non frangunt jejunium. — 1° Illud præceptum levitatem materiæ non patitur; non minus enim jejunium naturale per parum quam per multum solvitur, cum in eo præcise situm sit ut, reverentiæ causa, nihil ante corpus Christi sumptum fuerit. Hinc qui micam panis, guttulam vini, aquæ vel alterius liquoris, deliberate vel indeliberate sumpsit, mortaliter peccaret communicando.

2° Sed necesse est ut quod sumitur habeat rationem comestionis vel potationis vel medicinæ, quia juxta communem hominum sensum, eo modo tantum frangitur jejunium naturale. Unde qui decumbendo saccharum ori suo imponit, et dormiens illud post mediam noctem deglutit, non remanet jejunus. Contra vero quod per modum respirationis aut salivæ hauritur, non frangit jejunium. Hinc qui casu deglutiret cum saliva vel per respirationem pulverem, fumum, culicem vel parvam muscam, guttulam aquæ, os lavando, vini, jusculi, gustando vinum aut jusculum, et statim expuit, lacrymas vel sudores faciem irrigantes, maneret jejunus : non item si hæc ex industria sumeret, quia tunc adesset ratio comestionis vel potationis.

3° Requiritur ut sit ab extra : quod enim ab intrinseco provenit, etsi voluntarie deglutias, non reputatur trajici per modum cibi aut potus. Ita communiter theologi cum S. Th. Unde dicunt sanguinem ex capite descendentem, ex gingivis manantem, saniem ex pustula oris provenientem, sputa non ejecta, jejunium eucharisticum non frangere. Hinc multi docent reliquias ciborum dentibus adhærentes, absque læsione jejunii transgluti posse; quia — a) non veniunt ab extrinseco; — b) per modum salivæ sumuntur; — c) ad præcedentem refectionem pertinent et improprie novam constituunt comestionem. Attamen S. Th., 3ª part., quæst. 80, art. 8, ad 4ᵘᵐ, ait : « Reli- » quiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutian-

» tur, non impediunt communionem. » Si ergo ex industria transglutirentur communionem impedirent. Ita communius et probabilius theologi, ut *Cabassut*, *Layman*, *Sylvius*, *Vasquez*, P. *Antoine*, *Collet*, S. Ligorius, etc. Ad cavendos autem vel tollendos scrupulos, dicendum est cum S. Ligorio, l. VI, n. 279, reliquias a dentibus avulsas et sensibiles expuendas esse, ut docet Bened. XIV, l. III, cap. 12; sed nullam esse obligationem adhibendi diligentiam ad eas extrahendas, etiamsi prævideantur cum saliva deglutiendæ.

« Eadem ratio est, inquit S. Th. ibid. et cum eo gene» raliter doctores, de reliquiis aquæ vel vini, quibus os » abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quanti» tate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest. »

Rubrica autem Missalis sic se habet (*de Defect. disp. corporis*, n. 3) : « Si reliquiæ cibi remanentes in ore trans» glutiantur, non impediunt communionem, cum non » transglutiantur per modum cibi, sed per modum sa» livæ. Idem dicendum si lavando os deglutiatur stilla » aquæ præter intentionem. »

4° Requiritur ut quod sumitur habeat rationem cibi vel potus, seu alterabile sit in stomacho; alioquin, juxta communem concipiendi modum, non esset comestio, nec potatio. Unde — a) qui res omnino indigestibiles edunt, v. g., capillos, ungues, metallum, vitrum, fragmenta ligni, lapillos, et alia hujusmodi, jejunium probabiliter non solvunt. Quia tamen multi contrarium sentiunt, pars tutior esset eligenda. — b) Qui e contra res in stomacho alterabiles, sive nutriant, sive non, deglutirent, ut chartam, paleam, filum ex lino, ceram, medicinam, etc., jam non essent jejuni.

Quæritur an usus tabaci, sive in pulvere, sive in fumigatione, sive in masticatione, jejunium Eucharisticum solvat.

R. 1° Concilium Mexicanum, anni 1595, usum tabaci ante Missæ celebrationem et communionem stricte prohibuit. Per edictum cardinalis *Borgia*, archiepiscopi Hispalensis, anni 1642, jussi sunt omnes sacerdotes, sub

pœna excommunicationis latæ sententiæ, ab usu tabaci abstinere una hora ante et post celebrationem. Innocentius X et Innocentius XI sub eadem pœna vetuerunt ne quis intra Vaticanam basilicam tabacum sumere auderet, quod jam eodem modo prohibuerat Urbanus VIII fieri intra ecclesias diœcesis Hispalensis. Notat autem Bened. XIV, de Synodo diœces., l. XI, cap. 13, n. 3, hunc usum, olim turpem et indecentem, communi consuetudine fuisse cohonestatum, Benedictum XIII illum in basilica Vaticana permisisse, ac proinde nimium profecto severum fore eum ante Eucharistiæ susceptionem vel Missæ celebrationem interdicere.

R. 2° Communius tenent auctores, contra P. *Antoine* aliosque nonnullos rigidiores, — a) tabacum in pulvere, sumptum per nasum, etsi quandoque usque in stomachum trajiciatur, jejunium non solvere, quia per modum comestionis non sumitur, sed per modum attractionis; — b) nec fumum tabaci, quia non est cibus aut potus, nec per modum comestionis trajicitur; — c) nec etiam probabilius humorem in masticatione, quia humor tabaci non deglutitur, aut si quædam particulæ deglutiantur, id fit per modum salivæ, non vero per modum comestionis aut potationis.

Cæterum omnes conveniunt talem masticationem ante communionem esse indecentem, et S. Ligorius putat eam a culpa veniali non excusari, nisi aliqua subsit causa : usus tabaci in fumo parum decens etiam videtur, et ab eo omnino abstinendum vult *Dens*, t. V.

SECTIO TERTIA. — *De causis a jejunio eucharistico excusantibus.*

Ad excusandum a jejunio eucharistico causæ sequentes annumerantur : periculum mortis, necessitas perficiendi sacramentum et periculum profanationis.

I. DE PERICULO MORTIS. — Sive mortis periculum proveniat ex infirmitate, sive ex causa extrinseca, modo sit reale, præceptum jejunii non obligat, nec sacerdos tenetur S. Viaticum statim post mediam noctem deferre, ut

moribundus illud accipiat jejunus. Si periculum non instaret, communio in sequentem diem differenda esset, ut ad illam servaretur jejunium, supposito quod facile servari posset. Verum si morbus sit periculosus, communio non est scrupulose differenda, nec etiam anticipanda ut ægrotus eam antequam aliquid sumpserit, suscipiat. Si qua ratio suadeat eam differre, v. g., ut convenientius deferatur, ut fideles comitentur, et periculum non urgeat, differenda est.

Ubi infirmitas protrahitur et periculum mortis perseverat, sacra Eucharistia iterum moribundo etiam non jejuno, post aliquot dies, ex Rituali Romano, dari potest, non per modum viatici quod semel tantum in eadem infirmitate administratur, sed modo consueto, ad satisfaciendum devotioni. Communiter in Galliis per aliquot dies Ritualia decem dies intelligebant; sed standum est præscriptioni Ritualis Romani, et *idcirco, non solum decimo die, sed sæpius, si opportunum et utile videatur, iteranda est communio ægrotis etiam non jejunis.* Supplem. ad statuta synodalia diœcesis Cenomanensis. Vide Benedict. XIV, de Synod. diœces., l. VIII, cap. 12, n. 5.

Ægrotus vel infirmus in periculo mortis non constitutus, in viatico sacram Eucharistiam suscipere non potest, ne tempore quidem paschali : unde si manere non possit jejunus et divina Eucharistia ei convenienter deferri non possit immediate saltem post mediam noctem, a præcepto communionis paschalis excusatur, quamdiu durat infirmitas.

II. De necessitate perficiendi sacrificium. — Hæc necessitas urget si nempe sacerdos post consecrationem moriatur aut deficiat, et alius non sit sacerdos jejunus qui Missam continuare possit; — si celebrans in sumptione calicis tantum advertat fuisse aquam pro vino; — si post consecrationem recordetur se non esse jejunum, quia præceptum divinum perficiendi Sacrificium præcepto servandi jejunium præstat. Si ante consecrationem adverteret se aliquid sumpsisse, seclusis scandalo et infamiæ nota, ab altari recedere deberet, inquit S. Th., q. 83,

art. 6, ad 2, et generaliter theologi cum illo. At nisi privatim celebraret, fere semper in eo casu esset locus scandalum vel infamiam timendi. Non item si Missa non esset incœpta, quia dicere posset se ex inadvertentia aliquid comedisse vel bibisse.

Item si sacerdos, post ablutionem, reperiat particulas a se in eadem Missa consecratas, et adhuc vestibus sacris sit indutus, eas consumere debet, quia sunt velut complementum Sacrificii quod jejunus inchoavit; etiamsi in sacristia jam esset, sed nondum vestibus sacris exutus, idem facere posset, quia eadem actio censetur perseverare. Ratione contraria, reliquias alterius Sacrificii, sive a se, sive ab alio consecrati, sic absumere non posset, nec particulas ultimi Sacrificii, si jam exutus esset. Ita Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. VIII, cap. 17, n. 5. Eas igitur reverenter deponeret in tabernaculo, vel in corporali reservaret, in proximo Sacrificio ante ablutionem sumendas. Si vero periculum irreverentiæ esset, quia non est tabernaculum ubi Missa celebrata est nec alius sacerdos celebraturus, sacerdos etiam vestibus exutus particulas sumere posset et deberet. Bened. XIV, ibid., n. 6.

III. De periculo profanationis. — Quando est periculum profanationis, ubi videlicet timetur ne sacra Eucharistia ab hæreticis vel incredulis conculcetur, comburatur, ab animali devoretur, etc., a sacerdote vel etiam a laico non jejuno consumenda est, si desit jejunus; quia lex jejunii, in honorem sacramenti constituta, in tali hypothesi cessat.

Quæritur an sacerdos non jejunus celebrare debeat aut possit, ne moribundus viatico careat.

Multi affirmant, dicentes præceptum divinum communicandi in articulo mortis præcepto ecclesiastico jejunii præstare; — Ecclesiam, quæ ægrotum a lege jejunii exemptum declaravit, sacerdotem in casu supposito illa lege obligatum velle non censeri; — præceptum præmittendæ confessionis, quando sacerdos peccati mortalis reus est, in quibusdam casibus non obligare : a pari, ubi de præcepto jejunii agitur.

Alii tamen communius et probabilius negant, et contendunt præceptum divinum communicandi in articulo mortis non obligare, quando Eucharistia non habetur; — Ecclesiam formaliter exemisse moribundum a lege jejunii, non vero sacerdotem; — eum in statu peccati mortalis, non habita copia confessarii, absque confessione celebrare posse ad dandum viaticum, quia per contritionem perfectam supplet confessioni; sed jejunii dedefectum supplere non potest. Excipiunt casum quo ipse sacerdos non jejunus in periculo proximo constitueretur; omnes enim fatentur eum celebrare posse, ne sancto viatico privatus decedat, quia lex jejunii non obligat eum qui in periculo mortis constituitur.

Licet opinio negans sit communior, considerandum tamen valde esset ad speciales moribundi necessitates; sic ipse *Collet* apud *Gousset*, n. 196.

Sectio quarta. — *De munditie corporis.*

Quæ ad actus castitati oppositos spectant, in supplemento ad Tractatum *de Matrimonio* sufficienter exponuntur; nonnulla tamen ad munditiem corporis attinentia hic notanda sunt :

1° Qui externam habet maculam delebilem, eam reverentiæ causa abstergere debet. Nulla vero est obligatio abstinendi a communione propter maculam occultam aut publicam, sed indelebilem.

2° Sacerdos infectus lepra vel alia difformitate horrorem excitante, in secreto celebrare potest, sed non in publico, ut in Decretal., l. III, tit. 7, cap. 4, expresse statuitur.

3° Mulieres in ornatu sancto, modestiam redolente, pectore cooperto, ad sacram communionem accedere debent : si quæ valde indecentes se præsentarent, communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad præcavenda scandala.

4° Nulla lege vetatur ne vir armatus ad sacram synaxim accedat, sed ex decentia et humilitatis causa, milites ar-

ma sua deponere solent, nisi ex professione religiosa ea deferant, ut olim equites S. Joannis Hierosolymitani.

5° Sacerdos non celebrans et ad sacram communionem accessurus, superpelliceo et stola induendus est. Ita olim statuerat Concil. Bracarense III, can. 3; sic statuit etiam Rituale Romanum : *Sacerdotes vero cum stola communicent.* Sacerdotes cum stola pendente (*Cæremon. Episcop.*, l. II, cap. 23, n. 6), et etiam diaconi cum stola a sinistro humero ad latus dextrum protensa (*Catalani in Rit.*, t. I, p. 265), quod negat *Cavalieri*, t. I, cap. 1, decreto 5. Certum est tamen ex omnium confesso, hanc circumstantiam esse duntaxat sub veniali præscriptam, et nullum esse peccatum eam omittere, si rationabilis causa id fieri suadeat, ut major communicantium numerus aut non habeatur in communione solemnitas. Si habeatur solemnitas feriæ V majoris Hebdomadæ, adhibenda est stola.

CAPUT QUINTUM.

DE NECESSITATE EUCHARISTIÆ.

Quoniam sanctissimum illud sacramentum olim parvulis statim post Baptismum administrabatur, et in Ecclesia Orientali adhuc administratur, quidam Græci arbitrati sunt illud necessarium esse necessitate medii, sicut Baptismum : hoc antiquos Patres persuasum habuisse docent Calvinistæ, et in primis *Aubertin* et *Daillé*, quod evidenter falsum est; antiqui Patres enim Eucharistiam tribuebant parvulis tanquam utilem, non vero ut ad salutem necessariam, et ideo vetus ille usus abrogatus est sine ulla reclamatione. Unde Concil. Trid., sess. 21, cap. 4, docet « parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari » necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communio- » nem; » et can. 4 addit : « Si quis dixerit parvulis, an- » tequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam

» esse Eucharistiæ communionem ; anathema sit. » Semper creditum est parvulos in Baptismo regenerari, ac proinde ante usum rationis decedentes, salvandos esse sine Eucharistia.

Constat igitur et de fide est Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii ad salutem. Itaque nobis inquirendum est an sit necessaria, 1° ex præcepto divino ; 2° ex præcepto ecclesiastico ; 3° sub utraque specie ; 4° frequenter.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆCEPTO DIVINO CIRCA SUMENDAM SACRAM EUCHARISTIAM.

Seorsim dicemus de præcepto divino in quantum obligat omnes generaliter fideles, et in quantum obligat moribundos, seu de sacro viatico.

§ I. — De præcepto divino circa necessitatem Eucharistiæ, quatenus omnes generaliter obliget.

I. De existentia præcepti. — Certum est dari præceptum divinum sacram suscipiendi Eucharistiam, ut constet 1° ex verbis Christi, Joan. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ; et Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba veram exprimunt necessitatem, non medii, ut notavimus, sed præcepti. 2° Ex concil. Trid., sess. 13, cap. 2, dicente : *In illius* (sacramenti) *sumptione colere nos sui memoriam præcepit.* 3° Ex ratione : Christus divinum Eucharistiæ sacramentum per modum cibi et refectionis spiritualis instituit : noluit autem illud fore inutile : ergo illius usum præcepit. Ergo.

II. Quinam eo præcepto obligantur et quonam tempore. — 1° Eo præcepto omnes tenentur adulti usum rationis habentes ; verba enim Christi : *Nisi manducaveritis*, etc., generalia sunt et nullos excipiunt ; immediate

afficiunt fideles, et mediate ipsos infideles qui religionem christianam amplecti et ad sacram Eucharistiam se accingere tenentur.

2° Præceptum divinum communicandi per se obligat etiam pluries in decursu vitæ, quia sacramentum Eucharistiæ per modum spiritualis refectionis fuit institutum. Quoties et quandonam obliget a lege divina non determinatur; ideo præcepto divino ille censetur satisfacere qui semel in anno communicat, quia Ecclesia legis divinæ interpres id solum exigit. Per accidens autem, ait *Billuart*, potest quis sæpius obligari; si nempe communionem existimet sibi necessariam ad resistendum gravi tentationi : sic etiam mulieres prægnantes ante primum partum, vel si partus difficiles jam habuerunt, propter mortis periculum; item periculose navigaturi aut præliaturi, operationem periculosam experturi, etc., Eucharistiam suscipere debent, si moraliter possint.

§ II. — De præcepto divino communionis quatenus moribundos spectat, seu de viatico.

Viaticum dicitur sanctissimum Sacramentum quum a moribundo, absque jejunio, et cum specialibus cæremoniis suscipitur.

I. De præcepti existentia. — Aliquoties, ut modo vidimus, præcepto divino ad suscipiendam sacram Eucharistiam obligantur omnes usum rationis habentes; sed hoc præceptum urget, juxta omnes in articulo mortis, vel in proximo mortis periculo; de natura est enim præcepti affirmativi ut saltem aliquando obliget : at, si præceptum divinum sacram suscipiendi Eucharistiam non obligaret saltem in articulo vel in proximo mortis periculo, dicendum esset illud nunquam stricte obligaturum. Unde 1° concil. Nicæn. I, can. 12, statuit *antiquæ legis* regulam servandam esse, *ut si forte quis recedat ex corpore, necessario viæ suæ viatico non defraudetur*. 2° Semper sollicita fuit Ecclesia ut sanctum viaticum moribundis tribueretur, nisi tanto beneficio judicarentur indigni. 3° Sanctum istud

sacramentum infirmo petenti et sufficienter disposito denegari non posset sine gravi fidelium scandalo. 4° Sumptio Christi, ait S. Thom., q. 80, a. 2, ad 1, sub hoc sacramento ordinatur ad fruitionem patriæ ; porro nunquam tanta esse potest hujus sumptionis necessitas, quam in illa ultima hora, ex qua pendet beatæ vitæ consecutio. Ergo.

II. De iis qui ad susceptionem sancti viatici admitti debent. — Quamvis existat præceptum divinum sacram Eucharistiam in periculo mortis suscipiendi, non repugnat aliquando prohiberi, si nempe reverentia erga sanctissimum Sacramentum id postulare videatur : nam præceptum divinum directioni Ecclesiæ committitur, et ubi decenter impleri nequit, non obligat.

1° Pueris doli capacibus, qui sufficientem habent notitiam tum divinæ Eucharistiæ ejusque effectuum, tum aliarum veritatum, quarum cognitio ad justificationem requiritur, dandum est viaticum in periculo mortis, etsi non habeant ætatem ad primam communionem requisitam : ita Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VII, cap. 12, n. 1; S. Ligorius, l. VI, n. 293, etc. In dubio de capacitate pueri, alii contra alios dicunt viaticum non esse concedendum. Nos adhærendum putamus Statutis nostris quæ sic habent : *In dubio pars decumbenti utilior est eligenda.* Prudentis est autem confessarii, ex diversis adjunctis, judicare quid futurum sit utilius ægrotanti. Pueri, qui, sacro viatico muniti, supersunt, non eximuntur ab obligatione catechesibus assistendi et primam communionem more solito faciendi.

2° Disputant theologi an qui heri vel hodie communionem accepit aut Missam celebravit, et ante finem diei in grave periculum mortis incidit, sacrum viaticum suscipere possit aut debeat. Si heri communio suscepta fuerit, probabilius datur obligatio viaticum hodie suscipiendi, quia licet opus præscriptum adimpletum fuerit, non tamen eo tempore quo præceptum obligat. Si hodie, probabilius videtur viaticum administrari posse, et strictum non existere præceptum illud dandi aut suscipiendi, quia communio eadem die accepta rationem viatici habere cen-

setur. « In tanta opinionum varietate doctorumque dis-» crepantia, integrum erit parocho eam sententiam am-» plecti quæ sibi magis arriserit, » inquit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VII, cap. 11, n. 2.

A suscipiendo sacro viatico excusat impotentia physica et moralis, sive ex parte infirmi, sive ex parte ministri, sive ex parte circumstantiarum, v. g., ex impietate astantium, etc.

3° Si in ægroto adsit periculum ejectionis hostiæ, propter vomitum, tussim, sputa quasi perpetua, non danda est Eucharistia ob reverentiam ei debitam ; si periculum videatur dubium, danda est particula non consecrata, quam si rejiciat, a communione abstinendum est; si eam retineat, administrari debet communio. S. Ligorius, l. VI, n. 292.

Si contingat ut ægrotus post sumptionem viatici evomat, et sacræ species appareant, reverenter erunt colligendæ, in vase mundo deponendæ, ad ecclesiam deferendæ, ibique custodiendæ donec fuerint corruptæ, et tunc in piscinam sacram projicientur. Si vero non appareant, tota materia vomita erit stupis extergenda, comburenda, et cineres in piscinam projiciendi.

4° Non desunt sacerdotes qui sanctum viaticum magnis peccatoribus facile denegant, sub prætextu quod illud non sit absolute necessarium. Advertant præceptum divinum tunc urgere, sub peccato mortali obligare, et seipsos strictissime teneri tales moribundos pro posse suo ad Eucharistiam præparare. Statuitur quidem, in Rituali Romano, eos sacrum viaticum suscipere non posse, quin *publicæ offensioni, prout de jure, satisfecerint.* Verum sufficienter satisfaciunt, peccata confitendo, et declarando coram testibus se de anteactis dolere, atque firmum habere propositum rectius in posterum vivendi, nisi aliqua specialis ipsis incumbat obligatio publica, v. g., restituendi, reconciliandi, concubinam ejiciendi, etc., quæ prius implenda est. Item qui per scripta publica contra fidem aut mores scandalum dedit vel famam alicujus injuste læsit, per scriptum, si possit, aut saltem per decla-

rationem coram testibus, malum, quantum fieri potest, reparare debet.

Sacrum viaticum deferri non potest ad meretricem pœnitentem, in domo publice meretricia adhuc exstantem : exigendum est ut prius exeat et in honesta domo collocetur, ob reverentiam sanctissimo Sacramento debitam.

5° Qui non communicavit in periculo mortis, transacto periculo, supplere non tenetur, quia obligatio viatici est duntaxat pro periculo.

Qui post viaticum susceptum mortaliter peccavit, iterum communicare probabilius non tenetur, quia hæc obligatio nullibi præscribitur, sed sufficit confessio. Sic plures cum S. Ligorio. Qui autem sacrum viaticum sacrilege suscepisset, illud denuo suscipere non posset nisi post aliquot dies, ut dictum est supra, et cæremoniæ externæ non iterarentur in nova susceptione ; quia, cum indignitas sit occulta, prohibitio Ecclesiæ valet pro foro externo. Verum, periculo remanente, moribundus convenienter dispositus, de novo, absque viatici cæremoniis, communicare deberet, quia per communionem sacrilegam reipsa non satisfecit.

III. De jure parochi circa sancti viatici administrationem. — 1° Sancti viatici sicut Extremæ-Unctionis administratio ad solum pertinet pastorem : extraneus igitur sacerdos sive regularis, sive sæcularis, illud administrare non potest sine legitimi ægrotantis parochi licentia expresse data, excepto casu urgentis necessitatis, in quo licentia parochi aut Ordinarii rationabiliter præsumitur.

2° Parochi hoc munus committere non possunt nisi sacerdoti approbato, ne ægrotus ministerio confessarii ante communionem indigeat.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN EUCHARISTIA EX PRÆCEPTO ECCLESIASTICO SIT NECESSARIA.

I. De præcepti existentia et natura. — 1° Per multa sæcula tam frequenter accedere solebant fideles ad sanctum Eucharistiæ sacramentum, ut præcepto divino abunde satisfacerent : cum vero adverterit Ecclesia eos, pietate decrescente, a sacro illo convivio vel omnino recedere, vel diutius abstinere, determinavit tempus quo ad illud accedere sub peccato mortali tenerentur. Hanc legem tulit primo in concilio Lateranensi IV, anno 1215 celebrato, can. 21, his verbis : « Omnis utriusque » sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervene- » rit, omnia peccata sua..... confiteatur..... suscipiens » reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramen- » tum : nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob ali- » quam rationabilem causam, ad tempus ab ejus parti- » cipatione duxerit abstinendum; alioquin vivens ab in- » gressu ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat » sepultura. » Eam renovavit in concilio Trid., sess. 13, can. 9 : « Si quis negaverit omnes et singulos fideles » utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervene- » rint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad » communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ec- » clesiæ; anathema sit. »

2° Præceptum ecclesiasticum in his præfatis concil. Lateran. et Trident. decretis contentum, obligat sub peccato mortali, ut omnes fatentur : imo, juxta fere omnes theologos, duplicem imponit obligationem, unam communicandi singulis annis, et alteram communicandi in Paschate. Annus autem, pro communione annuali, incipit a prima die januarii juxta quosdam, ab ultima communione juxta alios, a quindena paschali ad aliam quindenam, secundum probabiliorem et communem sententiam.

Qui tamen per plures annos non communicavit tene-

tur tantum communicare pro anno nuper elapso, deinde tenebitur pro anno jam incœpto, et sic deinceps.

Per communionem sacrilegam præcepto communionis annuæ non satisfit, ut contra quosdam probabilistas declaravit Innocentius XI, anno 1679, sequentem damnando propositionem, n. 55 : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* (*Curs. complet.*, t. VI, col. 711.)

II. De iis qui ad communionem paschalem obligantur. — 1° Soli baptizati præcepto ecclesiastico communicandi subjiciuntur : patet ex canonibus citatis ubi dicitur, *utriusque sexus fidelis;* et ratio est, quia Ecclesia nullam habet auctoritatem in eos qui foris sunt. Ut hoc præceptum istud differt a præcepto divino ipsos infideles mediate obligante.

2° Omnes baptizati adulti, id est qui ad annos discretionis pervenerunt, memorato Ecclesiæ præcepto tenentur sub peccato mortali; neque ab illo eximuntur increduli et publici peccatores, quia per fidem et virtutes christianas ad sacram communionem digne suscipiendam se disponere debent.

3° Anni discretionis ex variis circumstantiis prudenter judicandi sunt : non iidem communiter æstimantur pro confessione et pro communione. Unde pueri doli capaces ad annuam tenentur confessionem, non vero statim obligantur ad communionem; — a) quia communis usus Ecclesiæ obligationem hujus sacramenti sic interpretata est; — b) quia Eucharistia majoris est excellentiæ et non tantæ necessitatis : majorem igitur requirit præparationem, præsertim in pueris prima vice communicaturis, ut deinceps cum debita reverentia ad tantum sacramentum accedant.

4° S. Th., 3ª part., q. 80, art. 9, ad 3ᵘᵐ, dicit quod, si pueri usum rationis habere incipiant, et devotionem erga Eucharistiam concipere possint, sanctum illud sacramentum eis conferri possit; non dicit *conferendum*. Unde S. Ligorius et plures cum illo docent pueros in ea ætate cœlestem Eucharistiæ cibum a profano discernere scien-

tes, ad sacram synaxim admitti posse; sed præcepto non teneri ante annum circiter decimum, et communionem eis non differendam regulariter ultra duodecimum. Caute cavere debent parentes et parochi ne sua culpa pueri, ætate jam provecti, ad sacram communionem non sufficienter disponantur.

Notandum pueros alios aliis perspicaciores esse, ac proinde non omnes eadem ætate præcepto communionis subjectos : quidam in decimo anno admitti debent; alii ante duodecimum vel etiam decimum quartum admitti nequeunt. Hæc prudens discretio sedula digna est sollicitudine pastoris, qui totus esse debet ut pueros etiam in teneris annis sana doctrina imbuat, moribus christianis informet, ad primam communionem diligenter disponat, et perseverantiam eorum omni cura assecurare intendat.

In plerisque diœcesibus, ad præcavenda diversa incommoda, determinata est ætas ante quam non licet pueros ad primam communionem admittere. Tunc ab illa regula recedere non debent parochi.

III. Quo tempore fieri debeat communio paschalis. — 1° Non in quolibet anni tempore, sed in Paschate, juxta concil. Lateran. et Trid. verba, implendum est communionis præceptum; et idcirco hæc communio dicitur paschalis. Nomine autem Paschatis, vulgo intelligitur tempus a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive. (Benedict. XIV, de Synodo diœces., l. IX, cap. 16, n. 3, et l. XII, cap. 6, n. 10; *Ferraris* v° *Pascha*, n. 33.) Sæpe ex concessione episcopi, tempus illud anticipatur vel protrahitur, propter confessariorum paucitatem, pastoris infirmitatem, aliasve rationes quæ judicio episcopi subjiciendæ sunt. Sed concessiones faciendæ sunt per actus particulares, non vero per modum statuti jus commune evertentis.

2° Præterea, unusquisque fidelis potest, ob rationabilem causam, ex judicio proprii sacerdotis, id est episcopi, parochi vel alterius sacerdotis approbati, communionem paschalem ad aliud tempus differre, puta, ut convenien-

tius sit dispositus : sed interea facere debet quod in se est ut requisitas dispositiones quam primum habeat, et contra Ecclesiæ præceptum mortaliter peccaret si, culpa sua, tempore per confessarium statuto nondum esset paratus.

3° Qui in quindena paschali vel tempore a proprio sacerdote designato communionem omisit, ad eam semper tenetur, et eo magis peccat quo magis differt; quia tempus paschale non fuit determinatum ad finiendum præceptum, sed ne ultra illius impletio differatur. Concilium enim Trid., canone citato, definit esse obligationem communicandi *singulis annis, saltem in Paschate :* qui ergo culpabiliter vel inculpabiliter non communicavit in Paschate, præcepto communionis annuæ adhuc tenetur usque ad Pascha proxime sequens. Qui e contra communicavit ex devotione vel in viatico, sine intentione præcepto satisfaciendi, nihilominus satisfecit, quia sola communio præcipitur, non vero intentio.

4° Qui, quindena paschali jam inchoata, prævidet se in ultimis diebus a communione impeditum fore, statim communicare debet, quia tempus obligationis instat : si vero tempus paschale nondum sit inchoatum, et prævideat se, eo durante, facultatem communicandi non habiturum, ad communionem anticipandam non tenetur, quia præceptum communionis paschalis non magis obligat ante tempus præfixum quam præceptum audiendi Missam die dominica obstringit sabbato, si prævideatur impedimentum pro die dominica. Quantum ad communionem præscriptam *pro singulis annis,* tempus, ex communiori doctorum sententia, computandum est a Paschate ad sequens Pascha.

5° Qui paulo ante tempus paschale communionem accepit, sive ex devotione, sive in viatico, sive ea intentione ut præcepto communionis paschalis per anticipationem satisfaceret, nihilominus, quindena paschali decurrente, communicare debet si possit; quia datur præceptum eo tempore communicandi, nisi legitimum adsit impedimentum. Unde Rituale Romanum, de Communione

paschali, in fine, ait : « Ægrotis quoque parochialibus, » etiamsi communionem extra præscriptos Paschatis dies » sumpserint, in paschalibus diebus illam deferet ac mi- » nistrabit (parochus). »

Parochus igitur qui prævidet sufficiens sibi defuturum tempus ut in quindena paschali communionem ad ægrotos parochiæ suæ deferat, licentiam eam differendi ab episcopo obtinere debet.

IV. De loco ubi fieri debet communio paschalis. — 1° Unusquisque communionem paschalem in ecclesia parochiæ suæ a proprio parocho, vel a sacerdote ab eo delegato suscipere debet, nisi, ex illius vel episcopi aut vicarii generalis licentia, privilegio aut consuetudine, in alia ecclesia communicare possit. Sic generaliter theologi in eo sensu canones concilii Lateran. et concilii Trid. intelligentes.

Consuetudine eximuntur — a) sacerdos in aliena ecclesia celebrans; si vero non celebraret, in sua parochia communicare teneretur; — b) peregrini et vagi, nullam parochiam habentes, vel ab illa ita absentes, ut ad eam commode redire nequeant, præcepto communionis paschalis satisfaciunt, communicando in ea parochia in qua hoc tempore inveniuntur; — c) qui bona fide sacram communionem extra propriam parochiam, absque licentia requisita, excepisset, ad novam non teneretur communionem; — d) famuli vel famulæ in monasteriis regularium degentes et continui commensales, quia ad familiam monachorum vel monialium pertinere censentur. Non item ii qui, licet monasterii famulatui annexi, extra illud manent, nec continui sunt commensales, sed extra habitantes, cum extraneis vivunt, quia non sunt de familia. Hinc apud moniales sorores conversæ, novitiæ, postulantes, et famulæ intra claustra manentes, præcepto communionis paschalis satisfaciunt in monasterio : non vero aliæ puellæ extra claustra habitantes.

2° Ex consuetis episcoporum statutis, vel ex speciali licentia singulis domibus concessa, alumni seminariorum vel collegiorum, pueri et senes in hospitiis manentes

atque sorores charitatis eis servientes, juniores puellæ in scholis detentæ, in sacellis suis respectivis communionem paschalem recipere solent; item magistri et magistræ in his institutionibus commorantes, non vero famuli externi aliique ad ipsum conventum aut institutum non pertinentes. (*Concil. Rhedon., decret.* 17, *circa Communionem paschalem*).

3° Qui, sine licentia pastoris extra propriam ecclesiam parochialem tempore paschali communicavit, præcepto non satisfecit, nisi forsan bona fide sic egerit : iterum ergo in parochia sua communicare debet. Quidam excipiunt, nisi in ecclesia cathedrali suæ diœcesis communicaverit; sed probabilius hic in eo casu satisfecisset, nisi episcopus declarasset omnes diœcesanos præcepto communionis paschalis in cathedrali satisfacere posse, aut Eucharistiam suscepisset de manu ipsius episcopi, qui est primus totius diœcesis pastor. Vide *Ferraris*, v° *Euch.*, art. 1, n. 13, et S. Ligorium, l. vi, n. 300.

4° Licentia pastoris, id est parochi, episcopi aut vicarii generalis, pro communione paschali extra parochiam faciendâ, potest esse expressa, vel rationabiliter præsumpta, quando ex adjunctis certo judicatur eum consentire aut consensurum esse. Ita S. Ligorius et plures apud ipsum; hæc sententia nobis videtur certa.

5° Ex consensu pastorum præsumpto et ex variis recentiorum Cenomanensium episcoporum decisionibus, non exigitur in hac diœcesi ut qui communionem paschalem omiserunt, se hoc anno in propria ecclesia sistant ad communicandum, ne talis obligatio eos a conversione removeat; sed tantum persuasione inducantur, et finaliter eis permittatur ut pro hac vice in aliena ecclesia sacramentum suscipiant.

6° Nunc non exigitur schedula confessionis ut tribuatur communio tempore paschali, nec extraneis ad sacram mensam accedentibus denegatur; quia præsumitur eos licentiam a pastore suo obtinuisse, vel in parochia sua jam communicasse, aut ante finem Paschatis communicaturos esse; nec describuntur nomina eorum qui præ-

cepto non satisfaciunt, ut ad episcopum deferantur, sicut olim præscriptum erat.

ARTICULUS TERTIUS.

AN COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE SIT NECESSARIA.

Certum est 1° eam esse necessariam respectu sacerdotis Missam celebrantis, ut in tertia parte hujus Tractatus ostendemus.

Certum est 2° eam jure divino permissam esse laicis; frequenter enim laici, per decem et tria priora Ecclesiæ sæcula, sacram Eucharistiam sub utraque specie suscipiebant, ut omnes fatentur, et Græci eam sic adhuc recipiunt. Quæstio igitur est an communio sub utraque specie item jure divino laicis præcipiatur.

Versus initium decimi quinti sæculi Jacobus Misnensis, cognominatus *Jacobel*, parochus in civitate Praga, suadente Petro Dresdensi, prædicavit usum calicis fidelibus esse jure divino necessarium. Joannes *Huss* hunc errorem adoptavit; Lutherus et Calvinus post illum, in odium Ecclesiæ Romanæ, fortiter propugnaverunt; item Anglicani. Contra quos sit.

PROPOSITIO.

Nullum est præceptum divinum de sacra Eucharistia sub utraque specie sumenda.

Prob. Hæc propositio est de fide; probatur Scriptura sacra, traditione et ratione theologica.

Est de fide. Definita enim fuit in concilio Const., sess. 13, contra Hussitas; et in concilio Trid., sess. 21, can. 1, contra Protestantes, his verbis: « Si quis dixerit, » ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singu» los Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eu» charistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit. » Ergo.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Joan., VI, 52 : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum,* et ℣. 59 : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Unde sic ; Christus eumdem promittit effectum communioni sub una specie ac communioni sub utraque : ergo. B. Paulus, I Cor. XI, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit*, etc., supponit, utendo particula disjunctiva *vel,* alterutram speciem seorsim accipi posse. Ergo 1°.

2° *Traditione ;* nempe in primis Ecclesiæ sæculis frequenter etiam illud sacramentum sub unica specie conferebatur, v. g., — a) ægrotis, ut patet exemplo Serapionis supra memorati, et S. Ambrosii qui, referente S. Paulino, in Vita ejus, t. II, Appendice, corpore Domini ab episcopo Vercellensi *accepto, ubi glutivit, emisit spiritum ;* — b) infantibus, qui sub sola specie vini communicari poterant, et nunc apud Græcos eo modo communicantur : « Sacerdos summum digitum indicem tinget » sanguine pretioso, mox imponet corpori, deinde digitum » immittet in os infantis, cui statim aqua bibenda præbebitur. » *Renaudot*, t. I. — c) Fideles qui, in primis sæculis, sacram Eucharistiam apud se reservatam singulatim sumebant, sub unica specie communicabant, et tamen integrum sacramentum suscipere credebant. — d) In Missis præsanctificatorum celebrans sub unica specie communicat. Ergo.

Usus communionem sub unica specie administrandi fidelibus paulatim invaluit, ob duplicem præsertim rationem : — a) quia species panis facilius conservabatur quam species vini ; — b) quia in administratione illius sacramenti sub specie panis, non tam frequentia occurrebant profanationis pericula quam sub specie vini. Insensibilis illa calicis desuetudo respectu laicorum nullam excitavit reclamationem : quia jam frequenter communio sub una specie accipiebatur, et omnibus persuasum erat utramque speciem ad validitatem sacramenti non esse necessariam. Ergo 2°.

3° *Ratione theologica.* De fide est totum et integrum

Christum esse sub utraque specie : qui ergo unam suscipit speciem, totum suscipit Christum, carnem ejus manducat ; et, propter concomitantiam, sanguinem ejus bibit. Ergo præcepto carnem ejus manducandi et sanguinem ejus bibendi satisfacit, nisi ex Scriptura vel ex traditione ostendatur utramque speciem sumendam esse : porro neque ex Scriptura neque ex traditione ostendi potest utramque speciem sumendam esse, sed potius contrarium monstratur : ergo 3°, etc. : aliunde, etc. Ergo.

Dices 1° : Joan. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ;* ergo Christus communionem sub utraque specie præcepit.

R. Nego conseq. Nam 1° genuinus præcepti Christi sensus ex traditione repetendus est : at traditio, *ut ostendimus*, nos docet Christi fideles sæpe sub unica specie communionem accepisse. 2° Ipsi Calvinistæ vinum in cœna non tribuunt iis quibus grave est post alios sumere, nec iis qui vinum bibere nequeunt : ergo non arbitrantur communionem sub utraque specie jure divino esse præscriptam. 3° Concilium Trid., sess. 21, cap. 1, præfatum textum nobis objectum sic interpretatur : « Qui dixit : » *Nisi manducaveritis*, etc., dixit quoque : *Si quis man-* » *ducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et qui dixit : « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem,* » *habet vitam æternam,* dixit etiam : *Panis quem ego dabo,* » *caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit : *Qui* » *manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me* » *manet, et ego in illo,* dixit nihilominus : *Qui manducat* » *hunc panem, vivet in æternum.* » Ergo Christus, in prædicto textu, non modum sumendi Eucharistiam, sed rem ipsam præcepit. Ergo.

Dices 2° : Christus, sacram instituens Eucharistiam, dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;* at communionem sub utraque specie dedit : ergo.

R. Dist. maj. Dixit : *Hoc facite*, etc., et hæc verba ad solos spectabant Apostolos eorumque successores celebran-

tes, *concedo;* et ad ipsos spectabant laicos, *nego maj.* Non omnia enim quæ fecit Christus instituendo Eucharistiam, præcepta sunt laicis, alioquin omnes consecrare tenerentur, quod absurdum est. Standum est ergo traditioni quæ hæc verba ad presbyteros celebrantes restringit. Ergo.

Dices 3° : Sacra Eucharistia per modum convivii fuit instituta : at in omni convivio debet esse cibus et potus : ergo.

R. Dist. maj. Per modum convivii fuit instituta, quoad aliqua, *concedo;* quoad omnia, *nego maj.* Eucharistia assimilatur quidem convivio, quia ad refectionem animæ destinatur, sicut convivium materiale ad refectionem corporis : verum non necesse est ut convivio materiali sub omni respectu æquiparetur; in convivio Eucharistico enim hoc speciale habet cibus quod et potum concomitantem continet, similiter et potus cibum. Ergo.

Quæritur an tanta conferatur gratia in communione sub una quanta in communione sub utraque specie.

R. 1°. Certum est « sub altera tantum specie totum » atque integrum Christum, verumque sacramentum » sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia » necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem » solam accipiunt. » *Concil. Trid., sess.* 21, cap. 3.

R. 2°. Non major producitur gratia substantialiter in communione sub utraque specie quam in communione sub una : gratia enim non producitur ratione specierum, quæ sunt mera symbola, sed ratione rei sub speciebus contentæ : atqui res contenta eadem est sub una ac sub utraque specie : ergo.

Fieri tamen potest ut, ratione majoris fervoris, vel repetitionis actuum fidei, amoris, etc., augmentum gratiæ obtineatur, sed per accidens, et non præcise quia aliquid majus suscipitur.

Hic quærere solent theologi quo instanti gratia sacramentalis producatur, an in sumptione prioris, vel in sumptione posterioris speciei. Si una species sine ordine ad alteram sumeretur, duplex esset sacramentum; ac

proinde duplex gratia sacramentalis : ubi vero utraque species per modum unius refectionis spiritualis sumitur, unicum est sacramentum et unica gratia sacramentalis, quæ, juxta quosdam, in sumptione panis producitur, tum virtute corporis Christi sub hac specie sumpti, tum virtute sanguinis ejus sumendi ; sed alii melius dicunt, ut nobis videtur, eam non produci nisi in fine sumptionis duplicis speciei.

COROLLARIUM.

Ergo Ecclesia usum calicis merito subtraxit laicis.

Merito enim fecit quod potuit facere et graves habuit rationes faciendi : atqui 1° Ecclesia usum calicis respectu laicorum supprimere potuit, siquidem, ex concilio Trid., sess. 21, cap. 2, hanc semper habuit potestatem, « ut in » sacramentorum dispensatione, salva illorum substan- » tia, ea statueret vel mutaret quæ suscipiendum utili- » tati seu ipsorum sacramentorum veneration, pro re- » rum, temporum et locorum varietate, magis expedire » judicaret. » Usus autem calicis ad substantiam sacramenti Eucharistiæ non pertinet ; ut constat ex superius dictis. Ergo 1°.

2° Graves habuit rationes sic agendi, nempe : — a) periculum irreverentiæ erga sanctissimum illud sacramentum ; in magno enim fidelium concursu pertimescendum erat ne quid pretiosi sanguinis e calice efflueret ; — b) difficultas speciem vini diu conservandi, quia facile acescit et corrumpitur, aut periculum est effusionis ; — c) impossibilitas hanc speciem ad ægrotos convenienter deferendi ; — d) repugnantia multorum utendi vino vel hauriendi ex calice qui jam plurimis oblatus fuerat ; — e) tanta vini raritas in quibusdam regionibus, ut vix obtineri possit quantitas sacerdotibus pro sacrificio necessaria. Ergo °.

Vide opus *Bossuet* inscriptum : *Traité de la communion sous les deux espèces*, et Bened. XIV, de Missæ sacrificio, l. II, cap. 22, n. 18 et seq.

Attamen hæc mutatio disciplinæ apud Græcos non fuit

acceptata; hi enim, sub sola specie panis communicant in periculo mortis et in diebus in quibus Missæ præsanctificatorum celebrantur : in aliis vero diebus communio publica fit in templis sub utraque specie, hoc est « in fer- » mentato sanguine intincto, ad quam rem perficiendam » sacerdos utitur parvo cochleari quod inserit in os susci- » pientis Eucharistiam. » Bened. XIV, Const. *Allatæ sunt*, diei 26 martii 1755, § 25.

Nullum est dubium quin Ecclesia usum calicis permittere possit, sed in non expedit, quia rationes ob quas suam mutavit disciplinam eædem remanent. Laici tamen speciem vini sumere possunt in periculo profanationis, puta si pretiosum sanguinem effusum sacerdos lambere nollet, vel si post consecrationem sacerdos moriatur aut deficiat, et alius non inveniatur qui Missam perficere aut sacras species colligere et in sacrarium recondere possit. — Facultatem sic communicandi quidam privelegio immemoriali vel speciali summi Pontificis concessione habent. Sic reges Galliæ, ex privilegio Clementis VI anno 1351 concesso, sub utraque specie communicandi habebant potestatem in die suæ inaugurationis et in viatico mortis. Item sub utraque specie ex privilegio communicant diaconus et subdiaconus in solemni Pontificis Romani Missa. Idem olim existebat privilegium in Ecclesia S. Dionysii, prope Lutetiam, et in monasterio Cluniacensi, pro certis diebus : Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. II, cap. 22, n. 32, — Latini ita communicant apud Græcos in locis in quibus nullum existit templum ritus Latini.

Communiter autem docetur speciem vini homini periclitanti et speciem panis sumere non valenti administrari non posse, his casibus exceptis : quia præceptum divinum communicandi, in periculo mortis, non obligat quando ritus pro reverentia sacramenti ab Ecclesia stricte præcripti servari nequeunt.

ARTICULUS QUARTUS.

DE FREQUENTI COMMUNIONE.

Jam ostendimus primos fideles sacram Eucharistiam frequenter accepisse vel apud se custoditam sumpsisse; recentioribus sæculis quidam frequentem et quotidianam communionem adeo commendaverunt, ut in excessum impegerint, dispositiones ad tantum sacramentum congruenter necessarias non requirentes : talis fuit P. *Pichon*, in opere inscripto : *L'Esprit de J.-C. et de l'Eglise sur la fréquente Communion*, anno 1745 impresso, a multis episcopis Gallicanis damnato, et a suo auctore retractato. Alii, e contra, post Antonium *Arnauld* qui anno 1643 in lucem ediderat librum *De la fréquente Communion*, qui melius inscriptus fuisset *Contre la fréquente Communion*, tot et tam perfectas requirebant dispositiones ad sacram communionem, ut plerosque ab ea repellerent. In justo autem medio stat veritas, ut ex duobus sequentibus paragraphis patebit; iis tertium adjiciemus de notandis circa frequentem communionem.

§ I. — De utilitate frequentis communionis.

PROPOSITIO.

Laudabilis et utilis est per se frequens communio.

Prob. Concilio Trid., decisione Cong. Conc., testimoniis Patrum et ratione.

1° *Concilio Trid.*, sess. 13, cap. 8 : « Paterno affectu » admonet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per » viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli qui » christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in » hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, jam » tandem aliquando conveniant et concordent, memores

» tantæ majestatis... ut panem illum supersubstantialem » frequenter suscipere possint....» Et sess. 22, cap. 6 : « Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis » Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, » sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione commu- » nicarent, quo ad eos sanctissimi Sacrificii fructus ube- » rior proveniret. » Ergo 1°.

2° *Decisione Cong. Concil.* diei 12 feb. 1679, doctrinam Concilii Trid. modo expositam tradentis, cujus decretum ab Innocentio XI expresse fuit approbatum, et in quo habetur : « Cum fideles ad sanctissimi Sacramenti frequen- » tiam, quod facere debent, accenderint, statim ad illud » sumendum de magna præparatione orationem habeant, » generatimque ostendant eos qui ad frequentiorem aut » quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio » excitantur, debere... suam agnoscere infirmitatem, ut » dignitate sacramenti ac divini judicii formidine discant » cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri ; et si » quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, » seque ad majorem præparationem accingere. » Ergo 2°.

3° *Testimoniis Patrum.* Citavimus S. Justinum, dicentem sacram Eucharistiam in fidelium cœtibus unicuique præsentium distribui et ad absentes deferri. S. Cypr. de oratione Dominica, ait : *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*, et cunctos ad quotidianam communionem hortatur. S. Hieron., Epist. 30, 2 part. : « Scio Romæ » hanc esse consuetudinem ut fideles semper Christi cor- » pus accipiant, quod non reprehendo nec probo. » S. Aug., Epist. 54, n. 4 : « Dixerit aliquis non quotidie accipien- » dam Eucharistiam ; quæsieris quare ? Quoniam, inquit, » eligendi sunt dies quibus purius homo continentiusque » vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat..... » Ille honorando non audet quotidie sumere, et ille ho- » norando non audet ullo die prætermittere. » Ergo 3°.

4° *Ratione.* Posita enim fide in præsentiam realem et in divinam sanctissimi illius sacramenti virtutem, evidenter constat frequentem illius usum, cum dispositionibus sanctis, laudabilem et utilissimum esse, sicque doctissimi

viri et animæ piæ semper judicaverunt : ergo 4°, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Nulli tamen quotidiana communio necessaria est ad salutem, ut pluribus in locis asserere visus est P. *Pichon* : hoc sequitur ex testimoniis relatis, ex praxi Ecclesiæ et sensu fidelium.

§ II. — De dispositionibus requisistis ut quis ad frequentem communionem accedat.

PROPOSITIO.

Ad frequentem communionem non solum necessaria est immunitas a peccato mortali, sed requiritur et nullus sit affectus ad peccatum veniale et ardens existat desiderium communicandi.

Prob. auctoritate S. Thomæ, S. Francisci Salesii, Bened. XIV, multorum episcoporum et ratione.

1° *Auctoritate S. Thomæ,* qui in 3ª parte, q. 80, art. 10, de quotidiana communione agens, dicit : « In sumente » requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad » hoc sacramentum accedat, et ideo si aliquis se quotidie » ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie » sumat. » Ibique citat verba S. Aug. attributa : « Accipe » quotidie quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie » merearis accipere. » Ergo 1°.

2° *Auctoritate S. Francisci Salesii* (*Introduction à la vie dévote,* chap. 20) : « Il serait imprudent de conseiller » indifféremment à tous la communion de tous les jours, » la disposition requise pour une communion si fréquente » devant être fort exquise : parce que cette disposition, » quoique exquise, peut se trouver en plusieurs bonnes » âmes, il n'est pas bon d'en détourner généralement ; il » faut en user suivant l'état intérieur de chacun en parti- » culier... Il faut, pour être admis à cette communion, » avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations, » c'est-à-dire, non-seulement l'affection aux choses inu- » tiles et dangereuses, comme sont les jeux, les festins,

» les parures, et autres choses semblables, mais encore ces » inclinations naturelles qui, n'ayant point pris l'origine » de nos péchés particuliers, ne sont pas proprement vices » ni péchés, mais imperfections : comme sont la légèreté, » l'inclination à la colère, la mélancolie, et autres défauts » qui viennent du tempérament et du naturel, et sont » souvent contre le gré de la volonté... Pour communier » tous les huit jours, il est requis de n'avoir aucun péché » mortel, ni aucune affection au péché véniel, d'avoir un » grand désir de communier; mais pour communier tous » les jours, il faut, outre cela, avoir surmonté la plupart » des mauvaises inclinations. » Ergo 2°.

3° *Auctoritate Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. VII, cap. 12, n. 9 : « Præcipue monendi sunt confessarii, ne » frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant » aut permittant, qui in gravia peccata sæpe labuntur, » nec de pœnitentia agenda suaque vita emendanda sunt » solliciti ; sicut nec illis qui, etsi gravia evitent crimina, » voluntatem tamen habent venialibus adhærentem. » Postea commendat ut legantur S. Franciscus Salesius et Joannes Thaulerus. Ergo 3°.

4° *Auctoritate multorum episcoporum*, qui nempe librum P. *Pichon* censuris affecerunt : iis addi possunt omnes in vita ascetica magistri. Ergo 4°.

5° *Ratione*. Frequens communio maxima est familiaritas inter animam fidelem et Christum : si hæc familiaritas sit sancta et cum reverentia debita, erit laudabilis et utilis ; si vero reverentia debita careat, Christo displicebit et magis noxia quam utilis erit. Porro communio facta cum affectu voluntario ad venialia, non exhibet reverentiam Christo debitam : ergo 5°; aliunde, etc. Ergo.

§ III. — Notanda circa frequentem communionem.

I. Monita ad confessarios speciatim directa. — 1° Curent sacerdotes, ad ministerium animarum vocati, ut seipsos tales exhibeant quales fideles ad pietatem electi

eos adinvenire studeant. Igitur, scientia, pietate, longanimitate, prudentia præstent, tum ad discernendas personas quæ ad communionem frequentem sunt admittendæ, vel ad eas recte dirigendas.

2° Caveant directores ne indiscretis sermonibus a frequenti communione retrahant, ut pluries accidit, sed e contra, pias animas sibi commissas sollicite excolant, amore divino imbuant, et ad frequentiores communiones prudenter disponant ac inducant.

3° Non raro inveniuntur personæ devotæ quæ, ex communionum frequentia, fere omnem amiserunt reverentiam erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et sine præparatione ac gratiarum actione ad illud fidenter accedunt : aliæ vero timore nimio perculsæ, nunquam se sufficienter præparatas arbitrantur. Prudens confessarius has et illas perfecte noscere et congruentibus monitis excitare debet ad salutarem tremorem, vel ad majorem fiduciam.

4° Curet confessarius ut sui pœnitentes ad sacram communionem imparati non accedant, et post communionem in gratiarum actione convenienti tempore immorentur. « Paucissimi sunt directores qui sedulo id » faciant, ait S. Ligorius, n. 156, quia paucissimi sunt » sacerdotes qui, post Missæ sacrificium, cum Jesu » Christo in gratiarum actione subsistant; et ideo pudet » eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum » actio ordinarie per horam integram durare deberet; » fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando et » petendo se exerceat. » Nos petimus ut fiat gratiarum actio saltem per unum quadrantem, in summa recollectione, cum plena fide, ardenti amore, etc.

II. De iis qui admittendi sunt ad frequentem communionem, vel ab ea arcendi. — 1° Nulla conditio per se frequenti communione excludit, ut fert decretum S. Cong. supra citatum : « Frequens accessus (ad Eucharistiam) » confessarium judicio est relinquendus, qui ex conscien- » tiarum puritate et frequentiæ fructu, et ad pietatem » processu, laicis negotiatoribus et conjugatis, quod

» prospiciunt eorum saluti profuturum, id illis præscri-» bere debebunt. »

2° Ut communiones personarum quas dirigit prudenter determinet confessarius, sedulo tamen attendere debet ad earum conditionem actualem et futuram : mulier conjugata, curis domesticis implicata, eodem modo ad sacram mensam admitti non potest ac pia vidua, nulla sollicitudine pressa; nec puella matrimonio destinata, eodem modo ac altera quæ mundo renuntiavit, virgo permansura est, aut Deo consecranda, sive in congregatione sæculari, sive in monasterio regulari, etc.; nec juvenis negotia sæcularia expleturus, eodem modo ac alius statum clericalem amplexus vel amplexurus, etc.

Expedire nobis videtur ut ad frequentem communionem ii non admittantur qui certo postea, ratione status aut functionum, raro communicare poterunt. Hinc probare non possumus agendi rationem confessariorum qui juniores pueros et puellas ad frequentissimas communiones inducunt : sufficit ut recte viventes, identidem admittantur, v. g., in præcipuis solemnitatibus, donec futura eorum destinatio cognoscatur, et præsumi possit quid in hoc genere prudenter eis consulendum sit.

Non improbandi sunt tamen confessarii qui pueros ad primam communionem admissos, scientia, pietate, modestia, mansuetudine, obedientia, aliisque virtutibus christianis conspicuos, et communionem desiderantes, ad participationem divini illius sacramenti pluries inter primam et secundam, vel secundam et tertiam communionem solemnem admittunt; sed raro inveniuntur pueri qui, absque ullo incommodo vel periculo, sic admitti possint.

3° Quandoque inveniuntur animæ, e cœno peccati vix emergentes, quæ, in primis conversionis suæ diebus, statim frequenter communicare vellent : prudens confessarius præmaturo huic desiderio non acquiescet, eas libenter in confessione audiet, ad dolendum magis ac magis de præteritis, ad agendum gratias Deo, ad colendas virtutes christianas, ad perseverandum in proposito

hortabitur; ad sacram synaxim in magnis solemnitatibus admittet, deinde in festis minus solemnibus, et postea frequentius, juxta illarum progressus in pietate.

4° Animæ piæ et devotæ, in virtutibus christianis probatæ, a peccato mortali abhorrentes, ad venialia nullum affectum retinentes, pravas inclinationes suas superare nitentes, ab illecebris creaturarum alienæ, seipsas contemnentes, ad perfectionem tendentes, magnum communicandi desiderium habentes, et præ conditione sua piis exercitiis vacare valentes, ad quotidianam communionem admittendæ sunt, aut saltem admitti possunt; alioquin fere nullus sacerdos quotidie celebrare posset. Sic communicare solebant SS. Gertrudis, Catharina Senensis, Theresia, Joanna *de Chantal*, etc. Communiter tamen prudentes confessarii unum excipiunt diem singulis hebdomadis, in quo facienda est confessio.

5° Aliæ personæ in sanctitate minus eminentes, quæ nihilominus sibi invigilant, peccatum fugiunt, ad perfectionem tendunt et communionem desiderant, omnibus diebus dominicis et festivis, et insuper duabus vel tribus vicibus per unamquamque hebdomadem admitti possunt. Talis est praxis piorum confessariorum.

6° Qui ex mera fragilitate in aliqua passim incidunt peccata venialia, sed cito gemunt, dolent, emendationem sibi proponunt, et communionem velut robur ad perseverandum desiderant, ea non privandi sunt. Si e contra, non obstante frequenti communione, in via perfectionis non proficiant, in culpas veniales deliberatas incidant, neque se emendent; v. g., voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, libenter indulgeant, cum aliqua vanitate se vestiant, etc., usus communionis restringi et quandoque suspendi debet, donec de sua emendatione serio cogitent. Ita S. Ligorius, Praxi conf., n. 155.

7° *Advertendum*, cum eodem S. Ligorio, devotionem quæ ad frequentem communionem requiritur, non necessario debere esse summam et sensibilem : sufficit ut director in corde pœnitentis quamdam detegat alacritatem ad facienda quæque Deo placita sunt, cum disposi-

tionibus supra expositis. Prudens confessarius aliquando animam ad communionem nimis inclinatam probat et mortificat, quasdam communiones ei subtrahendo, præsertim si ex tali subtractione tristetur, quia *hujusmodi tristatio*, inquit S. Ligorius loco citato, *est argumentum superbiæ quæ eam vere reddit indignam*. Aliquando vero animam siccam, aridam, tædium sentientem, et ex illo statu gementem, ad frequentem Eucharistiæ susceptionem impellit, ut ex sacramento vires acquirat.

CAPUT SEXTUM.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Inter cætera sacramenta longe excellentius est Eucharistiæ sacramentum, quod non tantum gratiam continet sed ipsum auctorem gratiæ et fontem; unde manifestum est ex illo sanctissimo sacramento multiplices et immensos gratiæ fructus in populum fidelem redundare. Præcipui autem illius effectus sunt : 1° quod hominem sanctificet, eumque ad Christum adunet; 2° quod nos sanet et liberet a peccato; 3° quod nos signet ad gloriam.

I. De Eucharistia, quatenus fidelem sanctificat et ad Christum adunat. — Eucharistia ex opere operato producit gratiam sanctificantem, et hoc habet commune cum cæteris sacramentis. At circa gratiam hujus sacramenti tria sunt consideranda.

1° Eucharistia non producit per se gratiam primam, sed secundam, id est, augmentum gratiæ sanctificantis; et ideo inter sacramenta vivorum annumeratur. Est enim instituta et sumitur per modum cibi et potus, juxta hæc verba : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Joan. VI, 56. Supponit ergo animam vivere, quia prius est esse quam nutriri. Unde Eugenius IV, in Decreto ad Armenos ait : « Sequitur quod per hoc sacra-

» mentum in sumentibus digne gratia augeatur : om-
» nemque effectum, quem materialis cibus et potus
» quoad vitam agunt corporalem... quoad vitam spiritua-
» lem et hoc sacramentum operatur. »

2° « Sed specialissimus inter omnes hujus sacramenti
» effectus, quem in anima operatur digne sumentis, ait
» idem Decret. ad Arm., est adunatio hominis ad Chri-
» stum. » De illa singulari et mirabili unione et incorpo-
ratione hæc habet Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet*, et *ego in illo*; id est, ita intime unitur Christo, ut ipse in eo mutetur, juxta illud verbum S. Augustini : « Nec tu me
» mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu muta-
» beris in me. » Conf. l. VII, cap. 10. Hujus autem unionis fidelium cum Christo consequens est et unio fidelium inter se ; quod sic exprimit B. Paulus : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* I Cor. X, 16, 17.

3° Ex eadem causa, nempe quia illud sacramentum confertur per modum cibi et potus, alter profluit effectus, id est, dulcedo et delectatio spiritualis ipsius animæ ; ita ut, quemadmodum cibus corporalis reficit delectando, ita et anima fidelis sustentetur et delectetur Christum suscipiendo et manducando.

II. DE EUCHARISTIA, QUATENUS HOMINEM SANAT A PECCATO. — Sacramentum Eucharistiæ hominem purificat a peccato, et quidem quadruplici modo, uti infra explicatur.

1° Cum Eucharistia sit sacramentum vivorum, quicumque conscientiam peccati mortalis habens, ad sanctissimum illud sacramentum accederet, ex omnium confesso, enormis sacrilegii reus fieret, judicium sibi manducaret et biberet : sed communius et probabilius docent theologi cum S. Th., q. 79, art. 3, illud sacramentum ab eo susceptum, qui est in peccato mortali, sed cujus conscientiam et affectum non habet, nihilominus ei conferre gratiam sanctificantem, quæ per accidens fit gratia prima, sicut pœnitentiæ sacramentum homini jam justificato collatum, producit gratiam ex se primam, quæ per acci-

dens fit secunda. Vide quæ in Tractatu *de Sacramentis* diximus. Hæc sententia recte intellecta nullum habet periculum, cum peccati mortalis conscientiam et omnem ad illud affectum excludat.

2° Peccata venialia remittit, vel directe, vires animi reficiendo, sicut cibus materialis vires corporis restaurat; vel indirecte, charitatis fervorem peccato veniali oppositum augendo. Unde Concilium Trid., sess. 13, cap. 2, ait Christum illud dedisse *tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis*. Hinc in oratione pro ablutione secunda in fine Missæ, congruenter dicimus: *Præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta*, ut deleantur tum peccata venialia, tum per accidens peccata mortalia ignota.

3° Divina Eucharistia præservat a peccatis, ut in Concilio Trident., sess. 13, cap. 2, habetur: « Quo liberemur » a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præser- » vemur. » Et hoc fit dupliciter, ut ait S. Th., art. 6: « Uno modo in quantum natura hominis interius robo- » ratur contra interiora corruptiva... alio modo, per hoc » quod munitur contra exteriores impugnationes. »

4° Demum pœnam peccatis debitam remittit; non tamen hoc facit immediate et directe quatenus est sacramentum, quia non sic institutum est ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum; sed facit indirecte, fervorem excitando, et charitatem augendo; si vero ut sacrificium spectetur, hujusmodi pœnam directe potest remittere ut in tertia parte ostendemus.

III. De Eucharistia quatenus producit gloriæ adeptionem. — Tertius effectus generalis Eucharistiæ est adeptio gloriæ, una cum resurrectione, et immortalitate corporis, juxta hæc ipsius Christi verba: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Joan. VI, 55.

Hæc adeptio gloriæ non solum ab Eucharistia provenit quia istud sacramentum confert gratiam quæ est semen gloriæ; sed specialiter id agit Eucharistia, quia in ea continetur Christus gloriæ largitor, ut cibus nutriens et

confortans animam in vita spirituali, qua possit perseverare usque ad tempus, quo gloria dabitur : unde a Conc. Trid. sess. 13, dicitur *pignus futuræ gloriæ ;* quod idem verbum ab Ecclesia amanter decantatur.

Corporibus nostris item spem futuræ resurrectionis ab Eucharistia accipimus; corpora enim fidelium, cum sint realiter conjuncta cum Christo in hoc sacramento, quasi eo modo resurgent, quo Christus et ipse resurrexit : ideo ex hac parte specialem habebunt immortalitatem. — Ita *Dens.* Optime hunc effectum S. Eucharistiæ exprimit S. Ignatius, ad Ephesios : « Panem hunc frangimus, qui est » pharmacum immortalitatis, et antidotum ne moriamur. »

IV. Quæstiones variæ ad effectus Eucharistiæ spectantes. — Hic plura apud auctores quæruntur, ut, v. g., quandonam Eucharistia producat gratiam ; an per peccatum veniale effectus sacramenti impediatur ; an Eucharistia aliis quam sumentibus proficiat.

R. 1° Gratia hujus sacramenti ex opere operato producitur, in ipso instanti quo sacræ species in stomachum trajiciuntur ; quia tunc proprie fit manducatio vel potus sumptio.

2° Peccata venialia actu complacentia, vel in ipsamet communione admissa, ut vana gloria, voluntaria distractio, etc., substantiam gratiæ sanctificantis non impediunt ; sed illius mensuram minuunt, quia charitatem ex parte lædunt. *Sic omnes* post S. Th., q. 79, art. 8.

3° Eucharistiæ sacramentum aliis quam realiter sumentibus prodesse potest. Nam — a) ut opus religionis præstantissimum, pro aliis tam vivis quam defunctis offerri potest. — b) Qui hoc sacramentum digne suscipiunt, strictiorem cum Christo acquirunt unionem, et efficacius pro aliis orare possunt. — c) Anima quæ divinam alimoniam hanc realiter suscipere non potest, eam ardenter desiderando, gratiam aliquam ex opere operantis consequitur, et est communio spiritualis. Ergo.

PARS TERTIA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRIFICIUM.

« Eucharistia hoc peculiare habet, ait *Liebermann*, » post Conc. Trid. sess. 22, c. 1, quod non tantum sacra- » mentum sit omnium, quæ Christus instituit longe » præstantissimum; sed sacrificii insuper rationem ha- » beat, quo sacrificium illud cruentum, quod semel in » cruce peractum est, repræsentetur, ejusque memoria » in finem usque sæculi permaneat, atque illius salutaris » virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie » committuntur, peccatorum applicetur. » — Nobis igitur in hac tertia parte agendum est de Eucharistia quatenus est sacrificium: itaque dicemus 1° de sacrificiis in genere; 2° de existentia sacrificii Missæ; 3° de illius essentia; 4° de Missæ effectibus; 5° de ejus ministro; 6° demum de iis pro quibus offerri potest. — Huic tertiæ parti adjuncta sequetur appendix quædam de regulis liturgicis observandis circa celebrationem divini sacrificii.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRIFICIIS IN GENERE.

I. De nomine sacrificii. — Vox *sacrificium*, a sacro faciendo derivata, significat, latiori sensu, id omne quod Deo in ipsius honorem et cultum offertur, videlicet ora-

tiones, laudes, adorationes, cæterosque actus virtutum, præsertim virtutis religionis. Eo sensu dicitur in Scripturis : 1° *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*, Ps. VI, 6; 2° *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua*, Ps. XLIX, 14, et ibid. ℣. 23; *Sacrificium laudis honorificabit me*; 3° *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*, Ps. L, 19; 4° *Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate*, Eccli. XXXV, 2; et ibid. ℣. 4 : *Qui facit misericordiam offert sacrificium*; 5° *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, Rom. XII, 1.

II. De definitione sacrificii. — Sacrificium strictesumptum specialis est virtutis religionis actus, quo supremum Dei dominium in omnes creaturas per alicujus rei sensibilis oblationem et destructionem agnoscitur, et a multis definitur : *Oblatio externa rei sensibilis, divinitus instituta, soli Deo per ministrum legitimum facta, cum destructione rei oblatæ, vel aliqua ejus immutatione, ad recognoscendum supremum Dei dominium in omnes creaturas.*

Dicitur 1° *oblatio :* quæ vox tenet locum generis : omnis quippe oblatio non est sacrificium, sed omne sacrificium est oblatio.

Dicitur 2° *externa*; quia, juxta omnes, sacrificium proprie dictum ad cultum Dei externum pertinet : non sufficeret ergo oblatio interna.

Dicitur 3° *rei sensibilis*, ut scilicet oblatio aliis hominibus pateat et vinculum sit religionis : sic etiam omnes apprehendunt.

Dicitur 4° *divinitus instituta ;* quia exterior cultus non est certe Deo gratus, nisi ab ipso immediate vel mediate fuerit determinatus : sacrificium autem præcipuus est cultus externi actus. Ergo.

Dicitur 5° *soli Deo facta*; quia sacrificium stricte sumptum eminentior est actus supremæ religionis. Ergo soli Deo competere potest, et ideo additur in definitione *ad recognoscendum*, etc.

Dicitur 6° *per ministrum legitimum*; quia, cum ille actus propter Deum et nomine religiosæ societatis offeratur, non a quocumque homine, sed a solo legitime deputato convenienter exerceri potest.

Dicitur 7° *cum destructione rei oblatæ, vel aliqua ejus immutatione*; ad rationem quippe sacrificii proprie dicti requiritur vel rei destructio, ad supremum Dei dominium perfecte significandum, vel saltem aliqua immutatio cujus naturam et necessitatem hic non expendimus.

Hæc autem definitio, si applicetur propriis terminis sacrificio Missæ, non caret difficultatibus quæ tamen multis theologis graves non videntur.

Vasquez alteram tradidit, quam plures laudaverunt ut magis accuratam.

Sic se habet : *Nota in re qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis*. De illa dicemus infra.

III. De variis sacrificiorum speciebus. — Sacrificium sub triplici respectu considerari potest, ratione scilicet materiæ, ratione formæ et ratione finis.

1° Ratione materiæ, dividitur in victimam seu hostiam; immotationem et libamen : hæc nomina et sequentia ex Veteri Lege deducuntur. *Victima* seu *hostia* dicebatur sacrificium quo offerebantur Deo animalia, sive quadrupedia, ut boves, vituli, oves et capræ; sive volatilia, ut columbæ, turtures et passeres; *immotatio* erat sacrificium quo offerebantur Deo res inanimes, sed solidæ; ut fruges terræ, panes, thura et alia hujusmodi; *libamen* erat sacrificium quo offerebantur liquida, v. g., vinum, oleum, sanguis, etc.

2° Ratione formæ seu modi quo fiebat sacrificium, dividebatur in holocaustum, hostiam pacificam et hostiam pro peccato. *Holocaustum* erat sacrificium, in quo tota res oblata comburebatur, et in fumum resoluta, sursum ascendebat, ut per totalem destructionem ejus supremum dominium Dei clarius significaretur. *Hostia pacifica* dicebatur sacrificium in quo una pars rei oblatæ comburebatur in honorem Dei, altera in usum sacerdotum cedebat, et tertia in usum ipsorum offerentium : sic quædam

perficiebatur communio inter Deum, sacerdotes et populum. *Hostia pro peccato* erat sacrificium in quo una pars in honorem Dei comburebatur, et altera cedebat in usum eorum tantum sacerdotum qui in atrio templi vescebantur, et ideo *peccata populi comedere* dicebantur.

3° Ratione finis, dividebatur in latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium. Dicebatur *latreuticum*, si per se totum in honorem Dei exhibebatur, ut holocaustum; *eucharisticum*, si ad gratias Deo agendas pro beneficiis acceptis offerebatur; *impetratorium*, si ad nova obtinenda beneficia destinabatur; et *propitiatorium*, si ad satisfaciendum Deo pro peccatis admissis fiebat.

IV. De sacrificii necessitate. — Non secus ac religio sacrificium est necessarium; sacrificium etenim pertinet ad essentiam religionis, et inter religionis opera ante omnia requiritur et superexcellit actio sacrificandi. At necessitas sacrificii, quatenus incumbit homini, triplici ex causa oritur.

1° Homo, in quantum est spiritualis, omnino tenetur sacrificia spiritualia Deo offerre; et hoc ad ordinem naturalem pertinet. Omnes enim libere agentes Deum amare, laudare, benedictionibus et cultu saltem interno honorare tenentur. Imo sacrificia externa valere non possunt, nisi cum affectu interno conjungantur et illius sacrificii interni velut signum habeantur. Nec illud sacrificium internum vera oblatione caret et mystica rei oblatæ immutatione; etenim per hujusmodi sacrificium mens, Deo sacrata, secundum naturam mortificatur, per gratiam renovatur et ad Deum transfertur.

2° Quatenus homo corpore materiali induitur, Deo sacrificium externum et sensibile exhibere debet, quia, ut ait S. Th., 2 2, q. 35, art. 1, conclus., « Est modus conve-» niens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua » exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accepit; » et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo qui-» busdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in » modum debitæ subjectionis et honoris, secundum si-» militudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt

» in recognitionem dominii : hoc autem pertinet ad ra-
» tionem sacrificii, et ideo ratio sacrificii pertinet ad jus
» naturale. »

His angelici Doctoris argumentis accedit altera ratio, quod, cum homines inter se religione sociari debeant, necesse est ut sacrificia externa et sensibilia ab eis offerantur. De natura igitur est veræ religionis ut quoddam sacrificium externum et sensibile Deo offeratur : genus autem sacrificii ac modus lege positiva determinatur.

3° Si demum consideretur homo quatenus per peccatum lapsus est et Deum offendit, necessitas sacrificii iterum evidentius patebit. Tunc enim sacrificium omnino requiritur ad Deum placandum, si tamen Deus placari non dedignetur ; unde etiam novum sacrificiorum genus institui debuit, sacrificium nempe substitutionis. Homo quidem non potest jam semetipsum Deo offerre tanquam victimam, quoniam peccator est et immundus. Ideo necesse est ut aliqua victima Deo grata ipsi substituatur ; item requiritur ut illud sacrificium sit cruentum, et victima homini substituta morti tradatur, ut homo, propter peccatum suum morti addictus, per sanguinem sacrificii de morte possit transire ad vitam ; ut etiam Dei justitiæ quodam modo, hac morte et sacrificio satisfiat.

Ex triplici necessitate ac modo sacrificii quem memoravimus patet quid ad essentiam veri sacrificii pertineat. Oblatio nempe interna et mystica animæ mortificatio, quam primum et internum spiritus sacrificium exposuimus, ad essentiam pertinet sacrificii cujusvis ; hoc solum offerre possunt angeli et spiritus ab omni materia expertes. — Ritus externi ad essentiam non pertinent nisi sacrificii ab homine oblati. — Tertius tandem modus sacrificandi nec ad essentiam sacrificii ex se pertinet, sed tantam ad essentiam sacrificii ad expiandum peccatum instituti ; et ideo, victima cujusvis sacrificii, nisi peccatum accidisset, non per mortem in deterius, sed per innovationem in melius mutaretur.

V. De sacrificiorum institutione. — 1° Nihil invenitur

in Scripturis ex quo possit inferri sacrificia homini fuisse præscripta a Deo ante peccatum ; sed cum sacrificia etiam externa ad jus naturæ pertineant, dubitari non potest ea fuisse necessaria et præscribenda in statu innocentiæ si diu perstitisset. — At certum est sacrificia a Deo fuisse præscripta statim post lapsum hominis ; ea quippe ab origine mundi usque ad Moysen videmus in usu : Cain et Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Jacob, Job, etc., varia obtulerunt sacrificia : *Cain de fructibus terræ, Abel de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum.* Gen. IV, 3, 4 ; *Noe tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare,* ibid. VII, 20 : Melchisedech protulit *panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,* Gen. XIV, 18 ; Abraham *arietem inter vepres hærentem cornibus assumens obtulit holocaustum pro filio,* Gen. XXII, 14 ; Jacob *lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper*, Gen. XXVIII, 18, etc. Hæc autem mandatum Dei positivum supponunt, alioquin non fuissent tam uniformia et tam constantia.

2° Sub lege mosaica multa variaque instituta sunt sacrificia. Inter ea autem quæ præscripta sunt præcipue considerari debent sacrificia cruenta. Hi ritus in quibus sanguis victimarum effunditur, profunda indicant mysteria, videlicet : — a) hominem peccatorem redemptione indigere ; — b) sanguine redimendum et a peccatis abluendum esse, quia carni et sanguini acquiescendo, peccaverat ; — c) Deum condignam non exigere satisfactionem ab ipsis peccatoribus, sed meritorum et satisfactionum substitutionem misericorditer accipere ; — d) non omnes victimas pari modo ipsi gratas esse : unde animalia fera, nociva, horrorem excitantia, ut lupi, tigres, aquilæ, serpentes, etc., Deo non offerebantur in sacrificium : bene vero animalia mansueta, pura, ad usum humanum apta : hinc mundorum et immundorum distinctio, tempore Noe jam existens, per Moysen renovata ac firmata.

3° Ex divina sacrificiorum cruentorum institutione, in ipso mundi exordio facta, varii orti sunt ritus, apud diversas gentes usitati, victimas immolandi ; omnes po-

puli persuasum habuerunt, et innumeræ gentes ethnicæ nunc exstantes adhuc persuasum habent, divinitatem sacrificiis placari et propitiam erga homines reddi. Hinc ubique præcipuus religionis actus, in honorem Dei veri aut ficti exercitus, fuit effusio sanguinis sive animalium purorum, raro immundorum, sive hominum; fere ubique enim, in falsis religionibus, immolatæ sunt victimæ humanæ, saltem in extraordinariis periculis, quia credebatur hostias minoris pretii pro tanta obtinenda gratia sufficientes non fore.

4° In crudelibus istis consuetudinibus et in monstruosis hujusmodi erroribus quædam supersunt traditionis vestigia, communem originem attestantia, nempe lapsum hominis, redemptionis necessitatem, Redemptoris promissionem, sacrificiorum cruentorum præscriptionem, in figuram cruenti et pretiosissimi sacrificii quo redimendus esset mundus. In ea quippe hypothesi, diversæ populorum consuetudines, circa sacrificia Deo offerenda, facile explicantur, et sepositis his fundamentalibus fidei nostræ dogmatibus, nulla illarum assignari potest ratio.

VI. De sacrificiorum unitate. — 1° Cuncta veteris Legis sacrificia ingens sacrificium a Christo pro salute mundi in cruce offerendum adumbrabant : *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti*, Rom. x, 4. Est agnus, *qui occisus est ab origine mundi*, Apoc. xiii, 8, nempe in victimis eum repræsentantibus, quæ multiplices erant et diverso ritu offerebantur, ut varias magni sacrificii circumstantias significarent, et efficerent ut res una tanquam verbis multis diceretur atque sine fastidio commendaretur. Facile autem monstrari potest vetera sacrificia eorumque cæremonias cum Christo ejusque sacrificio optime quadrare : v. g. mactabantur victimæ, Christus immolatus est; sacrificium pro peccato simpliciter dicebatur peccatum; Deus *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, II Cor. v, 21; præscribebantur victimæ mundæ, Christus autem erat *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus*, Hebr. vii, 26 :

corpora victimarum extra castra cremabantur, Christus extra portam Jerusalem passus est, etc.

2° De fide est Christum figuras sacrificiorum Veteris Legis adimplevisse, et cruci affixum, seipsum Patri pro peccatis totius mundi offerendo, verum consummasse sacrificium : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam, in odorem suavitatis*, Eph. v, 2; *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. ix, 28; *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. v, 7 ; *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, ibid. x, 14.

3° Sacrificium Missæ quod Christus in cœna instituit, pridie quam pateretur, non in veritate differt a sacrificio crucis : ideo enim institutum est ut « sacrificium illud » cruentum, quod semel in cruce peractum est, repræ» sentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi » perveniret, atque illius salutaris virtus in remissionem » eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccato» rum applicetur. » Conc. Trid. sess. 22, c. 1.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

I. De diversis sacrificii Eucharistici nominibus. Jam monuimus Eucharistiam non consistere in actione transitoria, sicut alia sacramenta, sed in ea distingui confectionem et statum permanentem : actio qua divinum illud sacramentum conficitur, variis nominibus appellatur, scilicet apud Græcos μυσταγογία, id est *introductio ad mysteria* σύναξις, seu *conventus* aut *cœtus*; ιερουργία, *opus sacrum*; εὐλογία, *benedictio*; λατρεια, *adorationis cultus*; θυσία. *sacrificium*; et præsertim λειτουργία, idem significans ac *opus sacrum* publicum, quia confectio divinæ Eucharistiæ præcellentissimum est opus sacrum : apud La-

tinos vero præcipue dicitur *collecta* vel *collectæ*, quia illius occasione populus in unum colligitur ; *dominicum*, quia sacratissima est actio, ex institutione Domini facta ; *oblatio*, quia divinæ majestati offertur ; et communius *Missa*, quæ vox neque hebraica neque græca est, ut quidam voluerunt, sed evidenter latina, apud solos auctores latinos usitata, a verbo *mittere* derivata ; quia, re consummata, populus dimittebatur, publice dicendo, *Ite Missa est*. Missa pro missione ponitur sicut collecta pro collectione, et sensus est : *Missio seu dimissio vobis datur, ite*.

Duplex olim fiebat populi dimissio inter ritus pro conficienda sacra Eucharistia constitutos : una post evangelium quando dimittebantur pœnitentes et catechumeni, et altera in fine operis sancti, clamante diacono : *Ite, Missa est*. Pars prior vocata est *Missa catechumenorum*, et posterior *Missa fidelium*. Hinc S. Aug., Sermone 49, n. 8 (t. V, col. 275) : « Ecce post sermonem fit Missa catechu» menorum ; manebunt fideles. »

Hinc mos invaluit totam liturgiam, sive publice, sive privatim celebratam, vocandi *Missam*. S. Avitus, episcopus Viennensis, anno 524 vita functus, in Epist. 1, Gundobaldo regi dicit : « In Ecclesiis palatiisque, sive prætо» riis, Missa fieri prænuntiatur, cum populus ab observa» tione dimittitur ; » Biblioth. Patrum, t. IX. Hanc esse vocis *Missæ* etymologiam plerique docent auctores, ut card. *Bona*, l. I, cap. 1 ; P. *Le Brun*, t. I ; *Bossuet, Explication de la Messe*, t. XXIV, etc.

II. Annumerantur sacrificio missæ adversantes. — Negant illam divinæ Eucharistiæ confectionem esse proprie dictum sacrificium quicumque dogma præsentiæ realis rejiciunt, et in hoc sibi consentiunt Lutherani, præsentiam realem retinentes, nihilominus rationem sacrificii proprie dicti abjiciunt : patriarcha eorum totam retinuit liturgiam usque ad finem Symboli ; reliquam vero vocat abominationem. Dicit in libro de Missa privata, anni 1533, *sibi a dæmone suggestum et persuasum fuisse Missæ sacrificium abrogandum esse ;* in confessione sua de-

clarat se Missam super omnes abominationes habere, et maxime dolere eam per quindecim annos more catholicorum celebrasse.

Henricus VIII totam conservavit liturgiam, expunctis tantum nominibus summi Pontificis, S. Thomæ Cantuariensis et nonnullis aliis : verum sub Eduardo VI, vetus abrogata, vel universim mutata est liturgia, et deinde generalia regni comitia declaraverunt, anno 1549, Eucharistiam esse quidem sacramentum, non vero sacrificium. Et hoc confirmatum est anno 1562, sub regina Elisabeth, a synodo Londini coadunata quæ actum edidit dictum *uniformitatis*, quo substantia doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ fuit determinata in 39 famosissimis articulis :

Diversæ igitur Protestantium sectæ, sicut Mahumetani, non nisi sacrificia improprie dicta, videlicet laudum, precum, etc., in cultu suo habent.

III. Asseritur, ac probatur dogma catholicum de existentia sacrificii missæ. — Cæteri Christiani, Catholici, Schismatici et Hæretici in Missa proprie dictum agnoscunt sacrificium; quod sic statuitur et probatur;

PROPOSITIO.

In Eucharistiæ confectione, quæ dicitur Missa, verum Deo offertur sacrificium.

Hæc propositio est de fide; probatur ex prophetiis, ex verbis Christi, ex apostolorum praxi, ex testimoniis Patrum, ex præscriptione, et ex rationibus theologicis.

Est de fide. Traditur enim in concilio Nicæno I, can. 14, ubi prohibetur ne qui offerendi sacrificii potestatem non habent, *his qui offerunt corpus Christi porrigant.* In Ephesino generali III, dicitur, *Labbe*, t. III : « Sanctum » ac vivificum incruentumque in ecclesiis sacrificium per- » agimus; corpus quod proponitur, similiter et pretio- » sum sanguinem. » In Chalcedonensi, t. IV, Eucharistia vocatur, nemine reclamente, *Terribile et incruentum sacrificium.* Tandem in concilio Trid., sess. 22, can. 1, expresse

definitur his verbis : « Si quis dixerit in Missa non offerri » Deo verum et proprium sacrificium... ; anathema sit. » Ergo est de fide.

Prob. 1° *ex prophetiis.* Ps. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Dubitari non potest quin hæc verba de Christo sint intelligenda, cum Apostolus, Hebr. v, 5 et 6, dicat : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum... Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Unde Missa proprium est sacrificium, si Melchisedech verum obtulerit sacrificium ; si Christus simile offerre debuerit sacrificium, et si tale sacrificium non nisi in Missa reperiri possit : atqui hæc tria constant.

— A) Melchisedech verum obtulit sacrificium : legitur enim in Gen. XIV, 18 : *Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Altissimi, benedixit ei.* Ex hoc textu, sic argumentari licet : Ratio cur Melchisedech panem et vinum obtulit, est, juxta Scripturam, quia erat sacerdos : *erat enim sacerdos Altissimi.* Verum oblatio seu prolatio panis et vini ab aliquo facta, ex eo quod sit sacerdos Altissimi, designat oblationem seu sacrificium Deo factum. Ergo.

Aliunde dici non potest, ut volunt Protestantes, Melchisedech obtulisse, per panem et vinum, alimenta Abraham et militibus ejus : nam Abraham et milites ejus magnam referebant substantiam ; aliunde Abraham *dedit ei decimas ex omnibus ;* ideo panem et vinum obtulit quia erat sacerdos Altissimi. Ergo, etc.

— B) Christus debuit offerre sacrificium cujus sacrificium Melchisedech fuit typus seu figura ; est enim sacerdos, juxta Prophetæ et Apostoli verba : sacerdos autem dicitur, quia sacrum facit, seu sacrificat. Porro non esset sacerdos secundum ordinem Melchisedech, si ipsius sacrificium quamdam non haberet similitudinem cum sacrificio Melchisedech, et excellentius etiam esse debet, quia ante Christum *omnia in figura contingebant illis*, I Cor. x, 11. Si autem B. Paulus, Christum cum Melchisedech confe-

rens, circumstantiam sacrificii non meminerit, id contigit quia illa ad scopum a se intentum non attinebat. Ergo.

— c) Hujusmodi sacrificium in sola Missa inveniri potest, nempe sacrificium panis et vini, sicut Melchisedech obtulerat, sed modo longe perfectiori, quod generaliter adverterunt et docuerunt SS. Patres; v. g., S. Cypr., Epist. 63 : « Ut ergo in Genesi, per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, » præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane et vino » scilicet constituta : quam rem perficiens et adimplens » Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit, et » qui est plenitudo veritatis, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. » Tota legatur Epistola.

S. Aug. de Civitate Dei, l. XVI, cap. 22 : « Sed plane » tunc benedictus est (Abraham) a Melchisedech, qui » erat sacerdos Excelsi... Ibi quippe primum apparuit sacrificium quod nunc a Christianis offertur Deo, toto » orbe terrarum. » Ergo.

Malach. I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suspiciam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Sacrificium hic prænuntiatum est vel sacrificium Aaronicum, vel sacrificium crucis, vel sacrificium bonorum operum, vel saficium Missæ : alia hypothesis excogitari non potest : atqui tria priora dici nequeunt.

— A) Non sacrificium Aaronicum, siquidem Deus expresse dicit Judæis se munus de manu eorum non susceptum, et aliquid magnum futurum ac novum prænuntiat.

— B) Non sacrificium crucis, quod semel et in uno loco tantum oblatum est.

— C) Non sacrificium imperfectum seu bonorum operum; — a) quia bona opera non simpliciter dicuntur sacrificia, sed cum addito, v. g., sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, etc.; — b) quia prænuntiari non poterant, ut no-

vum constituentia sacrificium, cum semper a Judæis offerri potuerint; — c) quia in Protestantium principiis, hæc opera dici non possent *oblatio munda*, siquidem omnes actiones nostras, quantumvis ex se laudabiles, ut totidem habent peccata. Unde S. Just., Dial. cum Tryphon., n. 31, integrum Malach. citat textum et addit : « De iis » autem quæ in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei » sacrificiis, hoc est de pane Eucharistiæ et de calice si- » militer Eucharistiæ, jam tum prædicit. » Ergo 1°.

Prob. 2° *ex verbis Christi.* In institutione enim Eucharistiæ Christus dixit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur, vel funditur,* ut habet textus græcus. Unde sic : Eo instanti corpus Christi erat sub specie panis, et sanguis sub specie vini, vi sacramenti; proinde tunc Christus aderat sacramentaliter in statu mortis, corpus et sanguis ejus in remissionem peccatorum Deo Patri offerebantur, cum precibus, benedictionibus et gratiarum actionibus : in ea igitur actione sacra omnes reperiuntur characteres sacrificii proprie dicti. Porro Christus dixit Apostolis eorumque successoribus : *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII, 19. Ergo 2°.

Prob. 3° *ex Apostolorum praxi.* Exemplo Christi et ex mandato ejus, Apostoli sacram confecerunt Eucharistiam, eamque velut sacrificium obtulerunt : *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis,* Act. II, 42. *Una sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*, ibid. XX, 7, etc. B. Paulus enim, I Cor., X, 16, ait : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Deinde, fideles a cultu idolorum deterrere volens, addit, ℣ 20 : *Sed quæ immolant gentes, demoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Et Hebr. XIII, 10 : *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Ex his testimoniis constat Apostolum sacræ Eucharistiæ

confectionem sacrificiis apud paganos usitatis comparare : at vera apud paganos fiebant sacrificia. Ergo 3°.

Prob. 4° *ex testimoniis SS. Patrum.* Jam citavimus testimonia non dubia S. Justini, S. Cypriani et S. Aug. Tertull. de Corona, cap. 3, ait : « Oblationes pro defunc-» tis, pro natalitiis, annua die facimus... calicis aut pa-» nis nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. » S. Ambros., de Officiis, l. I, cap. 41, n. 214, verba S. Laurentii ad S. Sixtum, ad martyrium properantem, sic refert : « Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas » tuo? Nunquam sine ministro sacrificium offerre con-» sueveras. »

S. Hieron. in cap. 46 Ezech. loquens de Eucharistia dicit eam esse *legitimum Dei sacrificium, juge atque perpetuum.*

S. Aug. multis in locis de sacrificio Eucharistiæ loquitur, et presertim in Conf., l. IX, cap. 11, refert matrem suam prope morituram sibi et fratri suo dixisse : « Po-» nite hoc corpus ubicumque, nihil vos ejus cura con-» turbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare » memineritis mei ubi fueritis. » Postea circumstantias funeris ejus describens, dicit, n. 32 : *Sacrificium pretii nostri pro ea* oblatum fuisse, *sicut illic fieri solet.* Certe nihil clarius desiderari potest. Ergo 4°.

Prob. 5° *ex præscriptione.* Quando quidam ex Protestantium sectis negare inceperunt Missæ sacrificium, Ecclesia Catholica universim in fide et in usu habebat hanc confectionem sanctissimæ Eucharistiæ esse verum et proprium sacrificium; atqui hanc fidem a Christo et ab Apostolis accepit, si nullo quovis tempore eam adinvenire potuerit : porro res ita se habet : — non quidem id potuit a schismate Græcorum; nam Græci non accepissent hanc fidem ab Ecclesia Latina, si eam instituisset; et pariter Ecclesia Latina a Græcis eamdem recipere recusasset. — Nec ante schisma Græcorum hujus novæ fidei introductio ullo modo supponi potest; jam enim in Oriente vigebant antiquissimæ sectæ, quæ Ecclesiam Catholicam omnino invisam tenebant; quæ minime ab ea

quidquid accipere erant paratæ; atqui, illæ sectæ habent et semper habuerunt altaria in quibus immolabant, sacerdotes qui sacrificabant, liturgias quæ ritum immolandi et offerendi continebant, et omnes, saltem quoad substantiam perfecte sibi consentiunt, ut videre est apud card. *Bona*, Rerum liturgic. lib. I, cap. 6; P. *Martène*, P. *Scheffmacher*, *lettre* 1; P. *Le Brun*. Impossibile est igitur ritum tam sanctum, tam antiquum, tam veneratum, tam diffusum et in substantia tam uniformem, decursu temporum fuisse introductum. Ergo 5°.

Prob. 6° *ex rationibus theologicis.* — a) In Ecclesia verum existit sacerdotium, ut ait B. Paulus, Hebr. VII, 12: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*, et universa testatur traditio : at præcipuum munus sacerdotis est offerre sacrificium : *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*, Hebr. V, 1 : ergo. — b) Semper in Ecclesia exstiterunt altaria, ut constat ex verbis Apostoli supra citatis, *habemus altare*, etc., etc., ex antiquissimis Patribus et ex toto historiæ ecclesiasticæ decursu; porro altaria non dicuntur nisi propter sacrificia in illis offerenda; quod adeo verum est, ut Calvinus sacrificium Eucharistiæ tollens, nomen altaris mutaverit in mensam, Inst., lib. IV, cap. 18, n. 2. — c) In confectione sacræ Eucharistiæ omnes reperiuntur conditiones ad constituendum sacrificium proprie dictum, nempe victima divine instituta, minister rite deputatus, sensibilis oblatio soli Deo facta, et mystica victimæ vere immolatæ repræsentatio, cum vi verborum corpus sit sub specie panis, et sanguis sub specie vini. Ergo 6°; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Christus in ultima cœna recubuit cum discipulis, panem accepit, benedixit ac fregit deditque illis, sed non legitur eum sacrificium obtulisse : ergo sacræ Eucharistiæ confectionem non instituit velut sacrificium.

R. Nego conseq. Nam omnia quæ Christus in ultima cœna dixit, non fuerunt scripta. Legitur aliunde eum oculos ad Patrem levasse et gratias egisse : hæc autem evidenter significant oblationem, ac proinde sacrificium. Res tandem per se denotat sacrificium. Ergo.

Inst. 1°. Christus sacrificium crucis prænuntiare voluit, et ideo de sanguine suo dixit, *qui pro vobis funde-tur ;* ergo verum non obtulit sacrificium.

R. Nego ant. — a) Etenim si Christus solummodo sacrificium crucis repræsentare aut significare voluisset, nudum adhibuisset signum, non vero præsentiam realem. Attamen de fide est illum convertisse panem in corpus et vinum in sanguinem suum. Ergo. — b) In textu græco non habetur futurum, sed præsens, *funditur.* — c) Et si legendum esset, *fundetur,* ad exprimendam realem sanguinis effusionem, nihilominus actualis mystica effusio exstitisset, cum de præsentia reali constet. Ergo.

Inst. 2°. Si Christus verum obtulisset sacrificium valoris infiniti in ultima cœna, jam sacrificium crucis fuisset inutile. Ergo.

R. Nego ant. Singulæ actiones Christi infiniti fuerunt pretii, et tamen mundum independenter a sacrificio crucis non redemerunt, quia, ex decretis Dei, Christus moriturus et superabundanter satisfacturus erat : sic a pari sacrificium ultimæ cœnæ, licet verum et valoris infiniti, sacrificium crucis non evacuavit. Præterea, suum habebat valorem ex futuro crucis sacrificio, cujus realis erat repræsentatio. Ergo.

Inst. 3°. Plures theologi in Concilio Trident. dubitabant an Christus in ultima cœna verum obtulisset sacrificium, ut narrat Palavic., l. XVIII, cap. 1, n. 10, et cap. 2. Ergo.

R. 1°. *Negari potest ant.* Non præcise enim quidam in Concilio Trid. dubitabant an Christus in ultima cœna verum obtulisset sacrificium, sed an ipsius sacrificium fuisset propitiatorium, sicut est sacrificium Missæ, ut videre est apud Palav.

R. 2°. *Nego conseq.* — a) Nam omnes Patres qui circa

naturam potius quam existentiam sacrificii Christi dubium movebant, de veritate sacrificii Missæ non dubitabant. Unde ad summum sibi contradixissent.— b) Etiamsi concederetur eos de existentia sacrificii Christi, vel de ipso sacrificio Missæ dubitasse, quid inde? Nonnullorum opinio, ante positivam Ecclesiæ definitionem, fidei dogma non concutit. Ergo.

Obj. 2°. Apud B. Paulum, Hebr., IX, 12, legitur Christum semel introisse in sancta, *æterna redemptione inventa;* et ℣ 26 : *Semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam* apparuisse; et cap. X, 14 : *Una oblatione* consummasse *in sempiternum sanctificatos*. Ergo aliud, præter sacrificium crucis, non requirendum est sacrificium.

R. Nego conseq. Christus equidem seipsum Deo Patri in cruce offerens, abunde pro peccatis totius mundi satisfecit quoad pretium; sed Deus, ex rationibus sibi cognitis, statuit ut pretium istud valoris infiniti specialibus modis applicaretur individuis : hinc sacramenta a Christo instituta, aliaque media apud ipsos Protestantes usitata; ut actus fidei, spei, charitatis, religionis, orationes, eleemosynæ, etc., quæ plus minusve directe gratiam producunt, suam efficaciam ex sacrificio crucis hauriunt : ergo similiter Missa potest esse sacrificium proprie dictum, sed relativum ad crucis sacrificium, ejus commemorativum, et ex eo vim suam ac virtutem ducens. Ideo virtus sacrificii crucis per Missæ sacrificium non evacuatur nec minuitur.

Juxta enim fidem Ecclesiæ, sacrificium Missæ non differt substantialiter a sacrificio crucis, sed tantum in modo illud offerendi : eadem quippe est hostia et idem sacerdos principalis, nempe Christus, qui, *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium; unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr., VII, 23.

Quædam proferuntur difficultates ex ratione petitæ, scilicet, ex eo quod immutatio victimæ ad constituendum

sacrificium requisita, in Missa reperiri nequeat. Sed eas multiplici modo solvunt theologi.

IV. Exponuntur theologorum opiniones ad explicandum Missæ sacrificium. — 1° Priori definitioni a nobis allatæ inhærentes quidam theologi dicunt in sacrificio Missæ non esse quidem mactationem sicut in sacrificiis Judæorum et in cruce, sufficientem tamen inveniri immutationem et immolationem ad rationem hujus sacrificii commemorativi. Etenim in Missa non tantum panis et vinum immutantur in corpus et sanguinem Christi, sed ipse Christus per verba consecrationis in statu inferiori constituitur, ad naturales nempe sensuum functiones non jam aptus; imo in statu victimæ et cibi producitur, et quidem in ordine ad aliquam sui destructionem in communione consummandam. Præterea per verba consecrationis, ita separantur corpus et sanguis ab invicem, ut vi verborum solum corpus sit sub speciebus panis absque sanguine, et sub speciebus vini sanguis sine corpore; et sic Christus vere sub speciebus producitur quasi mortuus et vere mactatus, cum solummodo per concomitantiam corpus Christi cum sanguine, et cum corpore sanguis simul adesse possint; ita *Dens*. Hæc quidem vera sunt, et vivide admodum mortem Christi in cruce peractam repræsentant. Si tamen in se sumatur sacrificium Missæ et absolute, ad strictam rationem sacrificii sufficere non videntur.

2° Ideo alii ad definitionem et distinctionem a *Vasquesio* datam recurrunt. Juxta hanc definitionem, quam supra tradidimus, ad rationem sacrificii sufficit nota aliqua in re existens qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis. Deinde duplex distinguunt sacrificium; alterum absolutum, quod in se perficitur, uti mactatio pecudis, et sacrificium Christi in cruce; alterum relativum seu commemorativum, quod non est proprie sacrificium nisi virtute alterius ad quod refertur et cujus est commemoratio seu repræsentatio.

His positis difficultas facile solvitur. — Adest enim in altari vere et realiter ipse Christus olim in cruce mactatus; — adest Christus sub forma commemorativa cru-

cis sacrificii, cujus, per durarum specierum consecrationem, seu mysticam immolationem, veram exhibet repræsentationem. — Adest et offertur realiter Deo idem ac olim in cruce, ad eum colendum et profitendum auctorem vitæ et mortis. Hinc habetur in illo sacrificio quidquid *sacrificium commemorativum* constituit. Non enim in hujusmodi sacrificio requiritur immolatio et immutatio realis, sed ea sufficit quæ præcessit in sacrificio absoluto; quia non sunt duo sacrificia sed unum et idem sacrificium, quod semel in cruce peractum, quotidie iteratur mystice in sacrificio altaris et commemoratur.

Quod sic præclare exponit *Moehler* (Symbolique, l. I, § 44) : « Le sacrifice de la Messe est un véritable sacrifice; » mais on ne peut toutefois le séparer de la vie du Sau» veur, comme on le voit clairement par le but de son » institution. Dans cette dernière partie de son sacrifice, » Jésus-Christ nous donne tout ce qu'il a fait pour nous; » son immolation, d'objective qu'elle était, devient sub» jective, propre à chacun de nous en particulier. Le » Rédempteur s'immolant sur la croix nous est encore » étranger; dans ce culte, il est notre bien propre, notre » victime. Là il se donna pour tous les hommes, ici il se » donne à chacun de nous. Là il ne fut que victime, ici » il est reconnu et adoré comme tel. »

Vide *Vasquez, de Lugo, Knoll,* etc.

3° Alia est sententia quam exposuit P. de *Condren,* Præp. Gen. Cong. Orat., et quæ apud theologos ejusdem congregationis evasit celeberrima. Hæc sententia non differt essentialiter a præcedenti; quod enim *Vasquez* et alii considerant quasi in particulari, in opinione P. de *Condren* generali modo extenditur ad plura, et inde veritas magis elucet.

Distinguit auctor prælaudatus in sacrificio Christi illas partes varias quæ in sacrificiis Judæorum reperiebantur, id est, sanctificationem, oblationem, immolationem, consummationem et communionem, easque non disjungendas esse docet, sed omnes coalescere, unicumque Christi sacrificium efformare. Juxta hanc doctrinam, in

nulla seorsim sumpta istarum actionum, nequidem in immolatione crucis completur Christi sacrificium, sed in omnibus. Christus enim primum sanctificatur ut sit victima, in primo suæ incarnationis momento, juxta illud : *Ideo, ingrediens mundum dixit : hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Hebr. x, 5. — Oblatus est Deo immolandus, in die præsentationis ejus in Templo, unde beatus Simeon dixit ad Mariam, quæ quasi munere sacerdotali fungebatur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. II, 35. — Deinde immolatur et mactatur in cruce ; ad hoc enim venit in mundum ut nos redimeret et Deo reconciliaret per sanguinem suum in cruce effusum : *Habeo*, inquit, *baptismo baptizari, et quomodo coarctor, usquedum perficiatur.* Luc. XII, 50. — Insuper consummatus est quando, resurgens ex mortuis, immutatur et glorificatur secundum corpus et animam. — Tandem per communionem consummatur Christi sacrificium ; per communionem nempe Patris in cœlo, et etiam per communionem nobiscum in sacramento. Etenim Christus, nunc et in æternum, stat coram Patre in statu consummationis, et in eo statu per verba consecrationis super altare fit præsens et offertur, et cum sit a sacerdote fidelibusque sumendus, in statu quoque communionis adest.

Partes illæ sacrificii Christi non possunt realiter ab invicem separari ; sed possunt seorsim considerari ; et in singulis aliqua eminet perfectio. Imo in singulis verum et speciale offertur sacrificium in quo cætera eminenter continentur et quasi recapitulantur, sive quæ jam effecta præcesserunt, sive quæ peragenda subsequentur : cum idem sit Christus qui, seipsum offerendo, perfectis prioribus, ad posteriora perficienda animo volentissimo progreditur. At sacrificium Christi in nulla parte plene perficitur et consummatur, nisi ultimo in cœlo, ubi, omnibus prærequistis ad perfectionem sacrificii sui successive adimpletis, *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Hebr. x, 14.

Hæc sententia nunc multis grata est, et tanquam vera

haberi potest ; non tantum quia plenitudine et sublimitate expositionis commendatur, sed præcipue quia quasi insinuata apparet in antiquis sacrificiis quibus præfiguratum est Christi sacrificium ; insuper, quia facile accommodatur exponendis scripturarum verbis ; ac tandem quia ad solvendas difficultates circa tantum mysterium apprime convenit.

CAPUT TERTIUM.

DE ESSENTIA MISSÆ SACRIFICII.

Apud omnes constat duo ad rationem sacrificii omnino necessaria esse : rem offerendam seu victimam, et actionem offerentis. Quærendum est igitur 1° quænam res in sacrificio Missæ Deo sit offerenda, et 2° quænam actio ad essentiam illius sacrificii pertineat.

ARTICULUS PRIMUS.

DE RE IN SACRIFICIO MISSÆ ESSENTIALITER OFFERENDA.

I. QUID SENTIANT HETERODOXI DE RE IN SACRIFICIO MISSÆ OFFERENDA. — Plerique Protestantes, saltem Lutherani et Anglicani, nomen sacrificii retinent, et sanctæ cœnæ, ut aiunt, illud applicant. Sed Melanchthon, in Apologia confessionis Augustanæ, contendit illud esse tantum eucharisticum seu gratiarum actionem, a fidelibus Deo reconciliatis factam, pro remissione peccatorum et aliis beneficiis acceptis ; non vero propitiatorium dici posse, sine grandi in sacrificium crucis contumelia.

P. *Le Courayer*, canonicus regularis S. Genovefæ Parisiensis, in opere dicto : *Dissertation sur la validité des ordinations anglicanes*, anni 1723, et in altero : *Défense*

de la Dissertation, etc., anni 1726, contendit Anglos, præsentiam realem negantes, omnia ad essentiam sacrificii necessaria nihilominus retinere, et controversiam hoc in puncto inter eos atque catholicos esse duntaxat nominis; vult autem naturam sacrificii in sola mortis Christi repræsentatione consistere, etiam absque reali præsentia, et solummodo esse sacrificii crucis commemorationem.

II. VERITAS CATHOLICA EXPONITUR AC PROBATUR. — Catholici libenter concedunt illud revera sacrificii crucis esse commemorationem, sed veram, realem, et non nudam. Cum quibus sit sequens

PROPOSITIO.

Nuda sacrificii crucis repræsentatio ad essentiam sacrificii Missæ, prout a Christo fuit instituta, non sufficit, sed præsentia realis est omnino necessaria.

Prob. concilio Trid., testimoniis Patrum et rationibus theologicis.

1° *Concilio Trid.*, sess. 22, cap. 1, ubi sic habetur : « Dominus noster... ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret; atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur... corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit : ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba : *Hoc facite*, etc. »

In capite 2 : « In divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. » Et in canone 3 ejusdem sess., anathemate

percutit eum qui dixerit « Missæ sacrificium tantum esse » laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemora- » tionem sacrificii in cruce peracti. » Concilium non præcise propositionem nostram definit, quia necessitatem præsentiæ realis non directe exprimit, sed eam in his textibus evidenter supponit. Ergo 1°.

2° *Testimoniis Patrum*. Relegantur testimonia superius ad probandum sacrificii Missæ existentiam citata, et comperietur Patres non aliter intellexisse dictum sacrificium nisi de vera corporis et sanguinis Christi oblatione : ergo semper arbitrati sunt præsentiam realem ad illius essentiam pertinere. Ergo 2°.

3° *Rationibus theologicis* — a) Sacrificium Missæ longe præstantius esse debet veteribus sacrificiis quibus adumbrabatur : at, in adversariorum sententia, præstantius non esset, siquidem vetera etiam crucis sacrificii erant repræsentationes seu figuræ. — b) In sacrificio proprie dicto res aliqua sensibilis cum notabili immutatione offerenda est; at si Missa nuda esset sacrificii crucis repræsentatio, nulla res sensibilis cum notabili immutatione Deo offerretur : ergo. — c) Apud omnes Catholicos certum est sacrificium Missæ a sacrificio crucis non differre, nisi in modo illud offerendi : si autem essentia ejus in sola repræsentatione vel commemoratione sacrificii crucis consisteret, manifestum est quod utrumque essentialiter differret. Ergo 3°.

Sæpe tamen Patres et alii doctores Missæ sacrificium vocant similitudinem, memoriam, commemorationem, figuram, imaginem, symbolum, etc., sacrificii crucis, et quidem rectissime; sed dicendum est illud esse simul figuram, imaginem, etc., et realitatem; quod *ex dictis* optime intelligitur.

Unde quidam theologus apud *de Pressy*, t. I, col. 1420 : « Dès le moment de son incarnation, il a exercé son sa- » cerdoce; il a continué de l'exercer à chaque instant » jusqu'à sa mort; il a continué depuis lors à chaque » moment, et il continuera ainsi durant tous les siècles » l'exercice de ce même sacerdoce. »

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ACTIONE IN QUA ESSENTIA SACRIFICII CONSISTIT.

I. Enumerantur actiones sacrificii Missæ. — Sex præscriptæ sunt vel distinguuntur actiones in celebratione Missæ, nempe : 1° offertorium quod est oblatio panis et vini ; 2° consecratio ; 3° oblatio corporis et sanguinis Christi, post consecrationem, per hæc verba : *Unde et memores nos servi tui... offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam puram ;* 4° fractio hostiæ ; 5° communio seu sacramenti consumptio ; 6° sacramenti distributio.

Certum est nullam ex his actionibus voluntarie omitti posse sine peccato mortali, quia esset mutatio in re gravi ; et aliunde, his omnibus peractis, sacrificium Missæ esse completum . nihil quippe aliud exhiberi potest ut essentiale.

II. Excluduntur actiones in quibus non consistit essentia sacrificii. — 1° Essentia sacrificii Missæ non consistit in offertorio ; siquidem panis et vinum duntaxat offeruntur ; dum oblatio corporis et sanguinis Christi de essentia est hujus sacrificii, ex supradictis.

2° Non consistit in oblatione quæ fit post consecrationem. — a) Nam illa oblatio non fit nomine Christi, sed nomine Eccesiæ. — b) In ea nulla fit victimæ immutatio. — c) Christus in ultima cœna fecit quidquid pertinebat ad essentiam sacrificii quod instituebat ; atqui nihil probat eum hanc secundam oblationem fecisse : ergo.

3° Non consistit in fractione hostiæ ; hæc enim fractio rem ipsam offerendam nullo modo afficit, ac consequenter sacrificii essentiam constituere non potest. Unde S. Th., 3ª p., q. 83, art. 6, ad 6um, et omnes theologi cum illo : « Dicendum quod fractio fiat hostiæ conse» cratæ, et quod una sola pars mittatur in calicem, res» picit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat » populum ; et ideo horum prætermissio non facit imper-

» fectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid » reiterare circa ejusdem celebrationem. » Ergo.

4° Non in distributione quæ fit populo ; — a) alioquin Missa non esset sacrificium respectu eorum qui non communicant. — b) Distributio ex hostiis in ea Missa consecratis necessario facienda esset. — c) Missa in qua solus communicaret sacerdos celebrans, vera non esset Missa. — d) Solus sacerdos celebrans communionem distribuere posset : atqui hæc omnia falsa sunt : ergo.

III. Indicatur actio in qua consistit sacrificii essentia. — 1° Nullum est dubium quin consecratio ad essentiam sacrificii Missæ pertineat ; per eam enim actionem Christus in ente sacramentali realiter constituitur, mystice mactatur, et seipsum Deo Patri per sacerdotem offert. Ergo.

2° Quamvis consecratio unius speciei seorsim sumpta sit valida, ut in prima parte ostendimus, consecratio utriusque speciei ad essentiam sacrificii necessaria est ; quia secus sacrificium crucis non realiter repræsentaretur, Christus in statu mortis Deo non offerretur, sacrificium in ultima cœna institutum non renovaretur, nec proinde hæc implerentur verba : *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo.

3° Bellarminus, Melchior *Canus*, *Tournely*, et plures alii crediderunt communionem sacerdotis ad essentiam sacrificii Missæ pertinere ; quia illud sacrificium per modum convivii fuit institutum, nec concipitur sine sumptione. Alii vero generaliter theologi fatentur communionem sacerdotis esse integralem hujus sacrificii partem, jure divino strictissime præscriptam : et inde natam esse rubricam, ut si sacerdos post consecrationem et ante communionem deficiat, alius substituatur sacerdos, etiam non jejunus, qui Missam perficiat ; sed negant eam ad naturam illius sacrificii pertinere : — a) quia sacrificium perfectum existere potest sine sumptione, ut olim holocausta. — b) Communio seu sumptio est participatio victimæ, et ideo supponit eam esse mactatam atque oblatam. — c) Certum est Christum in ultima cœna verum

obtulisse sacrificium, et incertum an proprium corpus et sanguinem sumpserit, licet hoc habeatur ut valde probabile : ergo saltem concipitur essentiam sacrificii communionem non absolute supponere. Ergo.

CAPUT QUARTUM.

DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

Tria hic inquiri possunt, scilicet : 1° quos effectus sacrificium Missæ producat, 2° quomodo eos producat, et 3° quis sit ejus valor.

ARTICULUS PRIMUS.

QUOS EFFECTUS SACRIFICIUM MISSÆ PRODUCAT.

Ratione finis seu effectus, quadruplex olim distinguebatur sacrificium, videlicet latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, uti jam diximus.

Libenter concedunt Protestantes sacræ Eucharistiæ confectionem esse sacrificium *latreuticum*, ad Deum supremo cultu adorandum, et *eucharisticum*, ad gratias ei persolvendas. Sed pertinaciter negant illud esse *propitiatorium* et *impetratorium*, sub pretextu quod tunc sacrificio crucis illuderetur; contra quos sit

PROPOSITIO PRIMA.

Sacrificium Missæ est propitiatorium.

Prob. Propositio est de fide; probatur testimoniis Patrum, liturgiis et ratione.

Est de fide, utpote in concilio Trid. definita sess. 22, can. 3 : « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse

» laudis... non autem propitiatorium... anathema sit. » Ergo.

1° *Probatur testimoniis Patrum.* S. Cyrillus Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 10 : « Christum mactatum pro » nostris peccatis offerimus, clementem Deum pro nobis » demereri et propitiare satagentes. »

S. Ambros., de Officiis, l. 1, cap. 48, de Eucharistiæ sacrificio agens, ait : « Offert sese quasi sacerdos (Chris- » tus), ut peccata nostra dimittat. »

S. Hieron. in cap. 1 Epist. ad Tit. : « Quid de episcopo » sentiendum est, qui quotidie pro suis populique pec- » catis illibatas Deo oblaturus est victimas? » Ergo 1°.

2° *Liturgiis.* In cunctis enim liturgiis, etiam antiquis- simis, orientalibus et occidentalibus, hæreticorum et schismaticorum, sicut Catholicorum, sacrificium Missæ pro remissione peccatorum offertur. Ergo 2°.

3° *Ratione.* Christus est propitiatio pro peccatis nostris: atqui ipse Christus in sacrificio Missæ Deo exhibetur rea- liter præsens, et tanquam pro peccatis nostris immo- latus : ergo sacrificium istud debet esse propitiatorium, nec ullo modo sacrificio crucis ad sensum Protestantium derogat; quod sic exponit *Bossuet, Exposition de la doc- trine de l'Eglise catholique :* « C'est la doctrine expresse » de l'Eglise catholique dans le concile de Trente, qui » enseigne, sess. 22, cap. 1, que ce sacrifice n'est institué » qu'afin de représenter *celui qui a été une fois accompli* » *en la croix, d'en faire durer la mémoire jusqu'à la fin* » *des siècles, et de nous en appliquer la vertu salutaire pour* » *la rémission des péchés que nous commettons tous les jours.* » Ainsi, loin de croire qu'il manque quelque chose au » sacrifice de la croix, l'Eglise, au contraire, le croit si » parfait et si pleinement suffisant, que tout ce qui se » fait ensuite n'est plus établi que pour en célébrer la » mémoire et pour en appliquer la vertu. » Ergo 3°.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sacrificium Missæ est impetratorium.

Prob. Est de fide, probatur usu Ecclesiæ, et ratione.

Est de fide. Concilium Trid., sess. 22, can. 3, post verba superius citata, dicit anathema eis qui contenderent sacrificium Missæ offerri non debere *pro pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus.* Ergo.

Probatur 1° *usu Ecclesiæ.* In omnibus quippe liturgiis sacrificium Missæ offertur ad obtinenda bona spiritualia, *pro nostra et totius mundi salute*, et etiam ad sollicitanda bona temporalia : sic olim offerebatur *pro salute imperatoris,* teste Tertull., lib. ad Scapulam, cap. 2. « Pro com» muni Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, » pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui » infirmitatibus laborant, pro iis qui afflictionibus pre» muntur, et universim pro omnibus qui opis indigent, » inquit S. Cyril. Hierosol., Catech. mystag. 5, n. 8. Similiter et nunc celebrans commendat Deo totam Ecclesiam catholicam, Papam, Episcopum, etc. Ergo 1°.

2° *Ratione.* — a) In sacrificio Missæ Christus realiter præsens Deo offertur : atqui talis oblatio idonea est ad impetranda bona, sive spiritualia, sive etiam temporalia, quatenus ad salutem conducere possunt. — b) Sacrificium istud est propitiatorium, *ex dictis :* obtinet igitur gratiam peccatorum et pœnarum peccatis debitarum remissivam : cur ergo alia dona ad salutem conducentia obtinere non posset? — c) Vetera sacrificia, novum sacrificium obumbrantia, erant propitiatoria et impetratoria, ergo et sacrificium Missæ. Ergo 2°.

ARTICULUS SECUNDUS.

QUOMODO SACRIFICIUM MISSÆ EFFECTUS SUOS PRODUCAT.

Constat ex dictis sacrificium Missæ, veteribus sacrificiis æquivalens, esse simul latreuticum, eucharisticum, pro-

pitiatorium et impetratorium. Verum petitur an hujusmodi effectus producat immediate vel mediate, ex opere operato, vel ex opere operantis.

I. Sacrificium Missæ principalem effectum suum ex opere operato producit. — 1° Quatenus est latreuticum et eucharisticum, ex opere operato effectus producit; per seipsum enim, et independenter a dispositionibus celebrantis vel assistentium, Deum cultu latriæ honorat, et gratiarum actionem pro collatis beneficiis solvit.

2° Quatenus impetratorium, bona tam spiritualia quam temporalia et pœnarum peccatis debitarum condonationem sollicitat absque merito sacerdotis, ac proinde ex opere operato.

3° Quatenus propitiatorium, divinissimum illud sacrificium habet suum effectum ex opere operato. Ipse enim Christus, qui in cruce mactatus est, super altare immolatur, et Deo in remissionem peccatorum offertur: atqui talis oblatio peccatorum remissionem sollicitat, independenter a dispositionibus sacerdotis: ergo. Sed valoris hujus sacrificii applicatio a variis pendet circumstantiis nobis ignotis; propterea ejus efficaciam nunquam certo noscimus.

4° Quamvis Missæ sacrificium ex opere operato prosit, et principalem suum effectum independenter a dispositionibus ministri habeat, certum est tamen sanctitatem celebrantis, fervorem assistentium et dispositiones eorum pro quibus offertur, ad ejus efficaciam seu applicationem non parum inservire; est sententia communis doctorum et fidelium.

II. Quosdam effectus sacrificium Missæ producit immediate et quosdam mediate. — 1° In quantum est latreuticum et eucharisticum, sacrificium Missæ suos effectus producit immediate, ut ex se patet. 2° In quantum est impetratorium, immediate sollicitat; verum ex decretis Dei, per modum suffragii operatur, et ideo non semper obtinet effectum ad quem destinatur. 3° Ut propitiatorium, remissionem peccatorum, sive mortalium sive

venialium, non producit immediate, sed mediate, obtinendo gratias eliciendi actus pœnitentiæ, congruentes dispositiones ad sacramenta quibus gratia sanctificans, prima vel secunda, annexa est, etc. Sic expresse se habet concil. Trid., sess. 22, cap. 2 : « Hujus obla-» tione placatus Dominus, gratiam et donum pœniten-» tiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia di-» mittit. » Unde ingens datur discrimen inter sacramenta et Missæ sacrificium : quoad modum operandi; ritus enim sacramentalis sic a Christo fuit institutus, ut, eo posito, effectus in obicem non ponentibus infallibiliter producatur; Missæ vero sacrificium, licet pretiosissimum, infallibiles hujusmodi effectus non producit, idque ex sapienti et divina institutione quam venerari et non scrutari debemus : idcirco sæpissime pro eodem fine iterari potest.

ARTICULUS TERTIUS.

QUIS SIT VALOR SACRIFICII MISSÆ.

I. De valore sacrificii Missæ in se spectati. — 1° *Certum est* sanctissimum illud sacrificium in se spectatum, esse valoris infiniti, cum ipse Christus simpliciter infinitus offeratur : infinitos igitur producere potest fructus.

2° *Certum est* illud, ut latreuticum et Eucharisticum, esse pretii infiniti, id est, Deum infinite honorare et laudare, quia omnes actiones Christi sunt valoris infiniti; a fortiori, præstantissima illa actio qua sacrificium crucis incruente renovatur.

II. De valore sacrificii Missæ quoad applicationem fructuum. Notandum est triplicem in sacrificio Missæ distingui fructum : unum generalem omnibus assistentibus communem; alium specialem, qui, vi intentionis ministri, alicui potest applicari, et tertium specialissimum, qui ad celebrantem essentialiter pertinet, quatenus rem bonam facit.

His notatis, sic respondetur ad quæstionem circa valorem sacrificii Missæ applicandum.

1° *Certum est* fructum hujus sacrificii homini communicatum seu applicatum, non esse simpliciter infinitum ; — a) nam efficacius esse non debet quam sacrificium crucis : atqui sacrificium crucis non fuit infinitum quoad applicationem, alioquin omnes homines de facto ab omnibus peccatis fuissent justificati. — b) Missa pluries offerri non deberet pro eodem fine, quod praxi Ecclesiæ adversatur. — c) Creatura applicationis simpliciter infinitæ non est capax. Ergo.

2° Cum valor sacrificii Missæ sit in se infinitus, et unicuique finito modo tantum applicetur, certum est eum multis simul, æqualiter vel inæqualiter, juxta Dei beneplacitum, applicari posse. Unde qui audit Missam coram multitudine celebratam, tantum percipere potest fructum, sine aliorum præjudicio, quantum perciperet si solus assisteret : talis est communis fidelium et totius Ecclesiæ sensus. Secus enim melius esset Missam parochialem deserere, et quærere Missam privatam ; satius esset habitare in parochia exigua quam in numerosa, etc.

3° *Certum est* Missam pro aliquo specialiter oblatam, ipsi specialius prodesse, quamvis ignoremus quomodo id fiat. Theologi rem illustrant exemplis : sol, v. g., coram multitudine lucens, non ideo minus illuminat singulos ; vox a multitudine audita, non minus a singulis auditur, et nihilominus, sine aliorum præjudicio, intensitas luminis vel caloris aut soni vocis ope artificiali augeri potest respectu privatorum. Ergo.

4° *Disputatur* inter theologos an Missæ sacrificium pro multis specialiter oblatum, tantum unicuique proficiat quantum proficeret si pro uno solo offeretur. Multi negant, ea præsertim innixi ratione, quod, ex institutione Christi, valor Missæ in se infinitus, finito modo tantum applicetur. Vide *Ferraris*, v° *Missæ sacrif.*, art. 1, n. 14. Alii vero multo plures, ut *Suarez*, *Concina*, *Habert*, *Juénin*, *Tournely*, et S. Ligorius, affirmant, contendentes effectum Missæ limitari, non ex institutione Christi, ut volunt patroni primæ sententiæ, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur : unde concludunt æque sin-

gulis et pluribus prodesse ac si uni tantum applicaretur.

Omnes tamen fatentur sacerdotem qui plura accepit stipendia vel plures promisit Missas, tot singulatim celebrare ex justitia teneri, sub peccato mortali, — a) quia prior sententia, a multis defensa, non est improbabilis; — b) quia per susceptionem stipendiorum vel promissionem Missarum factus est contractus, cui ex justitia standum est; — c) quia Alexander VII, decreto 24 sept. 1665, hanc damnavit propositionem, n. 10 (*Curs. Compl.* t. VI, *col.* 691) : « Non est contra justitiam pro pluribus sacri» ficiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. » Ergo.

CAPUT QUINTUM.

DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

QUINAM SINT MINISTRI SACRIFICII MISSÆ. — Christus principalis est offerens in sacrificio Missæ. « Idem nunc offe» rens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce » obtulit, » ait Concil. Trid. sess. 22, cap. 2. « Per hoc et » sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio, » inquit S. Aug. de Civitate Dei, l. x, cap. 20, t. VII, col. 156.

Probavimus in prima parte solum sacerdotem esse ministrum Eucharistiæ sacramenti quoad confectionem : inde sequitur eum solum Missæ sacrificium valide offerre posse. Circa hoc punctum nullum moveri potest, nec de facto movetur dubium.

Simplices tamen fideles aliquo sensu dici possunt Missæ sacrificium offerre, quatenus videlicet oblationem a sacerdote factam approbant, ei consentiunt, et Christo victimæ cordis affectu conjunguntur. Unde in canone legitur : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum..... pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque*, etc.

Dispositiones in sacerdote requisitas ad licite celebrandum, supra descripsimus, agendo de dispositionibus ad suscipiendam Eucharistiam necessariis. Nunc specialiter nobis agendum est 1° de obligatione quam habent sacerdotes Missam celebrandi; 2° de frequenti celebratione; 3° de obligatione fructum Missæ applicandi; 4° de stipendio et obligationibus ex stipendio nascentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OBLIGATIONE QUAM HABENT SACERDOTES MISSAM CELEBRANDI.

I. De obligatione celebrandi in genere. — Longe communius docent theologi, v. g., S. Th., *Suarez*, *Leyman*, *Bonacina*, *Concina*, *Habert*, *Juénin*, *Collet* contra card. *de Lugo* et nonnullos alios, omnes sacerdotes, non legitime impeditos, teneri sub peccato mortali saltem aliquando celebrare; idque concludunt 1° ex verbis B. Pauli, Hebr. v, 1: *Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* 2° ex verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem:* quæ verba, ex Concilio Trid., sess. 22, cap. 1, verum continent præceptum; 3° ex Decretal. l. III, tit. 41, cap. 9, ubi Innocentius III fortiter arguit sacerdotes *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno*; 4° auctoritate S. Pii V, qui contradictoriam opinionem ex operibus Cajetani eam defendentis expungi jussit, referente S. Ligorio, l. VI, n. 213, dub. 1.

II. Quandonam celebrare teneantur sacerdotes. — 1° Qui curam habent animarum, Missam celebrare tenentur singulis diebus dominicis et festis de præcepto: his quippe diebus fideles Missam audire tenentur, et, quantum *commode fieri potest*, in propria parochia ad audiendum verbum Dei, juxta Concil. Trid., sess. 24, cap. 4 de Reform. Verum obligatio Missam audiendi supponit in pastore strictam obligationem eam celebrandi per se vel per alium. Unde qui celebrare non vult, vel est impeditus,

curare debet, juxta communiorem opinionem, ut alius pro se Missam parochialem celebret; sic Bened. XIV, l. III, cap. 3, n. 6. Excusari igitur non potest parochus qui, legitime non impeditus, Missam die dominica omittit celebrare, vel, absque licentia episcopi, propriam deserit ecclesiam, et causa est cur fideles præcepto audiendi Missam satisfacere nequeant.

2° Vicarii, eo ipso quod ab Ordinario in una collocati sunt parochia ut parochi sint coadjutores, obligationem habent Missam saltem diebus dominicis et festivis celebrandi, ut fideles facilius Sacro assistant.

Insuper parochi et vicarii celebrare tenentur, quando exercere debent functiones Missam requirentes, v. g., sponsalia celebrare, mortuos sepelire, officia mortuorum peragere, etc.

3° Præter illos quos modo memoravimus, non sibi consentiunt theologi quoties in anno celebrare teneatur sacerdos, ut non peccet mortaliter. « Saltem videtur quod » celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis » diebus in quibus fideles communicare consueverunt, » sinquit S. Th., 3ª part., q. 85, art. 10, conclus. Præcipua autem festa in quibus fideles communicare consueverunt, unt Nativitas Domini, Pascha et Pentecostes, ut explicatur apud Bened. XIV, l. III, cap. 1, n. 5 et 6.

Concilium Trid., sess. 23, de Refor., cap. 14, sic habet : « Curet episcopus ut ii saltem diebus dominicis et festis » solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam » frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas cele- » brent. » S. Car. Bor., concilio Mediol. I, tit. de freq. divini Sacrificii Oblatione, auctoritate concilii Trid. innixus, omnibus sacerdotibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis, præcipit ut his diebus celebrare non omittant. Hinc Bened. XIV, l. III, cap. 1, n. 9, concludit dari obligationem sub peccato, pro sacerdote non impedito, singulis diebus dominicis et festivis celebrandi : sed definire non vult an illa obligatio sit sub veniali tantum, an sub mortali.

Longe probabilius videtur aliquas hujus generis omis-

siones, sine causa excusante, esse duntaxat peccata venialia, modo audiatur Missa, et extrinsecæ rationes frequentiorem non expetant celebrationem : imo S. Ligorius ut multo probabiliorem habet sententiam quæ docet sacerdotem non teneri, sub peccato mortali, celebrare pluries quam ter aut quater, in solemnioribus festis. Pius sacerdos periculo mortaliter in hoc genere peccandi nunquam se committet.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE FREQUENTI CELEBRATIONE MISSÆ.

I. Optimum est frequenter seu potius quotidie celebrare. — Plurimi dubitarunt an frequens seu quotidiana Missæ celebratio sit optima consuetudo : allegant frequentiam generare indifferentiam; — quod raro fit, pretiosius fieri; — in primordiis Ecclesiæ non ita sæpe, sed majori cum devotione, Missam celebrari consuevisse; — sacerdotes qui rarius celebrant, sensibiliori compunctione cordis et multis cum lacrymis Sacrificium offerre, — et denique pios animarum rectores consilium sacerdotibus dare ut aliquoties Missam omittant, nec quotidie celebrent.

His rationibus Bened. XIV respondet 1° melius quidem esse quotidie vel frequentissime celebrare, sed bene semper et cum dispositionibus requisitis celebrandum esse; 2° Apostolos eosque qui Apostolis proxime successerunt, frequenter vel etiam quotidie celebrasse; et id probari posse, tum ex Act. II, 46 : *Quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem;* tum ex S. Cypr., Epist. 54 : « Episcopatus nostri honor grandis » et gloria est pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes » qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et » victimas præparemus ; » tum ex pluribus aliis testimoniis quæ hic referre longius esset. 3° Quoad sensibilem devotionem et lacrymas, negat eas esse donum quo necessario careant qui frequentius celebrant, vel dispositionem

ad digne celebrandum requisitam; citat testimonium Joannis *Gerson*, qui docet satis esse, ad Missam digne celebrandam, si sacerdos, post discussam diligenti examine suam ipsius conscientiam, moraliter certus sit se esse in statu gratiæ, nec omnem fervoris aut attentionis defectum obstare quominus Missa digne celebretur.

At præcipua ratio sumitur ex uberrimis et propemodum infinitis tanti sacrificii fructibus, unde S. Bonaventura, de præparatione ad Missam, cap. 5, ait : « Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, » privat Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, » peccatores venia, justos subsidio et gratia, in pur- » gatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spe- » ciali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra » quotidiana peccata et infirmitates. » Idem ferme habet auctor exquisiti operis de Imitatione Christi, l. IV, cap. 5, in fine. *Suarez* et multi theologi cum illo statuunt « ad » spiritum Ecclesiæ propius accedere et convenientius » esse singulis diebus sacrificium facere, idque sacerdo- » tibus inculcandum. » Bened. XIV, l. III, cap. 2, n. 1.

II. Quibus diebus liceat vel non liceat celebrare. — Omnibus diebus per annum celebrare licet, exceptis sequentibus : 1° Sacra Cong. Rituum, per decretum diei 11 februarii 1690, ab Alexandro VII die 11 martii approbatum, sic statuit : « In sabbato sancto, etiamsi » occurrat festum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, » celebratio Missarum privatarum omnino prohibe- » tur, in quibuscumque ecclesiis et oratoriis tam pu- » blicis quam privatis, non obstante quacumque consue- » tudine, sed unica tantum Missa conventualis una cum » officio hujus diei celebretur. » Alia citantur decreta ejusdem Cong. in eodem sensu, et Bened. XIV, l. IV, cap. 3, n. 10, contendit nullam esse causam cur eis non pareatur.

2° Ex variis S. Cong. Rit. decisionibus, citatis vel relatis apud *Merati* in Gav., t. II, part. 4, p. 110, et *Gardell.*, n. 1843, prohibitum est ne celebrentur Missæ privatæ, feria V in Cœna Domini, in quacumque ecclesia vel

oratorio. Missa solemnis permittitur in solis ecclesiis in quibus asservanda est sacra Eucharistia.

Feria igitur V in Cœna Domini, omnes sacerdotes Missæ majori assistunt et de manu celebrantis sacram suscipiunt communionem, in memoriam institutionis sanctissimi hujus sacramenti.

3° Feria VI in Parasceve, sola Missa præsanctificatorum permittitur.

III. De iteratione celebrationis in eodem die.—1° Usus iterandi sacrificium Missæ probabiliter nunquam viguit in Ecclesia Orientali. Etenim Benedictus XIV, l. IV, cap. 5, n. 6, testatur nullum in Ecclesia Orientali reperiri monumentum quo appareat sacerdotem uno eodemque die plures Missas celebrasse; imo, in ea Ecclesia prohiberi ne quis sacerdos eodem die Missam celebret ad altare in quo alius celebravit, nisi gravis necessitas aliter fieri postulet. Sed plura esse possunt altaria in eadem ecclesia, vel plures sacerdotes in eodem altari simul celebrare possunt.

2° In Ecclesia Occidentali, juxta veterem disciplinam, usque nunc per orbem catholicum vigentem, singuli sacerdotes tres celebrare possunt Missas in festo Nativitatis Domini. Mos ille ad Telesphorum papam, versus medium secundi sæculi existentem, juxta plures, ascendit, quod alii judicant improbabile; quidquid sit, certum est illum exstitisse tempore S. Gregorii, qui, l. I, homil. 8 in Evang., aiebat : « Quia, largiente Domino, Missarum so-» lemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de Evan-» gelica lectione non possumus. »

Celebrari solebant una in media nocte, altera ad auroram, et tertia in die; sic in Missalibus inscribuntur, et ita celebrari debent in cathedralibus, collegiatis et parochialibus ecclesiis, ut populus eis alternatim assistere possit.

Ex multis sacræ Rit. Cong. decisionibus, una tantum dici potest Missa nocte in singulis ecclesiis. Aliæ celebrari non debent ante auroram. Vide *Merati*, part. 4, tit. 5; *Caval.*, t. IV, p. 35; *Gardell.*, t. V, p. 108. S. Cong., sub

die 18 sept. 1781, declarat « contrariam consuetudinem » esse abusum » ab episcopo reformandum.

3° Olim plures Missas aliis diebus celebrare licebat; sic S. Albertus, monachus, factus presbyter, duas in die celebrabat Missas, unam pro vivis et alteram pro defunctis. Leo III, summus Pontifex in fine octavi sæculi, septem in eodem die, et aliquando novem celebrare consueverat Missas (*Fleury*, l. XLVI, n. 20, et Bened. XIV, l. III, cap. 4, n. 12). Concilium Selingstadense, prope Moguntiacum, anno 1021, can. 6, prohibuit ne sacerdos plus quam tres celebraret Missas in eodem die. Alexander II, in Decreto, 5ª part., dist. 1, can. 53 relatus, declaravit sufficere sacerdoti unam Missam una die celebrare. Innocentius III, Decretal. l. III, tit. 41, cap. 3, consulenti respondet : « Quod, excepto die Nativitatis dominicæ, nisi » causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in » una die Missam solummodo celebrare. »

4° Ex veteri consuetudine, quilibet sacerdos sæcularis binas, et regularis ternas Missas celebrare solebat, in die Commemorationis fidelium defunctorum, per totum Aragoniæ regnum. Ad preces Ferdinandi VI et Joannis V, Hispaniarum et Portugaliæ regum, Bened. XIV, ut ipse narrat l. III, cap. 4, n. 11, omnibus presbyteris, tam sæcularibus quam regularibus, in utriusque regis dominiis existentibus, concessit facultatem, ante se pluries negatam, ut, die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, tres Missas celebrare possent, etiam duabus horis post meridiem, ea conditione ut omnibus fidelibus defunctis, sine quacumque eleemosyna, applicarentur.

5° Parochi qui duas simul habent parochias, si populus in alterutram convenire non possit, et alius desit sacerdos qui Missam celebret, duas Missas singulis dominicis et festivis diebus celebrare possunt, ex licentia episcopi juxta plurimos, vel ex jure communi, ut alii multi dicunt. Omnes fatentur rem fieri non posse inscio episcopo, qui perspiciet an necessitas sic agendi revera existat.

Episcopus autem duplici hujusmodi celebrationi consentire non potest, ex pluribus conciliis provincialibus et

ex resolutione Congr. Episc. et Regul. a Bened. XIV, l. III, cap. 5, n. 4, citata, nisi sub sequentibus conditionibus : — a) ut ipsius judicio vera existat necessitas, locorum natura, vel sacerdotum paucitate, vel infidelium persecutione fundata; — b) ut in prima Missa, post sumptionem corporis et sanguinis Domini, ablutiones non sumantur, sed post secundam Missam sumendæ reserventur; — c) ad breve tempus et personæ tantum alicujus sacerdotis concedatur, non vero tanquam privilegium alicui parochiæ adnectatur; — d) pro solis diebus dominicis et festivis tribuatur; — e) in diversis tantum ecclesiis duæ Missæ celebrentur.

Qui tali potiuntur facultate, officium diei Veneris in Parasceve bis celebrare non possunt, quia post Missam præsanctificatorum jam non sunt jejuni.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONE APPLICANDI FRUCTUM MISSÆ.

I. De obligatione fidelibus applicandi fructum missæ. — 1° Omnes qui curam habent animarum tenentur jure divino Missam, saltem aliquando, pro ovibus suis offerre, ut docet concil. Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform. « Cum » præcepto divino mandatum sit omnibus quibus anima» rum cura commissa est, oves suas agnoscere pro his » Sacrificium offerre, etc. » Non dicit ante eos celebrare, ut Sacro assistant, sed pro eis offerre, id est fructum sacrificii eis applicare. Cum autem non exprimat quoties hæc applicatio fieri debeat, sacram ejusdem concilii Congr. definit per decretum 10 maii 1681, ab Innocentio XII die 24 aprilis 1699 approbatum, eos qui pingues habent reditus, singulis diebus, et qui tenues, saltem diebus festivis Missam pro ovibus applicare teneri.

2° Verum Bened. XIV, ut difficultatibus ex distinctione inter pingues et tenues reditus nascentibus occurreret, per Constit. *Cum semper*, diei 19 augusti 1744, Bullar. t. I, statuit; — a) omnes curam animarum habentes, quo no-

mine intelliguntur parochi et vicarii, sive perpetui, sive ad tempus, Missam pro populo sibi commisso applicare teneri singulis diebus dominicis et festivis, in quibus Missa ex præcepto audienda est etiamsi congruentes non haberent reditus; — b) parochos pauperes dispensationem ab Ordinario obtinere posse, ut ipsis liceat etiam diebus festivis Missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modo intra eamdem hebdomadam Missas omissas populo applicent; — c) patriarchales, metropolitanas, cathedrales et collegiatas ecclesias Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere applicare teneri, et per Missam pro aliquo benefactore, vel pro benefactoribus in genere oblatam, sed alio titulo debitam, obligationi Missæ conventualis non satisfieri; — d) canonicum parochum, vel alias onere Missarum gravatum, si Missam conventualem celebret, eam pro benefactoribus applicare teneri, et per alium supplere Missas quibus specialiter manet adstrictus.

3° Aliquandiu disputatum est præsertim in Gallia an curam animarum habentes teneantur ad Missam pro populo diebus festis per indultum apostolicum diei 9 aprilis 1802 reductis. S. Cong. concil. Trid. interpres pluries respondit, notanter die 14 junii 1841 nobis et die 22 nov. ejusdem anni archiepiscopo Turonensi, curam animarum habentes fructum Missæ populo sibi commisso applicare teneri istis diebus.

Tandem SS. Pius IX, littera Encyclica *Amantissimi Redemptoris*, die 3 maii anni 1858 data, statuit de novo fructum Missæ applicandum esse fidelibus omnibus diebus dominicis et festivis, in quibus Missa ex præcepto audienda est, etiamsi fuerint fideles iis diebus exonerati ab obligatione Missam audiendi. Igitur, præter dies dominicales, sequuntur indicati dies quibus fructus Missæ fidelibus est applicandus : in festo Natalis Domini, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, feria secunda et feria tertia Paschali, in festo Ascensionis Domini, feria secunda et feria tertia Pentecostes, in festo corporis Domini, Inventionis S. Crucis, Purificationis, Annuntiationis, As-

sumptionis, Nativitatis et SS. Conceptionis B. M. V., in festo S. Machaelis, S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi Maj., Joannis Evang., Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, SS. Simonis et Judæ, Mathiæ, Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Sylvestri, S. Joseph, S. Annæ, in festo Patroni principalis diœcesis, in festo patroni principalis in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit, in festo SS. Omnium.

II. De iis qui tenentur ad applicationem fructus Missæ. — 1° Ex obligatione tenentur Papa respectu totius Ecclesiæ, et episcopi respectu suæ diœcesis; curam enim in eminentiori gradu habent animarum : frequentius Missam pro populo offerre non videntur teneri, propter Constitutionis Bened. XIV auctoritatem, quamvis plures docuerint eos ad quotidianam applicationem teneri. Sic *Ferraris*, v° *Missæ sacrif.*, art. 3, n. 13; S. Ligorius, l. VI, n. 327, etc.

2° Prælati et superiores monasteriorum regularium quotidie, sicut canonici, Missam conventualem pro fratribus sibi subditis, et simul pro benefactoribus in genere, celebrare debent. Habent enim curam animarum, et, sub hoc respectu, vi Constitutionis Bened. XIV, ad applicationem in diebus dominicis et festivis reducuntur : sub alio respectu, capitulis et collegiatis assimilari debent. Itaque Missa conventualis quotidie videtur applicanda benefactoribus in genere, nisi, ob nimiam paupertatem, obtenta fuerit dispensatio a Congr. Concil. juxta quod dicit Bened. XIV, Const. citata, n. 19.

Capellani monialium, confraternitatum, sæcularium congregationum, militum, collegiorum et seminariorum præpositi Missam diebus dominicis et festivis applicare non tenentur. Sic respondit S. Rit. Cong., 7 dec. 1844.

3° S. Ligorius, l. VI, n. 327, cum pluribus aliis doctoribus quos se consuluisse affirmat, docet parochos et episcopos infirmos, vel aliter a celebratione impeditos, obligationem habere Missam diebus dominicis et festivis per alium pro populo offerendi; quia onus illud non est tan-

tum personale, sed reale ut onus prædicandi et sacramenta ministrandi, ac consequenter per alium impleri potest et debet. Hinc parochus, cui datur vicarius ob ipsius infirmitates, retributiones consuetas pro Missis parochialibus a vicario applicandis, solvere debet, seclusa speciali alia conventione.

III. Consectaria ad praxim spectantia. — *Sequitur ex dictis* 1° episcopos, parochos aliosque curam animarum habentes, teneri ex justitia supplere Missas diebus dominicis et festivis correspondentes, quæ, a tempore suæ institutionis vel commissionis, omissæ fuissent, quacumque ex causa; 2° tenuitatem redituum ab illa obligatione non liberare, nec totam redituum suppressionem, dum titulus cui annexa est cura animarum retinetur : unde Pius VI, hac de re consultus a sacerdotibus Gallicanis in Hispania exsulibus, respondit eos ad applicationem Missæ diebus dominicis et festivis adhuc teneri; sed, facultate dispensandi utens, onus illud ad aliquot Missas reduxit; 3° ex variis decretis S. Rit. Cong., obligationem parochi esse personalem, ipsumque posse per quamcumque Missam satisfacere; unde qui pro se substituit alium sacerdotem pro cantanda Missa parochiali, cui scilicet convocantur parochiani, nihilominus debet offerre pro populo, si sit in parochia. In cathedralibus, quando episcopus pontificaliter celebrat, nihilominus tenetur hebdomadarius Missam applicare. Ita S. Rituum Cong. 12 nov. 1831; *Gardell.*, t. VIII, 116. Eadem tenetur obligatione parochus quando episcopus Missam parochialem celebrat : ratio est quia episcopus singulis diebus dominicis et festivis applicationem Missæ debet toti diœcesi. 4° Vicarius qui, ex commissione episcopi, moriente parocho, directioni parochiæ ad tempus præponitur, jura parochi casualia percipit; sed Missam parochianis applicare teneri videtur ex encyclica Bened. XIV, diei 19 aug. 1744, § 4 (*Bull.* t. I, p. 163). Res tamen non est certa, et judicio episcopi relinquenda est. 5° Qui ecclesiæ annexæ vel capellæ vicariali deservit, et cuncta parochi munia respectu fidelium sibi commissorum implet, eo ipso Missam

parochialem applicare debet : non item qui affixus est capellæ vulgo dictæ *auxiliaire*, in qua nonnullas tantum functiones sacras dependenter a parocho exercere potest, nisi aliter expresse fuerit conventum. 6° Qui duas habent parochias, et duas Missas singulis diebus dominicis et festivis celebrant, utramque pro respectivis parochianis offerre tenentur : sic responsum fuit a S. Cong. Concil., re ad ipsam delata, et recenter ea decisio ab ipsa confirmata est in responsione altera ad DD. archiepiscopum Auxitanum directa, die 8 junii 1843. Non tenentur vero illi qui unam habent parochiam et annexam sibi subjectam, quia parochia et annexa non faciunt duas parochias; nec illi qui, ut in diœcesi nostra, vacanti parochiæ vicinæ invigilare, et quosdam actus, nempe bannorum publicationes, matrimonia et sepulturas exercere jubentur; cura enim illius parochiæ, stricte loquendo, ipsis non committitur.

Parochus pia peragens exercitia secessus ecclesiastici tenetur die statuta per alium satisfacere, citra indultum S. Sedis, quin Missas tempore non oblatas possit deinceps supplere. (S. Cong. C. 14 dec. 1859.)

Parochi et vicarii ecclesiis præpositi, tres Missas in die Nativitatis Domini ad utilitatem populi celebrare probabilius tenentur : id docet Bened. XIV, l. III, cap. 9, in fine; sed definire non audet an tres Missas vel unam tantum applicare teneantur; idem movet et non solvit dubium de obligatione canonicorum in cathedralibus et collegiatis, non solum pro festo Nativitatis, sed pro aliis diebus in quibus, ex rubricis, plures celebrandæ sunt Missæ. Plures docent unam tantum applicandam esse Missam die Nativitatis, sicut unam ex præcepto esse audiendam, et talis est, ut nobis videtur, generalis persuasio.

ARTICULUS QUARTUS.

DE STIPENDIO ET OBLIGATIONIBUS EX ILLO NASCENTIBUS.

Dicemus 1° de ejus origine et legitimitate ; 2° de ejus quantitate et ad alios transmissione ; 3° de modo satisfaciendi pro illo ; 4° de Missis fundatis et earum reductione.

§ I. — De origine et legitimitate stipendii pro Missa.

I. De origine stipendii et de variis illud solvendi modis. — 1° Sicut in veteri Lege magna pars hostiarum cedebat in usum sacerdotum et levitarum, sic in primis Ecclesiæ sæculi mos fuit ut quotquot ad Missarum solemnia convenirent, suam sacrificii partem, id est panem et vinum consecrandum, offerrent : subdiaconi oblationes fidelium colligebant vel suscipiebant, et tantum de illis super altare ponebant quantum populo communicaturo sufficere posset ; et quoniam unusquisque, pro sua facultate, plures sæpe offerebat panes, cum larga vini amphora, ut ait Bened. XIV, l. III, cap. 21, exigua pars consecrabatur, et reliqua massa sacerdotibus ac clericis cedebat.

Qui non offerebant, graviter increpabantur. « Locu» ples et dives es, dominicum te celebrare credis, quæ in » dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacri» ficio quod pauper obtulit, sumis : » sunt verba S. Cypr. feminam divitem alloquentis, l. de Opere et Eleem. Sic omnes fideles aliquo sensu recte dicebantur sacerdotes ; quia panem et vinum offerentes, ad sacrificium altaris concurrebant.

2° Canon 3 Apostolorum prohibuerat ne aliud præter panem et vinum ad altare offerretur : excepta tamen fuerunt novæ spicæ, uvæ, oleum ad luminaria et thymiama. Cæteri fructus, quos fideles offerre volebant,

mittebantur ad episcopum et presbyteros, per quos diaconis et aliis clericis distribuebantur.

In die Paschatis, suscipere licebat mel et lac, de quibus sacro fonte egressis aliquid dandi mos erat.

3° Postea statutum fuit ut ad offertorium Missæ nihil præter panem et vinum offerretur, et soli jus communionis habentes ad oblationem præstandam admitterentur, videlicet, clerici, laici, viri ac mulieres, principes et plebeii; non vero excommunicati, catechumeni, energumeni, pœnitentes et alii quibus sacra communio denegabatur. Ea autem quæ clericorum usibus destinabantur, ante Missam vel saltem ante evangelium aut immediate post evangelium erant offerenda : vide P. *Martène*, de antiquis Eccl. Rit. l. I, cap. 4, art. 6, modum suscipiendi oblationes describentem; et card. *Bona*, Rerum Liturg. l. II, cap. 9.

4° An in primis sæculis pecunia, sicut res aliæ, ad altare oblata fuerit non constat. Bened. XIV dicit hoc nobis ignotum esse, sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in singulis Christianorum ecclesiis expositam fuisse arcam, quam Baronius, ad an. 44, n. 69, gazophylacium appellat, in quam pecuniæ a fidelibus inferebantur. Illius arcæ meminerunt Tertull., Apol. cap. 39; S. Just., Apol. I, n. 67; S. Aug., S. Paulinus, etc.

5° Duodecimo sæculo, teste Honorio Augustodunensi, in Gemma animæ, de antiquo Ritu Missæ, l. I, cap. 66, Bibl. Patr., t. XX, vetus jam existebat consuetudo, *ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret.* Antea sacerdotes e singulis domibus vel familiis accipiebant farinam, ex qua fiebat panis consecrandus. Ignoramus autem quo præcise tempore hæc consuetudo incœperit. S. Chrodegangus, episcopus Metensis, in medio octavi sæculi canonicorum institutor, in sua regula, cap. 32, unicuique canonico sacerdoti permittit ut eleemosynam pro Missa oblatam accipiat, et exinde quod voluerit faciat; in undecimo sæculo Joannes, auctor Vitæ S. Petri Damiani, narrat, cap. 2, eum adhuc puerulum, cum invenisset nummum, et mente revolveret quid eo mercari posset,

divinitus inspiratum dixisse : « Melius est ut tradam pres-» bytero, qui Deo sacrificium offerat pro patre meo de-» functo. »

6° Quamdiu voluntariæ populi oblationes sufficientes fuerunt, et ad Sacrificium, et ad honestam clericorum sustentationem, Missæ omnibus in communi applicatæ fuerunt nisi ageretur de mortuis Deo commendandis, ut patet exemplo matris S. Aug.

Sed pietate fidelium decrescente, raræ fuerunt communiones, et adeo exiguæ factæ sunt oblationes, ut nec clericorum sustentationi, nec sæpe ipsi Sacrificio sufficerent : hinc nata est consuetudo primo tolerata, deinde positive approbata, ut fideles Missam pro seipsis, vel pro alia persona vivente aut mortua a se designata, peculiariter offerri postularent, aliqua eleemosyna ante vel post Missam præstita.

II. De legitimitate hujus stipendii. — Hæc autem eleemosyna, quæ vulgo et quidem melius dicitur stipendium vel honorarium Missæ, recta intentione dari et accipi debet : si haberetur quippe ut divini Sacrificii pretium, grande foret simoniæ scelus, in eo præcise consistens, quos res spiritualis re temporali æstimetur. Solo igitur sustentationis titulo dari et accipi potest. Unde S. Th., 22, q. 100, art. 2, ad 2um, ait : « Sacerdos non » accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucha-» ristiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim esset si-» moniacum ; sed quasi stipendium suæ sustentationis. »

Negari non potest stipendium sic spectatum esse licitum. — a) Nam Christus dixit, apud Matth. x, 10 ; *Dignus est operarius cibo suo ;* et B. Paulus, I Cor. ix, 13 : *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Unde concluditur sacerdotem ex altari vivere posse, id est habere jus ut fideles, occasione sacri ministerii, ea præstent quæ ad ejus sustentationem necessaria sunt. — b) Totius Ecclesiæ praxis erronea esse non potest : at in tota Ecclesia, saltem a duodecimo sæculo, dantur et accipiuntur stipendia pro Missis. Ergo.

Cum Ecclesia inter sacerdotes divites et pauperes non

distinguat, omnes stipendia consueta accipere possunt, quia omnes æquale jus habent ex altare vivendi. Stipendia pro aliis sacramentis similiter accipere liceret, si Ecclesia permitteret : secus, simonia esset.

§ II. — De quantitate stipendii et ejus ad alios transmissione.

I. De institutione taxæ pro stipendio missarum. — 1° Non dissimulandum est rem in se bonam, ex abusu mox factam esse scandalorum fomitem : multi namque sacerdotes, turpis lucri gratia ducti, eleemosynas pro Missis colligere cœperunt, et modo plures Missas eodem die celebrabant, modo tres aut quatuor incipiebant Missas usque ad offertorium ; deinde, unico facto offertorio, tres aut quatuor dicebant collectas, postea unum canonem, unam consecrationem, unam communionem, et tres aut quatuor communiones et postcommuniones; alii tot offerebant et consecrabant hostias quot acceperant eleemosynas, vel quot erant Missæ promissæ; alii credebant se pro multis stipendiis per unicam Missæ celebrationem satisfacere posse, quia pretium Sacrificii est infinitum ; alii denique de stipendiis pro Missis turpiter paciscebantur, quasi de vilissimæ rei pretio actum esset.

2° Ut gravissima hæc mala de medio tollerentur, concilium Toletanum, anno 1324 celebratum, strictissime prohibuit, cap. 6, ne ullus sacerdos quidquam vel minimum pro Missa exigeret, sed eleemosyna sponte oblata contentus esset. Malo adhuc perseverante, concilium Trid., sess. 22, decreto de observ. et evit. in celebratione Missæ, injunxit episcopis ut illud omnino tollerent, addens : « Ut multa paucis comprehendantur, in primis, » quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum » conditiones, pacta et quidquid pro Missis novis cele- » brandis datur, nec non importunas atque illiberales » eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, » aliaque hujusmodi quæ a simoniaca labe vel certe a turpi » quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. »

3° Episcopi autem scandala hujus generis auferre non

potuerunt in radice, nisi taxando in sua respectiva diœcesi stipendium ultra quod nemo quidquam exigere posset. Wilhelmus, archiepiscopus Eboracensis, hujusmodi taxam ante concilium Trident. jam præfixerat; post concilium Trid. omnes episcopi similiter egerunt, et nunc nulla est diœcesis in qua specialis non existat index eleemosynarum pro functionibus sacris, et maxime pro Missis celebrandis, solvendarum.

4° Quantitas taxationis omnino relinquitur arbitrio episcopi, qui eam, vel in synodo, vel extra synodum, juxta prudentiam suam, determinat, habita ratione circumstantiarum, loci, temporis, antiquarum consuetudinum, etc.

Illa taxatio vim legis non habet in foro civili apud nos, nisi approbatione principis muniatur.

II. Regulæ practicæ circa stipendium missarum. — 1° *Circa acceptationem stipendii supra aut infra taxam.* —A) Nullus sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, aliquid supra taxationem, sub quocumque prætextu, exigere potest, et exigendo, non solum contra mandatum Ecclesiæ, sed contra justitiam peccaret, et ad restitutionem obligaretur : hoc quippe augmentum evidenter absque titulo proprietatis transmissivo possideret.

— B) Non prohibetur tamen regulares aut sæculares uberiorem stipem a sponte offerentibus accipere, modo absit dolus et quodcumque pactum etiam implicitum. Sic *Suarez*, card. *de Lugo*, Bened. XIV, l. III, cap. 21, n. 13, et ita censuit S. Cong. Concil. die 6 januarii 1649.

—C) Quilibet sacerdos potest aut nullum aut minus stipendium pro Missa a se postulata exigere, quia juri suo cedere potest : at se præbere non potest tanquam minori stipendio celebrantem, ut numerosiora obtineret stipendia; tunc enim quædam videretur fieri mercatura divino Sacrificio prorsus indigna. Unde S. Congr. Concil., die 16 julii 1689, respondit talem praxim ab episcopo sub aliqua pœna imponenda prohiberi posse. Non expedit ut sacerdos regulariter stipendium taxa inferius accipiat, sub prætextu quod illo non indigeat, ob gravia pro aliis sacerdo-

tibus inde nascitura incommoda; et episcopus id stricte prohibere potest, ut docet S. Ligorius, l. VI, n. 320, dub. 3.

2° *Circa transmissionem stipendii.* Qui pinguiorem accepit stipem pro una Missa celebranda, eam alteri celebrandam minori stipendio committere non potest, sed totam eleemosynam acceptam tradere debet : sic ab Urbano VIII statutum fuerat, et Alexander VII, die 24 septembris 1665, hanc damnavit propositionem, n. 9 : « Post decretum Urbani VIII, potest sacerdos cui Missæ » celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato » illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.» (*Curs. compl.*, t. VI, col. 691). In decretis tamen citatis excipitur si partem sibi libenter oblatam retineret. Item in ea damnatione comprehendi non videtur sacerdos qui, pinguia habens stipendia, a parocho, v. g., legitime rogatus, Missam parochialem parochianis applicat, ea conditione ut parochus unam e Missis a se promissis dicat; aut, pro quacumque causa, intentionem cum alio mutat.

3° *Circa modum celebrandi.*—A) Quoniam plurimi sacerdotes, avaritiâ ducti, alias invenerant vias stipendia multiplicandi et Missas promissas imminuendi, Urbanus VIII, Innocentius X, Congr. Concil. et Alexander VII statuerunt — a) eum qui stipendia pro Missis accepisset, licet stipendiis in diœcesi taxatis inferiora, tot Missas celebrare teneri; — b) item qui plura exigua stipendia a diversis personis congessisset; — c) duplex stipendium accipi non posse, unum pro fructu satisfactorio, et alterum pro fructu impetratorio ejusdem Sacrificii; — d) duplex accipi non posse stipendium, unum pro applicatione fructus specialis, et alterum pro applicatione fructus specialissimi ad celebrantem pertinentis; — e) pluribus Missarum intentionibus promissis per unicam celebrationem satisfieri non posse.

— B) An sacerdoti ad celebrandum unice addicto duplex stipendium percipere liceat, unum pro celebratione, et alterum pro applicatione? Bened. XIV, l. III, cap. 22, n. 6

et 7, quæstionem perpendit nec dirimit. Duplex stipendium communiter apud nos sine scrupulis percipitur: v. g., sacerdos conducitur ad celebrandum die dominico vel festivo in ecclesia vel in sacello, retributio ipsi pro celebratione datur, et applicatio Missæ relinquitur libera. Sic expresse *Dens.*

— C) Urbanus VIII decrevit nihil de consuetis eleemosynis detrahendum esse in commodum ecclesiæ sacra indumenta et ustensilia sacerdoti subministrantis, sed tantum ex Missis fundatis in ea ecclesia celebrandis.

§ III. — De modo satisfaciendi pro stipendiis acceptis.

Punctum primum. — De intentione.

I. Qua via fit applicatio fructus specialis missæ. — 1° Specialis divini sacrificii fructus applicatur sola voluntate celebrantis, id est speciali intentione qua hæc applicatio dirigitur. Ideo ipsius intentio debet esse formaliter determinata: non sufficeret interpretativa, quam non habuit, sed habuisset si cogitasset; nec indeterminata, quia fructus Sacrificii manere non potest suspensus; nec conditionata, nisi conditio sit impleta. Valeret vero applicatio a superiore graviter prohibita, quia actus voluntatis, etsi prohibitus et peccaminosus, est tamen validus.

2° Ad validam sacramentorum administrationem aut confectionem, virtualis saltem necessaria est intentio in ministro; ad validam vero sacrificii Missæ applicationem, habitualis sufficit intentio, quæ scilicet habita est et non fuit retractata. Talis est sententia vulgatior, juxta Bened. XIV qui, lib. III, cap. 16, n. 8, hæc habet: « Applicatio enim est quasi quædam donatio seu translatio » fructus qui e Missa percipiendus est; quæ donatio seu » fructus translatio valida est, etsi multo tempore ante » facta sit et multis actibus interrupta, dummodo revocata » non fuerit. » Hinc valida est applicatio pridie facta, etsi ipso die celebrans de illa non cogitet, modo aliam non habuerit in mente.

3° Ad validam applicationem non necesse est ut intentio exterius prodeat, voce aut scripto, aliove signo, modo interius formaliter sit determinata, quod variis modis recte fieri potest, v. g., dicendo intra se : Volo celebrare pro tali persona, vel pro ea quæ tale stipendium mihi dedit, vel pro ea quæ prima, secunda, tertia, etc., Missam a me postulavit, vel pro ea cui a me primum promissa fuisset, vel pro eo in purgatorio existente et magis derelicto aut magis mihi conjuncto, aut qui se orationibus meis magis se commendavit, etc.

4° Quæstio est inter theologos an applicatio Sacrificii poni possit in voluntate Dei, qui ejus fructum ut sibi libuerit applicet : alii affirmant, et alii negant. « Sed tu» tissima regula est, inquit iterum Bened. XIV, ut sa» cerdos, antequam ad altare accedat, eas personas deter» minet pro quibus intendit orare, ut illis Missæ sacrifi» cium applicetur. »

II. Quibusnam personis applicari possit aut debeat fructus divini sacrificii. — 1° Extra obligationem fructum Missæ applicandi quæ oritur ex jure, ut super explicavimus, sacerdos non tenetur hunc fructum applicare nisi sese ad id obligaverit. Qui vero promisit se Missam pro fine aliquo particulari applicaturum, sive stipendium acceperit, sive non, ad id tenetur ex justitia, quia verus adest contractus, et probabilius tenetur sub peccato mortali, ut volunt *Collet* et plures alii, dicentes omissionem unius missæ grave damnum spirituale inducere; contra *Billuart*, putantem hoc damnum in genere spiritualium non esse grave, cum levi stipendio redimi possit. Res saltem videtur dubia, et talis omissio sedulo cavenda est.

2° Personæ quibus fit applicatio Missæ determinari debent, unde qui decem accepisset stipendia pro Missis decem personis diversis applicandis, earum nomina et ordinem ignorans, non satisfaceret singula Sacrificia pro singulis indeterminate applicando, quia nullus esset finis reipsa determinatus; sed unamquamque Missam omnibus simul applicando satisfaceret, quia, cum, nemine

dubitante, fructus Sacrificii sit divisibilis, unusquisque decimam partem in singulis Sacrificiis accipiendo, quod sibi debetur obtineret.

Item, plures, sine stipendio celebrare nolentes, sibi persuaserant se, quando stipendium deerat, pro illo qui primus stipendia conferret, valide Missam celebrare posse : sacra Congr. Concil., ex mandato Clementis VIII, rem examinavit et singularem hanc opinionem proscripsit per decretum diei 15 nov. 1605, quod Paulus V approbavit. Hinc si parochus Missam anticipate dicat, juxta præsumptam intentionem sacerdotis Missam parochialem pro se celebraturi, invalide eam applicat, nisi dictus sacerdos suam intentionem de facto prius determinaverit.

Qui tamen prævideret Missas pro tali defuncto postulandas fore, eas ante postulationem valide applicaret, et stipendium percipere posset, quia persona vere est determinata. S. Ligorius, l. VII, n. 337.

3° Valde probabile est sacerdotes qui cum episcopo vel cum alio sacerdote concelebrant, ut in die ordinationis, in die consecrationis episcopi, et frequenter apud Græcos, eleemosynas pro hujusmodi Missis diversis personis applicandis accipere posse; unusquisque enim vere celebrat. Ita Bened. XIV, post card. *de Lugo*, *Suarez* et alios. Semper tamen recenter ordinatis consulimus ut intentioni episcopi se conforment et pro sua perseverantia maxime orent.

4° Si fructus specialis Missæ applicetur incapaci, docent theologi illum in thesauro Ecclesiæ remanere, vel sacerdoti aut illis pro quibus specialiter tenetur offerre, cedere, quia celebrans talem censetur habere intentionem implicitam, Sic *Layman*, *de Lugo*, S. Ligorius, etc. Quidquid sit, consultum est in Missis gratuitis eas secundario applicare vel sibi vel aliis personis, ex hypothesi quod persona principalis sit incapax; in Missis ex stipendio debitis, præsumendum est stipendium offerentem velle ut fructus Sacrificii, defectu personæ a se commendatæ, in beneficium propinquorum suorum vergat : non nisi ergo post hanc præsumptam intentionem, alias secunda-

rias intentiones habere possumus. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 336.

III. Qua parte Missæ, aut quo ordine applicatio fieri debeat. — 1° In qua autem parte Missæ facienda sit applicatio ut sit valida, non conveniunt theologi. Quidam, arbitrantes communionem ad essentiam sacrificii pertinere, dicunt applicationem fructus valide fieri posse etiam post consecrationem; alii vero, longe communius docentes totam Sacrificii essentiam in consecratione sitam esse, absolute requirunt ut applicatio fiat ante consecrationem. Audiamus Bened. XIV, ibid., n. 9, dicentem : « Verum » sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in » præparatione ad Missam, antequam sacris se vestibus » induat, ne omittat Sacrificii fructum applicare. » Deinde consulit ut habeatur tractatus asceticus cardinalis *Bona*, de sacrificio Missæ.

2° Docet etiam idem Pontifex « ad arcendos scrupulos, » primo debere sacerdotem fructum ei applicare pro quo » tenetur celebrare, veb beneficii vel eleemosynæ, vel » promissionis, vel alicujus præcipue obligationis ra- » tione; deinde, sine illius præjudicio, fructum Sacrificii » applicare in charitate sibi conjunctis, seu quovis no- » mine sibi commendatis, suam ipsius intentionem » Christi summi sacerdotis intentioni subjiciens. »

Punctum secundum. — De altari privilegiato.

I. Quid altare privilegiatum, et quibus concessum.— 1° Altare privilegiatum illud est cui plenaria annexa est indulgentia, his applicanda defunctis pro quibus Missa celebratur, vel quotidie, vel quibusdam diebus in singulis hebdomadis. Aliquando privilegium inhæret personæ sacerdotis, qui, ubicumque celebret, indulgentiam privilegii applicare potest.

Antiqua citantur exempla hujusmodi privilegiorum, et unum tribuitur Paschali I, anno 817.

2° Altari privilegiato hi soli gaudent quibus id a Sede Apostolica concessum fuit; et item hoc privilegium iis

solis altaribus inhæret quibus hoc jus fuit ab eadem potestate affixum. Sed ex decreto S. Congr. Indulg. a Clemente XIII, die 19 maii 1761 approbato, quilibet sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, gaudet privilegio personali pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. An hæc indulgentia applicanda sit omnibus in genere non audemus definire.

3° *Notandum* est Brevia altaris privilegiati ordinarie ad septennium a die expeditionis numerandum concedi, et ideo cavendum est ne tempus ultra limitem concessionis protrahatur.

S. Congr. Indulg. respondit, die 4 decembris anni 1841, quod si a sancta Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, nulla mentione facta de qualitate altaris, solum altare fixum est privilegiatum, non vero altare portatile. Sed hic, per altare fixum, sacra Cong. intelligit illud, « quod a loco dimoveri non possit, non tamen cu- » jus superior pars, sive mensa, sit ex integro lapide, » vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri » non possit. » Responsio S. Cong. diei 20 martii 1846, in opere dicto, *Mélanges théologiques, deuxième série,* p. 114. Insuper amissa altaris consecratione non ideo amittitur privilegium. Vid. *Analecta*, l. LXXIII p. 2124.

Quædam alia minus necessaria circa altare privilegiatum videri possunt in nostro Tractatu gallico, *des Indulgences.*

II. Præcipuæ regulæ ad Missam spectantes. — 1° Ex consueta forma Brevium apostolicorum privilegium altaris concedentium, indulgentia ab applicatione Missæ separari non potest. Unde Missa principaliter offerri non potest pro vivente aut pro alio mortuo, ab eo cui applicanda est indulgentia diverso.

2° Supponitur etiam Missam debere esse defunctorum seu *de Requiem*, et S. Congr. Rituum sic definisse perhibetur : sed Alexander VII, anno 1667, Clemens IX, anno 1669, et Innocentius XI, anno 1668, ab ea regula exceperunt festa duplicia, dies dominicas, dies intra octavas Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Domini, et

generatim dies in quibus Rubrica colorem nigrum non permittit.

Si privilegium sive reale, sive personale non sit quotidianum, sed, ut frequenter contingit, v. g. pro tribus diebus in singulis hebdomadis, ex decr. S. Rit. Cong. diei 29 febr. 1864, sacerdos illo uti volens, nequit valide eligere, ad applicationem privilegii, festa duplicia, quando occurrunt festa semiduplicia, in hebdomada. *Analecta*, l. XIII, p. 2163.

Si in aliqua diœcesi speciales existant rubricæ, quæsitum est an ad validitatem privilegii Missa celebranda esset juxta rubricam romanam, vel juxta rubricam propriæ diœcesis; theologi romani ad nos responderunt, anno 1828, sequendam esse rubricam propriæ diœcesis. Hæc aliunde responsio in gravibus fundatur motivis.—a) S. Rit. Cong. respondit die 31 aug. 1743, Missam celebratam juxta rubricas missalis Ambrosiani, gaudere privilegio. — b) Regulares particulares habentes ritus, nunquam dubitaverunt se valide uti privilegio altaris, hos ritus sequendo. Fatendum est tamen theologorum rom. responsionem valere non posse, nisi pro diœcesibus privilegium liturgiæ propriæ habentibus, secundum constitutionem S. Pii V.

3° Si SS. Sacramentum in altari privilegiato exponeretur, cum, ex rubricis, Missæ *de Requiem* ante illud dici nequeant, quælibet aliæ Missæ sive diei, sive votivæ, ad applicationem indulgentiæ sufficerent, ut expresse decrevit S. R. Cong. die 21 julii 1751.

4° Qui habet officium duplex et celebraturus est in ecclesia ubi fit de semiduplici vel infra, dicere debet Missam juxta suum officium, ex decisionibus S. Cong. Rit. diei 7 maii 1746 et diei 16 decemb. 1828 (*Gardell.*, t. IV, p. 324, et t. VIII, p. 80). Tunc igitur gaudet privilegio altaris dicendo Missam diei. Si autem habet officium semiduplex vel infra, et celebrat in Ecclesia ubi sit simile officium, cum Missam votivam celebrare possit, dicere debet *de Requiem* ad applicandam privilegii indulgentiam.

5° Quando dicitur Missa diei, non necesse est ut inseratur oratio pro defuncto cui applicanda est indulgentia; nullibi enim eam invenimus præscriptam, et nobis responsum est Romæ eam non requiri.

III. Aliæ obligationes ad sacerdotem spectantes. — 1° Majus exigere aut petere non licet stipendium ob indulgentiam altaris privilegiati applicandum : tunc enim quoddam esset mercimonium rei sacræ, ac proinde grave simoniæ piaculum.

2° Nihilominus stricta existit obligatio tot celebrandi Missas ad altare privilegiatum quot fuerunt promissæ, et quisquis aliter ageret, contra justitiam peccaret. Unde qui, ex culpa vel sine culpa, plures accepit Missas ad altare privilegiatum celebrandas quam celebrare potest, tenetur curare eas ad aliud altare certo privilegiatum celebrandas, vel obtinere a summo Pontifice privilegium personale his Missis correspondens. Pro celebratis ad aliud altare debet, juxta plures, eas repetere. Alii tamen dicunt satisfactum esse substantiæ obligationis et sufficere applicare defuncto vel defunctis parem numerum indulgentiarum plenariarum defunctis applicandarum. *Cavalieri*, t. IV, cap. 14, decret. 11, n. 4.

3° Confessio sacramentalis et aliqua oratio, secundum intentiones summi Pontificis, ad lucrandas indulgentias plenarias ordinarie requisitæ, pro applicatione indulgentiæ altaris privilegiati non præcipiuntur. Nec status gratiæ in ministro ad validitatem indulgentiæ necessarius est, juxta multorum sententiam, quæ probabilior nobis videtur, quia indulgentia in eo non suscipitur; nec a dispositionibus ejus pendet, sed ipsi sacrificio Missæ annexa est.

Punctum tertium. — De qualitate Missarum.

I. Quæ Missa dicenda sit ut satisfiat obligationi ex stipendio accepto. — 1° Generatim loquendo, eæ celebrandæ sunt Missæ quæ fuerunt promissæ, id est, *de Requiem* de Spiritu sancto, de B. Virgine Maria, de aliquo sancto,

etc.; sunt enim fideles qui majorem habent devotionem pro tali quam pro tali Missa, et eam quæ sibi magis arridet licite postulare possunt : ergo qui precibus eorum acquiescit, promissum tenere debet.

Diximus *generatim loquendo*; quia si Missa postulata fuerit pro die in qua Rubrica Missas votivas non permittit, per Missam diei in honorem sancti, aut sanctæ, aut mysterii, aut pro defunctis oblatam, satisfiet petitioni.

2° Qui tamen Missam *de Requiem* vel aliam votivam promisit, et Missam diei celebrat, graviter non peccat ; imo nullum est peccatum si id ob aliquam rationabilem causam fiat, quia grave non videtur inferri nocumentum, cum substantia Sacrificii semper sit eadem. Ita plures apud S. Ligorium, qui eos, l. VI, n. 328, probat.

II. Quo loco Missa dicenda sit. — 1° Qui Missam promisit in tali ecclesia vel capella, pro tali die, ad tale altare, eam sic tenetur celebrare, saltem sub peccato veniali, quia verus existit contractus, et sub peccato mortali, si rationabilis non existat causa promissionem non servandi, et contrahens ex illa infractione graviter sit offensus.

2° Si postuletur Missa hora intempestiva vel in loco remoto celebranda, majus exigere licet stipendium arbitrio episcopi taxandum, si jam consuetudine non sit determinatum, quia incommoda horæ, temporis vel itineris sunt onera pretio æstimabilia. Ita *Collet*.

Sic episcopi majora statuerunt stipendia pro Missis in quibusdam locis piarum peregrinationum celebrandis, vel pro missa et assistentia officio defunctorum in vicinis parochiis.

3° *Petitur* an presbyteri recenter ordinati tres Missas ab episcopo sibi impositas, *unam de Spiritu sancto, aliam de B. Virgine et tertiam pro defunctis,* sub peccato dicere teneantur, et qua intentione, quo tempore et quales Missas. *Suarez*, Lessius, *Layman*, et alii putant eas persolvendas esse sub mortali. At communius et probabilius docetur — a) hanc obligationem non esse sub gravi, quia nullibi sic exprimitur; — b) intentionem illarum Missarum non

determinari ab episcopo, qui tantummodo dicit, *et etiam Deum pro me orate* : unde concluditur non esse obligationem eas applicandi juxta intentionem episcopi; — c) dicendas esse missas votivas de Spiritu sancto, nisi intra octavam Pentecostes celebranda sit; de B. Virgine, nisi festum ejus aut officium in sabbato occurrat, et *de Requiem*; — d) has Missas non prius dicendas esse quam occurrant dies non impediti, et interea alias celebrari posse Missas rubricis conformes. S. Ligorius, l. VI, n. 829.

Punctum quartum. — De dilatione Missarum.

1° S. Cong. Concil., decretis auctoritate Urbani VIII latis et ab Innocentio XII confirmatis, declaravit sacerdotes eleemosynas manuales pro Missis celebrandis accipere non posse, nisi infra modicum tempus omnibus sibi impositis oneribus satisfacere valeant. Hinc S. Ligorius, l. VI, n. 317, *Quærit.* 2, aperte dicit sacerdotem qui Missas ex accepto stipendio celebrandas diu differt, mortaliter peccare.

2° Quanta autem esse debeat dilatio ut censeatur longa, vel ut *modicum tempus* a Congregatione assignatum excedatur, res a diversis pendet circumstantiis. — a) Si Missa pro aliqua urgente necessitate petatur v. g., pro agonizante, pro muliere parturiente, pro terminanda lite hodie judicanda, etc., dilatio in crastinum diem mortalis esset, quia circumstantia temporis ad substantiam petitionis pertinet : imo, elapso tempore, restituendum est stipendium, et monenda persona quæ Missam postulaverat, quia intentio ejus non fuit impleta, nec jam impleri potest. Ita plures apud S. Ligorium. — b) Idem S. Ligorius docet eum peccare sacerdotem qui, accepta eleemosyna ut tali die festo celebret, non ipso die, sed crastino celebrat : quod quidem nobis videtur certum, etsi peccatum non semper futurum sit mortale. — c) Si eleemosynam præstans, ab accipiente rogatus, in dilationem consentiat,

nulla est difficultas; celebrationem Missarum per totum tempus concessum differre licet.

3° Præcisis vero his casibus, quid intelligendum sit per modicum tempus, non sibi consentiunt auctores : plures tamen illud ad duos menses extendunt ad summum, et alii non rigidiores, ut Salmanticenses, Paludanus, *Escobar*, *Sporer*, Roncaglius et *La Croix*, apud S. Ligorium qui eis consentit, dilationem unius mensis, in Missis pro defunctis, reputant gravem. Tutius est igitur consensum a præstantibus eleemosynam petere, ut Missæ tempore magis opportuno celebrari vel aliis celebrandæ committi possint.

4° Ubi magna Missarum quantitas eidem sacerdoti simul traditur, vel ubi stipendia offerens scit eum sacerdotem multis oneratum esse Missis, aut Missas sibi commissas aliis sacerdotibus stipendio carentibus distribuere, data occasione, consuevisse, tunc legitime præsumitur consensus in longiorem et rationabilem dilationem.

Sed si magna Missarum quantitas tribuatur communitati in qua multi sunt sacerdotes, præsumendum est non tantam concedi dilationem ; eleemosynam enim tribuens rationabiliter sperare potest fore ut Missæ inter plures sacerdotes distribuendæ sint, non tamen inter omnes nisi id expresse sibi promissum fuerit, quia judicare debet communitatem alia habere onera quibus satisfaciendum est.

§ IV. — De Missis fundatis et earum reductione.

I. De missarum fundatione, et fundationum expletione. — 1° Ultima testatoris voluntas, quoad pia onera, reputatur sacra; et qui, sine justa causa, ei non satisfacit quoad locum, tempus, intentionem et qualitatem Missæ, evidenter peccat, et quidem graviter si ita sæpe faciat, etiamsi hæredes consentirent, inquiunt Sylvius, Navarrus, *Azor*, etc., quia neque sacerdos neque hæredes voluntati testatoris derogare possunt. Episcopi, justa de

causa, a conditionibus appositis dispensare possunt, quia, « tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure » concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ul- » tima voluntate quam inter vivos, sunt exsecutores : » sunt verba concilii Trid., sess. 22, cap. 8 de Reform.

2° Plures a peccato mortali excusant eum qui, uno alterove die singulis mensibus, in alio loco quam a testatore determinato, celebrat, nisi in altari privilegiato celebrare teneretur ; et nullo modo peccare, si ex necessitate sic agat, v. g., quia locus designatus fuit destructus, aut factus est indecens : sed, in eo casu, quamprimum recurrendum est ad episcopum, qui statuet quid faciendum erit, nisi res per se pateat et non sit duratura, ut si altare cui celebrandum est exsecretur, aut si tunc impediatur.

3° Rationes ob quas episcopi a conditionibus per testatorem appositis dispensare valeant, sunt utilitas ecclesiæ in qua celebrandæ sunt Missæ, infirmitas capellani, ejus applicatio ad studium aut alia pretiosiora officia, nimia adeundi ecclesiam difficultas, et alia similia : quæritur quid rationabiliter voluisset defunctus in tali circumstantia, si eam prævidisset; et, cum suam voluntatem manifestare nequeat, episcopus eam interpretatur.

II. De fundationum reductione. — 1° In fundationibus, sive creandis, sive reducendis, aliqua redituum portio, et ordinarie tertia pars circiter assignatur fabricæ ecclesiæ quæ onus habere debet invigilandi ut reditus annui percipiantur, Missæ celebrentur, officia pia expleantur et titulus non pereat : hæc quippe sunt onerosa, et nulla ecclesia gratis ea ferre teneri potest. Unde si casu, calamitatibus temporum, aliove modo, justo vel injusto, census pereat, obligatio ei annexa exstinguitur : secus, semper remanet, nec adversus illam, censu remanente, præscribi potest, ut probat S. Ligorius, l. vi, n. 324, contra non paucos, qui contendunt adversus hujusmodi obligationem, sicut contra quamlibet servitutem, præscribi posse, datis conditionibus requisitis. Vide DD. *Affre, 4e édit.*, p. 546.

Si census fundationibus oneratus negligentia administratorum (*marguillers*) perierit, non videtur ecclesiam ad implenda onera adhuc teneri, nisi in quantum ditior inde facta esset. *Ferraris,* v° *Miss. sacrif.*, art. 2, n. 34.

Si autem administratores graviter peccaverint theologice, ad restituendos census sua culpa præscriptos tenebuntur, etiam ante sententiam judicis ; si juridice tantum peccaverint, ad restitutionem non tenebuntur ante judicis sententiam.

2° Sæpe contingit ut onera a fundatoribus imposita census annuos ab eis relictos excedant, sive a principio, sive quia illi census decursu temporum imminuti sunt, sive quia pars illorum periit. Concilium Trid., sess. 25, cap. 4 de Reform., dedit facultatem « episcopis, ut in » synodo diœcesana, abbatibus et generalibus ordinum, » ut in suis capitulis generalibus, re diligenter per- » specta... possent statuere circa hæc quidquid magis ad » Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem » viderent expedire. »

Verum S. Congr. Concilii, per decretum diei 21 junii 1625 jussu Urbani VIII editum, et ab Innocentio XII, die 25 decembris 1697 confirmatum, districte prohibuit ne episcopi in synodo diœcesana, aut generales in capitulis generalibus, Missarum onera post concilium Trid. imposita aut in limine fundationis, reducerent vel commutarent, sed pro his reducendis, moderandis aut commutandis, ad Sedem Apostolicam recurrendum esse statuit. Decretum igitur concilii Trid. de solis Missis antea fundatis intelligendum est. In ipsomet tamen decreto Congregationis declaratum est episcopos facultate Missas recenter fundatas reducendi uti posse, si testator eam expresse ipsis concesserit.

Causæ vero ob quas Sedes Apostolica Missas reducere consuevit, sunt : paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, augmentum stipendii currentis, redituum monasterii extenuatio, majores expensæ ad victum, necessitas communitatis vel ecclesiæ in qua est fundatio.

3° Si reditus in principio sufficientes, facti fuerint one-

ribus impares, *Fagnani*, S. Ligorius aliique multi opinantur non sublatam fuisse episcopis facultatem, quam de jure communi habent, Missas moderandi vel commutandi, hærede vel exsecutore audito. Nituntur Decret. l. III, tit. 25, cap. 3, et concil. Trid., sess. 22, cap. 8 de Reform., et dicunt hanc suppressionem in præfato Congregationis decreto non contineri.

In Gallia autem semper viguit consuetudo ut episcopi, extra synodum diœcesanam et absque canonicorum assistentia, Missas fundationis, juxta suam prudentiam, præsumptam testantium voluntatem attendentes, reducerent, moderarentur ac commutarent, ea ratione quæ magis expedire ipsis videretur ad Dei honorem et defunctorum utilitatem, « ita tamen ut eorum semper de» functorum commemoratio fiat, qui, pro suarum ani» marum salute, legata ea ad pios usus reliquerunt. » Concil. Trid., sess. 25, cap. 4 de Reform. Idem a fortiori faciunt pro officiis, anniversariis et quibuscumque precibus fundatis.

De quibus omnibus videantur quæ, t. IV, Tract. *de Legibus*, cap. 2, art. 5, sumus exposituri.

Si vero ageretur de parte redituum titulo gratuito concedenda pauperi ecclesiæ vel monasterio, ad Sedem Apostolicam recurrendum esse non dubitamus.

III. De missarum condonatione. — Bened. IV, de Syn. diœces., l. XIII, cap. ultimo, n, 16, docet Missarum reductionem cum Missarum non celebratarum condonatione non confundendam esse. Reductio futurum tempus et condonatio præteritum respicit. Expresse affirmat dictus Pontifex maximus in condonationibus episcopum nunquam se immiscere posse, sed solum Romanum pontificem, qui examinatis prius omissionum causis, opportune providet, supplendo omissionibus ex thesauro ecclesiæ. Non admittitur hujusmodi condonatio si petentes malitiose egerint.

Eodem principio innixus summus Pontifex condonare potest, et reipsa pluries condonavit parochis et canonicis applicationes Missarum omissas.

Episcopi tales impertiri nequeunt condonationes in favorem sacerdotum qui emolumenta perceperunt vel Missas alio titulo personali debitas omiserunt, quia ex spirituali ecclesiæ thesauro sic plenissime supplere non possunt.

At statuere solent in Gallia quid facere teneantur ecclesiæ pro reditibus perceptis et oneribus eis correspondentibus non expletis, non quidem condonando, sed authentice declarando quænam obligatio, attentis omnibus circumstantiis, exstiterit et adhuc implenda remaneat.

CAPUT SEXTUM.

DE IIS PRO QUIBUS OFFERRI POTEST DIVINUM SACRIFICIUM.

Duplicis generis sunt personæ pro quibus divinum illud sacrificium offerri potest, nimirum viventes et mortui.

§ I. — De divino sacrificio pro viventibus oblato.

I. De sacrificio oblato pro iis qui sunt de ecclesia. — Nullus est dubitandi locus quin Missæ sacrificium offerri possit pro omnibus Ecclesiæ membris adhuc viventibus, sive justi sint, sive peccatores, modo non excommunicati; est enim propitiatorium et impetratorium, ex dictis : igitur offerri potest ad obtinendam remissionem peccatorum, et ad impetranda bona ad salutem conducentia. Porro si quidam homines tales obtinere possint effectus, maxime qui sunt membra Ecclesiæ viventia. Ergo. Unde in canone Missæ, oratione *Te igitur*, dicimus : *Quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica... pro omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.*

II. An et quomodo liceat sacrificium offerre pro iis qui non sunt de ecclesia. — 1° Pro catechumenis et ip-

sis infidelibus in genere offerri potest per modum deprecationis, ut convertantur, pœniteant et gratiam justificationis obtineant; pro iis quippe omnibus deprecari licet juxta hæc B. Pauli verba, I Tim., II, 1 : *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt.* Porro sacrificium Missæ, quatenus impetratorium, per modum deprecationis offerri potest. Ergo.

2° An offerri possit pro excommunicatis, major est difficultas. Communius tamen docent auctores Missam licite offerri pro excommunicatis toleratis, et eis prodesse quatenus offertur in persona Christi; quia, vi Constitutionis Martini V, *Ad evitanda scandala*, cum eis communicare licet in divinis. Imo probabiliter valide et quandoque licete offerri potest nomine Ecclesiæ, præcise quia hujusmodi excommunicati non sunt vitandi. Non tamen publice nominari possent si essent notorii, licet tolerati, propter fidelium offensionem.

3° Pro excommunicatis non toleratis Missæ sacrificium offerri potest indirecte, si nempe offeratur pro omnibus peccatoribus, pro conversione hæreticorum et impiorum : sed directe offerri non potest nomine Ecclesiæ pro iis etiam generaliter spectatis, nullum in particulari nominando ; et communiter docent auctores eum qui sic ageret mortaliter peccaturum, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem iret.

Diximus *nomine Ecclesiæ*, quia sacerdos potest, ut privatus, pro excommunicatis non toleratis orare etiam in precibus publicis ac in ipso Missæ sacrificio : imo actionem sacrificandi, prout est opus personale, offerre potest. Intentio enim Ecclesiæ fuit tantum excommunicatos denuntiatos iis privandos esse bonis quæ Deus in gratiam ipsius Ecclesiæ concessurus fuisset. Talem excommunicatum in precibus publicis nominare, fidelibus commendare non posset, nec, ut arbitramur, stipendium ab Ecclesia determinatum exigere, cum divinum Sacrificium more consueto et nomine Ecclesiæ offerre nequeat.

4° Quoad hæreticos et schismaticos non videtur, in hac quæstione, ratio discriminis inter eos et alios excommunicatos. Pro iis ergo Missæ sacrificium offerri potest vel non potest, prout, ex circumstantiis, annumerandi sunt excommunicatis toleratis vel non toleratis.

Hæc melius intelligentur ex dicendis in Tractatu *de Censuris*.

§ II. — De divino sacrificio pro mortuis oblato.

I. De mortuis pro quibus offerendum est Missæ sacrificium. — 1° Pro omnibus offerendum est Missæ sacrificium qui in fide Ecclesiæ mortui sunt. Imo de fide est Missæ sacrificium offerri posse pro defunctis in purgatorio existentibus; sic enim habet concil. Trid. sess. 22, can. 3 : « Si quis dixerit Missæ sacrificium esse tantum » laudis... neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, » pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri » debere; anathema sit; » et sess. 25, decreto de Purg. definit « animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissi- » mum vero acceptabili altaris Sacrificio, adjuvari. » Addi possent testimonia Patrum et praxis totius Ecclesiæ. Ergo.

2° Ignoramus autem qua mensura sacrificium salutare, eleemosynæ aliaque bona opera mortuis prosint. « Non » omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed » talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc » utilia esse post mortem; » S. Aug., Serm., 172. t. V, col. 827. Fructus igitur Sacrificii applicatur defunctis modo finito, in quantitate dispositionibus quas habebant moriendo proportionata, et nobis prorsus ignota. Ideo, multis pro eadem anima iteratis Missis, non constat eam a pœnis purgatorii esse liberatam.

3° Attamen Missæ sacrificium prodest defunctis ex opere operato; quia principalis fructus ejus a dispositionibus celebrantis non pendet. Parvi refert ergo, sub hoc respectu, an Missa a bono vel a malo celebretur ministro, aut dicatur Missa defunctorum, vel occurrentis sancti aut

feriæ; idem quippe est valor substantialis Sacrificii; sed ex parte orationum, magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ : verum hic defectus compensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui postulat eam, vel iterum per intercessionem sancti cujus fit officium.

4° Ad sacram Cong. Concil. delata est quæstio quam non resolvit, an scilicet ante mortem celebrare vel celebrari facere liceat Missas *de Requiem*, pro suffragio animæ suæ, per anticipationem. S. Congregatio autem Rit. declaravit, die 28 martii anni 1775, Missam *de Requiem* pro persona adhuc vivente per anticipationem celebrari non posse, *Gardell.*, t. V, p. 84 et 85.

II. De mortuis pro quibus non offertur missæ sacrificium. — 1° Certum est Missæ sacrificium offerri non posse sanctis, *sed soli Deo qui illos coronavit*, ut docet concil. Trident., sess. 22, cap. 3. Ex canone 5 sequenti, de fide est Missas celebrari posse *in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit*, et quotidie facit. Non est item in usu Ecclesiæ ut unquam offeratur pro sanctis.

2° Pro infidelibus defunctis Missa offerri non potest nomine Ecclesiæ, quia ad Ecclesiam non pertinent. Offerri igitur non potest ad satisfaciendum voto matris desolatæ, pro infante sine Baptismate decesso, ne privatim quidem, quia hujusmodi infantes constituuntur in statu fixo.

3° Pro excommunicatis vitandis, ante absolutionem defunctis, Missa nomine Ecclesiæ offerri non potest, nec orationes Domino porrigendæ, nisi viventes evidentia pœnitentiæ signa dederint, et etiam defunctis beneficium absolutionis impendatur, ut docet Innocentius III, Decretal. l. v, tit. 39, cap. 38.

4° Pro excommunicatis toleratis probabiliter licet publice orare et Missæ sacrificium nomine Ecclesiæ offerre, ob rationem supra expositam, et eadem conditione si fidelium offensio timenda esset.

5° Attamen Ecclesia non orat pro hæreticis et schisma-

ticis publicis, etsi non denuntiatis, nec pro impiis notoriis, « nec pro illis quos constat decessisse in mortali, ut » cum quis suspendit se, vel præcipitat, aut alio modo se » interficit. » Sunt verba Glossæ in decretum, part. 2, causa 13, q. 2, can. 21.

Nunquam igitur Missa saltem publice offerri potest pro iis quibus denegata est sepultura ecclesiastica, quia tunc vera existeret contradictio.

6° Privatim vero orare et ipsam sacrificandi actionem, per modum suffragii offerre possumus pro omnibus christianis, quorum reprobatio non est certa, ut apud Deum adjuventur, si reipsa adjuvari possint; quia *melius supererunt ista eis quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt,* inquit S. Aug., lib. de Cura gerenda pro mortuis, cap. 18, t. VI, col. 503.

7° Quidam opinati sunt animas damnatorum aliquantulum a pœnis sublevari per eleemosynas et sacrificia ad eorum intentionem oblata, ut videre est apud P. *Petau,* t. III, dogm. l. III, cap. 8, n. 15; verum hæc singularis opinio, nullo innixa fundamento, explodenda est velut absurda. Imo, cum quidam concionator hanc emisisset sententiam, ex resolutione S. Cong. Inquisitionis ab Innocentio X approbata, coactus est se retractare : *Ferraris,* v° *Missæ sacrif.,* art. 7, n. 20.

APPENDIX

DE REGULIS LITURGICIS IN CELEBRATIONE DIVINI SACRIFICII OBSERVANDIS.

Multa in ea appendice dici possent : præcipua et in praxi frequentiora colligentes, dicemus 1° de diversis liturgiis; 2° de singulis liturgiæ nostræ partibus; 3° de variis Missarum speciebus; 4° de loco ubi Missa celebranda sit;

5° de altari et ejus ornamentis ; 6° de vestibus sacris ; 7° de vasis sacris ; 8° de rubricis servandis ; 9° de defectibus in Missa occurrentibus ; 10° de hora qua celebrare liceat ; 11° de præparatione et gratiarum actione celebrantis ; 12° de interruptione Missæ.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVERSIS LITURGIIS.

1° Liturgia, a duobus verbis græcis, λεῖτος, *publicum*, ἔργον, *opus*, veniens, in sua generalitate spectata et rebus sacris applicata, publicum exprimit cultus divini exercitium, sumiturque pro officio divino peragendo et Missa celebranda.

Eo nomine hic specialiter intelligitur ordo lectionum, precum et cæremoniarum quæ in offerendo Missæ sacrificio adhiberi solent : tot igitur sunt liturgiæ diversæ quot existunt hujusmodi ordines in celebrando Missæ sacrificio usitati.

2° Christus divinum illud Sacrificium instituens, partes ejus essentiales determinavit, nempe panem, vinum aquæ mixtum, oblationem, orationem, consecrationem, sumptionem, et assistentibus communicare volentibus distributionem : hæc semper facienda esse jussit dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem*. Cætera vero minus essentialia Apostolis eorumque successoribus reliquit determinanda, prout ipsis viderentur magis expedire. Hinc Missa in omnibus Ecclesiis catholicis eadem esse debet quoad partes essentiales a Christo determinatas, sed pluribus modis variari potuit relative ad partes quæ dicuntur accidentales.

3° Valde probabile est, ut docet card. *Bona*. Apostolos prima vice Missam celebrasse solummodo post Pentecosten, quando, per effusionem Spiritus sancti, induti sunt virtute ex alto, et ideo legitur in Act. II, 42 : *Erant per-*

sevcrantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus.

4° Circumstantiæ orationum ac cæremoniarum quas adhibuerunt Apostoli, non reperiuntur descriptæ, nec in Actibus Apost., nec in aliis libris Novi Testamenti, nec in antiquioribus Patrum operibus. Imo P. *Le Brun* variis testimoniis ac rationibus probare nisus est per quatuor priora Ecclesiæ sæcula, nullam extitisse liturgiam scriptam, sed ritus in celebranda Missa solitos memoria tantum fuisse retentos et transmissos, ne profanis innotescerent sanctissima mysteria et contemnerentur. Sic etiam *Renaudot*, P. Pinius, etc. At eruditissimus *Muratori*, in speciali dissertatione *de Rebus liturgicis*, solide videtur demonstrare P. *Le Brun* in eo puncto errasse (*Patrolog.*, t. LXXIV, col. 847). Idem sentiunt *Merati*, Robertus *Sala* in comm. Rer. liturg., card. *Bona*, etc.

5° Apostoli per orbem dispersi alii alias addiderunt vel subtraxerunt orationes, lectiones et cæremonias; eorum successores eamdem habebant facultatem idemque pluries fecerunt : unde variæ ortæ sunt liturgiæ, tum in orientali, tum in occidentali Ecclesia. In quinto sæculo cœperunt colligi et scribi, secundum P. *Le Brum*, t. III : multo prius, juxta *Muratori*, ut diximus.

Tres præcipue numerantur in Ecclesia Græca liturgiæ quæ tribuuntur, prima S. Jacobo, secunda S. Basilio, et tertia S. Chrysostomo; et quatuor in Ecclesia Latina, videlicet Romana, Ambrosiana, Gallicana, et Hispanica seu Mozarabica. In duplici paragrapho dicemus de liturgiis orientalibus et de liturgiis occidentalibus; tertium addemus de aliis liturgiis.

§ I. — De liturgiis orientalibus.

I. De liturgia S. Jacobi. — Protestantes generatim hanc volunt rejiciendam esse liturgiam tanquam apocryphum; multi catholici, inter quos card. *Bona*, t. I, contendunt eam ab ipso S. Jacobo fuisse scriptam, et ad ejus

normam cæteras fuisse institutas. Sic etiam eruditissimus Allatius, in speciali hac de re Dissertatione inter opuscula ejus relata. P. *Le Brun*, t. IV, vult mediam tenendam esse viam ; hanc quidem liturgiam revera esse B. Jacobi, qui eam instituit Jerusalem, et ad successores suos transmisit; sed contendit, quod aliis probatum non est, illam in quinto sæculo tantum scripto fuisse exaratam, et sancto Apostolo merito attributam, licet quædam in ea factæ fuerint mutationes : v. g., post concilium Nicæn. I, addita est vox *consubstantialis* nomini Filii Dei; et vox *Deipara* nomini B. Mariæ, post concil. Ephes. : quædam suppressæ vel additæ sunt orationes, quædam cæremoniæ commutatæ. Sed nihilominus eadem substantialiter remansit liturgia quæ fuit tempore S. Jacobi et cæterorum Apostolorum qui primum celebraverunt Jerusalem. Unde hæc liturgia recte judicatur prima, cæterarum norma, et merito vocatur Hierosolymitana simul et sancti Jacobi. Constans Græcorum et Syriorum traditio eam tribuit B. Jacobo ; Patres concilii Constantin. III in Trullo, eam velut opus hujus Apostoli citaverunt, ut ex illa probarent adversus Armenos aquam cum vino miscendam esse in calice.

II. De liturgia S. Basilii. — Testatur ipse S. Basilius, in Epistola ad clerum Neocæsariensem, se præparasse orationes in celebranda Missa recitandas, ad usum sui monasterii; cæteræ Orientis ecclesiæ eas laudaverunt, adoptaverunt suisque consuetudinibus respectivis accommodarunt. Hinc perplures prodierunt liturgiæ, non solum græcæ, sed syriacæ et armenicæ quæ, licet in pluribus a se discrepantes, nomine S. Basilii decoratæ sunt. Ea quam Constantinopolitani ritibus suis accommodarunt et sequuntur, proprie dicitur liturgia S. Basilii : est in usu apud Græcos nonnullis tantum diebus, nempe in dominicis Quadragesimæ, dempta dominica Palmarum, feria V in Cœna Domini, in Sabbato sancto, in vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini, et in festo S. Basilii (P. *Goar*). Duplicem liturgiam S. Doctor composuit, unam prolixiorem qua diutius Deo vacaret; et alteram brevio-

rem, ne tædium populo ipsisque ministris sacris pareret, et quæ certe adhuc longa est, ut videri potest apud P. *Goar*, ubi refertur in extenso, græce et latine.

III. De liturgia S. Chrysostomi. — S. Joannes cognomento Chrysostomus, eadem ratione pulsus qua S. Basilius, liturgiæ in sua ecclesia usitatæ, quæ dicebatur apostolica, manum admovens, eam concisiorem et pressiorem reddidit, ut imbecillitati humanæ magis esset accommodata. Ita B. Proclus, ejus discipulus et successor, in opusculo de Liturgia. Leo Allatius et Richardus *Simon* de authenticitate illius opusculi dubitant; *Le Brun* contendit illud non esse B. Procli, et liturgiam Constantinopolitanam S. Joanni non fuisse attributam, nec cognomen Chrysostomi, in illa pluries inscriptum, ei impositum nisi 300 circiter post mortem ejus annis. Concilium in Trullo, anno 692 celebratum, hunc S. doctorem semper vocat Chrysostomum, et præbuit locum liturgiam Constantinopolitanam ei attribuendi, dicendo, adversus Armenos, illum Ecclesiæ tradidisse aquam vino miscendam esse, quando incruentum peragitur Sacrificium.

Quidquid sit, hæc liturgia, quam P. *Goar* refert integram in græco et in latino sermone, est antiquissima et communiter usitata, exceptis diebus supra memoratis, in quibus juxta liturgiam S. Basilii celebratur, et diebus quadragesimæ, in quibus Missa præsanctificatorum dicitur, apud omnes Græcos schismaticos et catholicos, in tota Russia, in Bulgaria, in Georgia et Mingrelia, ubi tamen adhibetur lingua sclavona vel georgiana, etc.

§ II. De liturgiis occidentalibus.

I. De liturgia romana. — Liturgia Romana, a B. Petro instituta, ab eodem et a successoribus aucta fuit et emendata. Quo tempore autem scripto fuerit exarata dissentiunt doctores, ut supra diximus. Innocentius I, Romanus pontifex, ad Decentium, Eugubinum episcopum,

anno 416 scribens, ait (*Coustant*): « Quis nesciat aut » non advertat id quod a principe Apostolorum Petro » Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custo- » ditur, ab omnibus debere servari; nec superinduci aut » introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat, » aut aliunde accipere videatur exemplum: præsertim » cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias et » Hispanias, et Africam atque Siciliam, nullum insti- » tuisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus » Petrus aut ejus successores constituerint sacerdotes? » Hinc videtur: — omnes Occidentis ecclesias ab Ecclesia Romana ortum habuisse; — omnes in prima origine eamdem in substantia habere debuisse liturgiam. S. Gelasius I, summus Pontifex anno 492 electus, instituit Sacramentarium in quo vetus Ecclesiæ Romanæ liturgia continebatur. Vigilius, anno 528 creatus papa, in Epistola ad Eutherium seu Profuturum, in Hispania episcopum, loquitur de canone scripto, ex apostolica traditione suscepto, qui eodem tenore semper dicitur, cum nonnullis tamen mutationibus in memoriam sanctæ solemnitatis, quemadmodum nunc fit in orationibus *Communicantes* et *Hanc igitur*.

S. Greg. Magnus, multas orationes e Sacramentario S. Gelasii detrahens, quasdam addens et alium instituens ordinem, novum composuit Sacramentarium, in quo Romana invenitur liturgia fere de verbo ad verbum ut est hodie, quoad ordinarium Missæ: sed ex hoc tempore multæ additæ sunt novæ Missæ, alteræque mutationes non paucæ factæ sunt.

II. De liturgia ambrosiana. — Vicecomes, doctor Mediolanensis, in l. II de Ritibus Missæ, anno 1620 edito, contendit ritus ecclesiæ Mediolanensis a S. Barnaba Apostolo fuisse institutos, a S. Miroclete auctos, a S. Ambrosio illustratos et inde nomine ejus decoratos. Walfridus Strabo, in nono sæculo scribens, ait, de Rebus eccles., cap. 22 (Biblioth. Patr. t. XV, 2ª part.): « Am- » brosius, Mediolanensis episcopus, tam Missæ quam » cæterorum dispositionem officiorum suæ ecclesiæ et

» aliis Liguribus ordinavit. Quæ et usque hodie in Me» diolanensi tenentur ecclesia. » Huic gravissimi momenti testimonio suffragatur ecclesiæ Mediolanensis et totius Italiæ traditio, *a qua sine evidenti ratione*, inquit card. *Bona*, l. I, cap. 10, *recedendum non est*.

Quando Carolus Magnus et papa Adrianus I exigere voluerunt ut omnes ecclesiæ occidentales ritum Romanum adoptarent, Mediolanenses suum ritum servarunt. Licet peccare potuerint non obtemperando, bulla tamen S. Pii V non fuerunt obstricti, quia ritus eorum tunc antiquitate requisita jam gaudebat.

Attamen plurimæ diversis temporibus factæ sunt mutationes in ritu Ambrosiano, auctoritate archiepiscoporum, ut ex collatione variarum Missalis editionum aperte videtur.

Ordo Missæ juxta hunc ritum reperitur apud *Martène* et apud P. *Le Brun*.

III. De liturgia gallicana. — Liturgia Gallicana ea est quæ in Galliis ante Pepinum et Carolum Magnum erat usitata. Non erat una sub omni respectu, sed idem servabatur ordo precum, licet orationes essent diversæ: unde communius judicatur illam plures habuisse auctores, qui adhuc sunt ignoti. Probabile tamen videtur eam, maxima ex parte, tribuendam esse S. Hilario Pictaviensi, versus annum 367 mortuo.

Certum est hanc liturgiam a Romana fuisse diversam, et plurimæ sunt rationes judicandi eam ex liturgiis orientalibus magna ex parte ortum habuisse per primos Galliarum episcopos, qui fere omnes, ut S. Photinus, S. Irenæus, S Trophimus, S. Saturninus, ab Oriente venerant, licet missionem suam, juxta veterem traditionem, a Romano pontifice obtinuissent.

Pepinus, deinde Carolus Magnus, tantam rituum diversitatem in celebratione sanctissimorum mysteriorum ægre ferentes, jusserunt ut Sacramentarium S. Gregorii ab Ecclesia Romana acceptum, ritibus Gallicanis ubique substitueretur; et Carolus Calvus, in Epistola ad clerum Ravennatem, ait: « Usque ad tempora atavi nostri Pip-

» pini, Gallicanæ ecclesiæ aliter quam Romana vel Me-
» diolanensis ecclesia divina celebrabant officia, sicut vi-
» dimus et audivimus ab eis qui ex partibus Toletanæ
» ecclesiæ ad nos venientes, secundum morem illius ec-
» clesiæ coram nobis sacra officia celebrarunt. Celebrata
» sunt etiam coram nobis Missarum officia more hieroso-
» lymitano, auctore Jacobo apostolo, et more constanti-
» nopolitano, auctore Basilio : sed nos sequendam di-
» cimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebra-
» tione. »

Ex eo tempore, antiqua liturgia, Gallicana fuit derelicta et in Romanam mutata : in plerisque tamen ecclesiis retenti, vel, decursu temporis sive licite sive illicite, adjecti sunt ritus unicuique peculiares, qui hodie fere ubique aboliti sunt. Sed in omnibus eadem erat ordinatio Missæ, videlicet Introitus, *Kyrie, eleison, Gloria in excelsis*, Collecta, Epistola, Evangelium, Symbolum certis diebus, Offertorium, etc.; idem Canon ex Sacramentario S. Gregorii excerptus, etc. Ergo revera eadem erat substantialiter et quoad ordinem generalem liturgia, licet eadem non sint verba in cunctis partibus, nec eædem cæremoniæ.

Quatuor exstant Missalia veterem liturgiam Gallicanam continentia; card. *Bona* duo indicat; card. *Thomasi* hæc duo cum alio tertio recentius reperto collegit et typis Romæ mandavit anno 1580. Doctissimus *Mabillon* quartum invenit in monasterio Bobiensi, et in suum *Museum Italicum* inseruit. Tria alia etiam edidit et illustravit in opere inscripto : *De Liturgia Gallicana*, anno 1685.

Matthias Flaccus Illyricus, lutheranus, Missam latinam ex veteri codice vulgavit Argentinæ, anno 1557, ut catholicis oppositam; sed, re, maturius perpensa, ipsi Lutherani agnoverunt eam sibi non favere. Plurimi volunt illam, in Gallia et Germania, ante Ordinis Romani introductionem, fuisse usitatam, pro antiqua Gallicana habendam, et ad S. Greg. tempora referendam esse. Sic ipse Illyricus. Alii vero, ut P. *Menard*, notis in Sacrament. S. Greg., card. *Bona*, l. I, cap. 12, P. *Martène*, id

negant : fatentur tamen eam esse saltem decimi sæculi, et probabiliter noni.

In pluribus ecclesiis quædam existunt consuetudines, plus minusve antiquæ, v. g., dandi benedictionem episcopalem ante communionem, preces publicas pro diversis personis et necessitatibus fundendi, denuntiationes festorum et jejuniorum faciendi intra Missam solemnem, etc. Hæc vero ad substantiam liturgiæ non pertinent.

IV. De liturgia hispanica et mozarabica. — P. *Le Brun*, t. III, docet et probat fidem catholicam in Hispaniam fuisse importatam per viros a Sede Apostolica missos, ac proinde liturgiam Romanam ibi primum fuisse usitatam; sed in quinto sæculo innumeri populi barbari hanc regionem invaserunt, omnia turbaverunt, novos ritus passim induxerunt, præsertim Gothi ex Oriente venientes, et variæ jam cœperunt existere liturgiæ. Anno 538, Vigilius, summus Pontifex, ordinationem Missæ Romanæ misit ad Eutherium seu Profuturum, in Hispania episcopum, et concilium Bracarense jussit, anno 563, ut omnes sacerdotes juxta illam deinceps celebrarent, quod supponit liturgiam tunc vigentem a liturgia Romana discrepare.

Non obstante hoc statuto, variæ consuetudines a liturgia Romana alienæ, vel perseveraverunt, vel ab aliis regionibus, v. g., a Gallia et præsertim a Constantinopoli introductæ fuerunt, et inde aucta est confusio. Versus finem sexti sæculi, et in initio septimi, S. Leander, Hispalensis episcopus, et S. Isidorus, ejus frater ac successor, conati sunt novam ordinare liturgiam, quæ in concilio Toletano IV, anno 633 celebrato, adoptata, facta est communis omnibus ecclesiis Hispaniæ et Galliæ Narbonensis, Gothis Hispaniarum tum subjectæ.

Hæc liturgia vocata est Gothica, a nomine gentis tunc regnantis : deinde in octavo sæculo, dicta est Mozaraba vel Mozarabica, quia cum Arabes pene omnem Hispaniam occuparent, Christiani inter eos degentes appellati fuere *Mixtarabes*, et per corruptionem *Mozarabes*, id est, mixti

Arabibus. Sic communiter auctores, aliis tamen aliam originem assignantibus, ut videri potest apud *Labbe*.

Quidam errores in hanc liturgiam, ex inadvertentia, ignorantia aut negligentia irrepserant, vel saltem quibusdam illius verbis abusi sunt Felix Urgelitanus et Elipandus, Toletanus episcopus, in octavo sæculo, ut suam tuerentur sententiam, qua volebant Christum ratione humanitatis dici posse filium Dei adoptivum.

In undecimo sæculo, Alexander II, S. Gregorius VII et Urbanus II nihil omiserunt per trigenta annos ut officium Romanum per totam Hispaniam reciperetur : cooperantibus regina Constantia, ex Galliis oriunda, et regibus Ramiro, Sanctio ac præsertim Alphonso, tandem abolitus fuit ordo Mozarabicus, et ordo Romanus Gallicus ei substitutus.

Illustris card. *Ximenes*, anno 1500, Missale Mozarabicum novis characteribus excudi mandavit, totum ritum veterem, nonnullis mutationibus adjectis, instauravit, collegium instituit sacerdotum qui juxta hunc ritum, in sacello quod ipse in majori ecclesia Toletana fundavit, et in quinque parœciis quotidie celebrarent. Sic ritus Mozarabicus fuit restitutus et usque nunc perseveravit : ejus ordo reperitur apud card. *Bona*, P. *Martène* et P. *Le Brun*.

§ III. — De cæteris liturgiis minoris momenti.

Præcipuas memoravimus liturgias, tum orientalis, tum occidentalis Ecclesiæ : sed insuper aliæ sunt plures minoris momenti.

I. De liturgia S. Marci. — Hæc liturgia etiam dicitur S. Cyrilli Alexandrini, quia ab eo, S. Marci successore, scripta et perfecta fuit in quinto sæculo. Non est dubium quin fuerit in lingua græca tunc communi, sicut duæ aliæ liturgiæ in ecclesia Alexandrina atque in tota Ægypto simul usitatæ, nempe liturgia S. Basilii, et altera S. Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi. Verum Dioscorus, patriarcha Alexandrinus, factus Eutychianus,

in concilio Chalcedonensi damnatus, et suæ damnationi subscribere nolens, magni schismatis fuit pater. Catholici definitionibus concilii Chalcedonensis adhærentes, vocati sunt Melchitæ, a verbo arabico idem significante ac regii, gallice *royalistes*, quia mandato imperatoris Marciani, qui concilium Chalcedonense recipiendum jusserat, obtemperaverunt. Qui vero partes Dioscori secuti sunt, appellati fuerunt Jacobitæ, a quodam Jacobo Syro, vehementi concilii Chalcedonensis adversario, episcopo Edesseno, anno 577 æræ nostræ defuncto; et Monophysitæ, quia unicam admittebant naturam in Christo. Melchitæ lingua græca uti perrexerunt, sed Jacobitæ in lingua vulgari ægyptiaca officium celebrabant; unde arabice, per corruptionem, a verbo græco Αἴγυπτος dicti sunt Cophtæ. Huc usque exstiterunt in Ægypto, in Æthiopia et in Abyssinia; suam liturgiam, quæ est vetus Alexandrina, seu S. Marci, diu habuerunt in lingua ægyptiaca seu Cophtica, postea in ligua arabica quæ facta est communis. Ordo ejus legi potest apud P. *Le Brun*, t. IV.

II. De liturgia æthiopica.— S. Frumentius, a S. Athanasio in Æthiopiam missus, anno 331, liturgiam Alexandrinam secum importare debuit, et P. *Le Brun*, putat eam probabiliter primam omnium fuisse scriptam in lingua æthiopica. Æthiopes, cum Ægyptiis seu Cophtis conjuncti, diversas eorum liturgias adoptarunt, et duodecim habent : quæ communior est apud illos, sub nomine Apostolorum, ex lingua chaldaica sive æthiopica in latinam conversa, Romæ impressa est, anno 1549.

III. De liturgia syriaca. — Liturgiæ S. Jacobi et S. Basilii in quinto sæculo scriptæ fuerunt græce, pro magnis urbibus in quibus omnes loquebantur græce, et simul in lingua syriaca pro Syria sicut in lingua cophtica pro Ægypto. Christiani divisi sunt in Oriente, sicut in Ægypto, occasione concilii Chalcedonensis, in Melchitas et Jacobitas : sed hi et illi communem retinuerunt liturgiam syriace scriptam, cujus ordo legi potest apud P. *Le Brun*, t. IV.

IV. De liturgia maronitica. — Maronitæ sunt populus

ex Phœnicia oriundus, in monte Libano et in quibusdam civitatibus Syriæ habitans, cujus primus Apostolus fuit S. Simeon Stylita, qui per vitam suam singularem et sua miracula multos attrahens, atque e columna sua erudiens ac dehortans, eos ad amplectendam religionem christianam determinavit in quinto sæculo. Quidam eorum, cæteris manentibus semper catholicis, Monothelitarum hæresi imbuti sunt; sed anno 1182, errores suos inter manus Aimerici, patriarchæ Antiocheni, catholici, abjecerunt. Ex eo tempore, omnes Sedi Apostolicæ firmiter adhæserunt, et affirmari potest ipsam gentem semper fuisse catholicam, quod sic testatur Bened. XIV, app. VII, ad calcem t. I : *Profecto Maronitæ fuerunt semper quales et hodie sunt, integre catholici, cum hac sancta Sede conjuncti.*

Nomen suum probaliter sortiti sunt, ut vult P. *Le Brun*, a Joanne, dicto Marone, quia religiosus erat e monasterio S. Maronis, in diœcesi Apamiensi, et eorum patriarcha in initio octavi sæculi.

Missale eorum, in lingua chaldaico-syriaca, impressum fuit Romæ, an. 1592 et 1594, et quatuordecim continet liturgias, sub titulis S. Xisti papæ, S. Joannis Chrysostomi, S. Joannis Evangelistæ, S. Petri principis Apostolorum, duodecim Apostolorum, S. Dionysii, S. Cyrilli, S. Matthæi, S. Jacobi, S. Marci, etc. Omnes, una excepta, reperiuntur apud *Renaudot*, t. II, cum amplissimis notis.

V. De liturgia armenica. — Armeni, juxta antiquam et generalem traditionem, ab Aram filio Sem descendunt et suum habent nomen. Magnam occupant regionem, cui nomen suum imposuerunt, inter mare Caspianum et mare Rubrum, secus flumen Araxen, trans et citra illud : successive vexati a Persis, Romanis, Sarracenis et Turcis, multi ex illis in alias regiones migraverunt, et inveniuntur in Tartaria, Moscovia, Polonia, Turcia.

Tenent Armeni apostolos Thaddæum et Bartholomæum fidem apud eos prædicasse : certum est initio tertii sæculi numerosos jam exstitisse Christianos in illo regno, cum,

ex Euseb., Hist. Eccles., l. IX, cap. 6, imperator Maximus bellum Armenis, hucusque Romanorum amicis, indixerit anno 235, quia erant christiani, et multi coronati fuerint martyrio sub Decio et Diocletiano. Tenent insuper magnam Armeniam ad fidem adductam esse, quarto ineunte sæculo, cura Gregorii Illuminatoris, qui primum regem Tridatem converterat. Certum videtur hunc Gregorium a Leontio, Cæsareensi episcopo, ordinatum fuisse episcopum et in Armeniam missum, ac multos alios episcopos a S. Basilio, Leontii successore, in Armenia fuisse constitutos : unde concluditur Armeniam nondum habuisse patriarcham, sed Cæsareensi metropoli subjectam esse.

In sexto sæculo, Armeni errores Monophysitarum adoptarunt, vincula unionis cum catholicis ruperunt, et in conciliabulo ad hoc convocato, anno 551 actum suæ separationis solemniter confirmarunt. Æram suam ab hoc anno vel ab anno 552, in memoriam hujus actus, numerant, et universalem ex hoc tempore semper habuerunt patriarcham, in urbe Etzmiazim residentem, qui, viginti sex archiepiscopos, et septuaginta quinque episcopos habebat sibi subjectos anno 1670.

Alius est patriarcha in Armenia minori, quinquaginta habens suffraganeos, qui in septimo sæculo se declaravit a patriarcha Etzmiazim independentem. Alii etiam nunc existunt patriarchæ Armeni Constantinopoli et Jerusalem, sed a magno patriarcha dependentes.

In variis temporibus Armeni ostenderunt se paratos esse hæresim abjicere et Ecclesiæ Romanæ se adjungere : exigua provincia, nomine Naxivan, ab anno 1333 fere tota est catholica; habet archiepiscopum catholicum et monachos, olim S. Basilii qui regulam FF. Prædicatorum amplexi sunt : plurimi sunt catholici in Moscovia et in Polonia. Dum celebraretur concil. Florent. anno 1438. patriarcha Minoris Armeniæ quosdam misit legatos ad papam Eugenium IV, qui, concilio expleto et Græcis jam profectis, cum pluribus episcopis Latinis adhuc Florentiæ manentibus celebre edidit Decretum ad Armenos. Magnus

patriarcha, archiepiscopi et episcopi ipsi subjecti nunquam illud decretum admittere voluerunt, sicque in erroribus suis permanent obstinati. Ex tunc tamen multi exstiterunt catholici Armeni, tum in ipsa Armenia, tum Constantinopoli et in aliis Orientis partibus. Religiosus quidam, e monasterio Armenorum catholicorum, in parvula insula propre Venetias sito, nobis anno 1825 dixit, 2,000,000 circiter existere catholicos suæ gentis in Armenia. Qui Constantinopoli degunt, ab anno 1830 catholicum habent patriarcham.

Liturgia Armenorum ortum habuit a S. Athanasio et a S. Joanne Chrysostomo, qui apud eos relegatus mortuus est : in lingua eorum fuit scripta et usque in hodiernum diem sic perseveravit, tum apud hæreticos, tum apud catholicos, cum nonnullis tamen mutationibus ad substantiam non pertinentibus, ut videre est apud P. *Le Brun*, t. V.

VI. De liturgia nestoriana. — Nestorius in concilio Ephesino, anno 431, damnatus ac depositus, definitioni concilii, acquiescere noluit; relegatus et miserrime mortuus, multos reliquit asseclas qui errores ejus per magnam Orientis partem propagaverunt, in Perside, in India, in Malabar, in vasto imperio Sinensi, ut constat ex celebri inscriptione, anno 1625, in urbe Sigamfu, provinciæ Xin-si reperta, characteribus sinensibus et syriacis constanti, etc.

Omnes semper et ubique servaverunt liturgias Nestorii et Theodori Mopsuesteni, in lingua syriaca scriptas, quia originem habuerunt in Syria et in Mesopotamia, ubi hæc lingua erat vulgaris; Missalia eorum tertiam continent liturgiam quam vocant Apostolorum. Earum ordines et differentiæ legi possunt apud P. *Le Brun*, t. IV.

Notandum, cum eruditissimo *Renaudot*, diversas linguas orientales in quibus scriptæ sunt liturgiæ recensitæ, licet olim vulgares, a multo tempore esse mortuas et tamen in officiis ecclesiasticis semper usitatas : morem igitur Ecclesiarum orientalium invocare non possunt hæretici contra praxim Ecclesiæ Romanæ.

Aliæ multæ exstiterunt liturgiæ apud Orientis christianas gentes : auctor a card. *Bona* citatus l. I, cap. 9, n. 9, ait supra quinquaginta numerari, partim communes, partim singulis gentibus proprias.

VII. De aliis liturgiis Occidentis. — Præter autem præcipuas liturgias Latinas supra expositas, aliæ non paucæ a Romana diversæ numerari possent, ut Africana; Clementina, quæ in l. VIII Constit. Apostolicarum reperitur, Hibernica, Dionysiana, Aquileiensis, Illyrica, Trevirensis, Bobiensis, etc.

Præterea varii sunt religiosi ordines proprias habentes liturgias a Sede Apostolica approbatas aut legitime introductas ante bullam S. Pii V. Eo sensu igitur ritum Romanum sequuntur, quod in forma et dispositione cum Romanis conveniant, omnes scilicet habentes confessionem, Introitum, Collectam, Epistolam, Graduale, Versum vel Tractum, Evangelium, Symbolum, Offertorium, Præfationem, eumdem Canonem, Communionem, gratiarum actionem et finem; licet alii psalmum *Judica* omittant, alii breviorem confessionis formulam habeant, alii diversis verbis panem et vinum offerant, alias epistolas, diversa Evangelia legant, non easdem festivitates celebrent, aliter procedant, incensum adoleant, etc. Hæc enim notant *Bona*, l. I, cap. 7, n. 5; *Cavalieri* apud *Merati*, t. I; ipse *Merati*, et nullo modo increpant, quamvis post Constitutionem *Quod a nobis*, S. Pii V, usum Breviarii Romani præscribentis, scripserint, quia supponunt Ecclesias et ordines, propria Breviaria ac Missalia habentes, in exceptionæ bullæ S. Pii V, versari.

In infra dicendis ordinem Missalis Romani secuturi sumus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VARIIS LITURGIÆ NOSTRÆ PARTIBUS.

Breviter unamquamque liturgiæ nostræ partem hic exponemus. — Communiter in ordine Missæ sex distinguuntur partes.

I. Ab antiphona introibo usque ad introitum. — 1° Antiphona *Introibo*. Antiphona, a verbo græco ἀντιφωνέω, olim significabat id omne quod alternatim cantabatur, et nunc significat notabiliorem partem ex psalmo cantando excerptam, ut ante psalmum cantetur vel saltem incipiatur, et post psalmum integra repetatur. Versus *Introibo*, ex psalmo *Judica* eductus, optime congruit actioni quæ incipienda est.

2° Psalmus *Judica* statim dicitur. Utrumque, scilicet antiphona *Introibo* et psalmus *Judica*, non semper fuerunt in usu, nec etiam nunc in pluribus liturgiis usitantur. Verumtamen in Missalibus Gallicanis, Germanicis, Anglicis et Romanis, saltem a nono sæculo reperiuntur, sed non in Sacramentario S. Gregorii': unde institui debuerunt inter septimum et nonum sæculum.

3° *Confessio*. In veteri Lege, summus sacerdos, hircum viventem pro peccatis oblaturus, confitebatur *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum*, Lev. xvi, 21; omnes qui sacrificia offerebant, suas iniquitates confitebantur, ut ex quatuor primis Levitici cap. colligitur, et rabbinus Maimonides formulam hujus confessionis in suo Tractatu de Sacrif. refert. Tunsio pectoris semper habita est ut signum doloris et pœnitentiæ : ideo in antiquissimis liturgiis aliqua præscribitur vel supponitur confessio ante Missæ sacrificium ; sed multum variant formulæ. Ea qua nunc utitur Ecclesia Romana papæ Damaso, anno 384 mortuo, vel etiam Pontiano, anno 235 defuncto, tribuitur; sed in Sacramentario S. Greg. non invenitur, nec in Missalibus decimo tertio sæculo antiquioribus. Nunc autem in omnibus ecclesiis Latinis est usitata cum nonnullis variantibus, v. g., in Hispania et in ordinibus religiosis nomen patroni nominibus Petri et Pauli additur. Nemo talem additionem propria auctoritate facere potest. *Gardel.*, t. VI, p. 85.

4° Orationes *Misereatur* et *Indulgentiam* in antiquis Ritualibus seu Pœnitentialibus ac Missalibus non reperiuntur, saltem in ea forma qua nunc existunt : attamen

Grancolas probat eas jam esse veteres et universales, paucis mutationibus exceptis.

5° Versus *Deus tu conversus*, etc., in plerisque Missalibus antiquis non inveniuntur, inquit *Grancolas*.

6° *Aufer a nobis*. In omnibus liturgiis aliqua præcipitur oratio sacerdoti ad aram sacram accedenti, sed vel forma non determinatur, vel multum varia est. Oratio *Aufer a nobis* in antiquis plurimis Sacramentariis reperitur, et in Ordine Romano XIV, § 71, apud *Mabillon*, Museo Italico, t. II; in quibusdam Ecclesiis dicitur ante confessionem, in aliis ad infimum gradum altaris, etc.

7° *Oramus te*. Hæc oratio reperitur in pluribus Sacramentariis veteribus, et in Ordine Romano citato; in aliis vero deest. Carthusiani et Dominicani eam non dicunt. Carmelitæ illam non dicebant ante reformationem Missalis sui, anno 1584, nec clerus Parisiensis ante adoptionem Ordinis Missæ S. Pii V, anno 1615.

II. Ab introitu ad offertorium.—1° *Introitus*, sic dictus quia, sacerdote ad altare introeunte, canitur, non semper fuit in usu : in primis temporibus Missa per lectiones Scripturæ incipiebat, sicut hodie feria VI in Parasceve. Tenetur probabilius papam Cœlestinum I, in quinto sæculo, statuisse ut unus psalmus cum sua antiphona cantaretur a choro, dum sacerdos cum suis assistentibus e sacrario ad altare procederet. S. Greg. hunc psalmum ad antiphonam cum uno versu reduxit, cui semper addita est doxologia *Gloria Patri*, excepto tempore Passionis, et Missa ejus per Introitum sic formatum incipit. Sacerdos ad altare perveniens se signabat, dicens *In nomine Patris*, etc., deinde Introitum recitabat : hinc mos se adhuc signandi sine formula *In nomine Patris*, quæ ante psalmum *Judica* dicta est. Nunc quidam Introitus, non ex Psalmis, sed ex aliis Scripturæ partibus vel ex compositione ecclesiastica formantur.

2° *Kyrie eleison*. Hæc verba græca, verbis latinis, *Domine, miserere*, correspondentia, antiquissimi sunt usus in orationibus ad Deum. Isaias, cæcus propre Jericho, mulier Chananæa et decem leprosi sic oraverunt, dicen-

tes : *Miserere mei.* Hic modus orandi in Ecclesia Græca primum usurpatus, in Ecclesiam Latinam sine conversione sermonis fuit invectus, ignoramus quo præcise tempore. Concil. Vasense II, in Gallia anno 529 habitum, loquitur de hac praxi tanquam de re usitata, et statuit eam deinceps in Gallia sicut in Italia et Græcia sequendam esse.

Apud Græcos solus populus repetit *Kyrie eleison,* sine mutatione in *Christe* ; in liturgia Ambrosiana ter dicitur *Kyrie eleison,* post *Gloria in excelsis,* ter post Evangelium et ter in fine Missæ, ante benedictionem, sine *Christe eleison.*

Primitus non erat statutum in Ecclesia Latina quoties hæc formula repeteretur : hoc pendebat a nutu celebrantis vel diaconi qui aliquo signo finem imponebat. Inter verba *Kyrie* et *eleison* pluries quædam addita sunt verba, v. g., *Kyrie, rex genitor ingenite, vera essentia, eleison ; Kyrie fons et rerum conditor, eleison ; Kyrie, qui nos imaginis tuæ signasti specie, eleison,* etc. Illæ additiones sæpe longiores, ut in Missali sub Paulo III impresso videri potest, deletæ sunt, et cantus fuit retentus ; unde contigit, ait *Grancolas*, cantum *Kyrie eleison*, nunc adhuc esse longum in Missa solemni.

Mos invaluit, sive a S. Gregorio, ut quidam volunt, sive ab alio, ut novies diceretur *Kyrie* vel *Christe eleison,* ter pro unaquaque persona sanctissimæ Trinitatis.

3° *Gloria in excelsis.* Hic hymnus vocatur Angelicus, quia incipit per verba quibus Angeli nativitatem Christi celebrarunt, dicentes : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. II, 14. Est antiquissimus : in Constitutionibus Apostolicis, l. VII, cap. 47, refertur sub nomine *Orationis matutinæ.* S. Athanasius volebat christianas virgines eum singulis diebus mane recitare. Latini illum antiquo more dicebant in officio matutino, saltem diebus dominicis, et Græci illum adhuc recitant, non solum in Missa, sed in Laudibus, et vocant magnam doxologiam : *Gloria Patri* est minor doxologia. Plurimi hunc hymnum tribuerunt S. Hilario Pictaviensi, in quarto sæculo ; alii Papæ Telesphoro, in secundo sæculo ; alii Symmacho, in quinto sæculo. Sed

antiquior videtur ipso S. Hilario. Concil. Tolet. IV, anno 633, dicit reliqua quæ sequuntur, post verba evangelica, a doctoribus ecclesiasticis composita fuisse. Nihil ultra certo scire possumus.

S. Gregorius, in suo Sacramentario, præscribit ut ille hymnus, singulis diebus dominicis et festivis, ab episcopis post *Kyrie eleison* dicatur, et a presbyteris in sola Pascha : hæc consuetudo viguit usque ad undecimum sæculum, quo permissum est ut a presbyteris sicut ab episcopis, cunctis diebus dominicis et festivis diceretur. Sub S. Pio V statutum fuit ut, quotiescumque in officio nocturno dictus fuisset hymnus lætitiæ, *Te Deum*, diceretur in Myssa hymnus exsultationis, *Gloria in excelsis*. Dicitur insuper feria quinta in Cœna Domini et Sabbato Sancto, in Missa de Die : non vero per Adventum et a Septuagesima usque ad Pascha, nisi ocurrant festa, nec in feriis majoribus aut per annum nisi in tempore paschali.

In nonnullis Missalibus decimi quarti et decimi quinti sæculi quædam insertæ sunt additiones inter verba prædicti hymni, sicut inter verba *Kyrie, eleison*, v. g., *Laudamus te; laus tua, Deus, resonet coram te, rex; Benedicimus te, qui venisti propter nos, rex Angelorum*, etc. Nicolaus V has prohibuit additiones.

4° *Dominus vobiscum*. Hæc salutationis forma legitur in II Paralip. xv, 2; populus respondet, *et cum spiritu tuo*, utendo verbis Apostoli, Gal. vi, 18 : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro*. Celebrans osculatur altare in medio, ut salutationem Christi accipiat, et versus ad populum, eum, quasi personam Christi gerens, salutat, omnem gratiam et benedictionem precans. Usque ad tempus Durandi, in decimo tertio sæculo existentis, omnis populus salutationi respondebat, gratiam et ipse celebranti adprecans : nunc autem solus minister in Missa privata, et soli cantores in Missa solemni, respondent pro se et pro astantibus. Græci dicunt *Pax omnibus*, alludendo verbis hymni Angelici, *Pax hominibus bonæ voluntatis* : apud Latinos, episcopi qui diu soli dicebant *Gloria in excelsis*, excepto die Paschatis, et quia perso-

nam Christi plenius repræsentant, verbis quibus ipse discipulos pluries salutavit utentes, dicunt *Pax vobis* quando dixerunt *Gloria in excelsis*; in aliis vero Missis dicunt *Dominus vobiscum*, sicut simplices presbyteri : ita et in cæteris Missæ partibus in quibus salutandus est populus : septies enim hæc salutatio repetitur in Missa, videlicet post Introitum, ante Evangelium, ante Offertorium, in Præfatione, ante *Agnus Dei*, ubi dicitur, loco *Dominus vobiscum, Pax Domini sit semper vobiscum*, ante Postcommunionem et in fine Missæ.

Olim *Kyrie, eleison, Gloria in excelsis*, et *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis* dicebantur ad cornu epistolæ, quia non erat crux in medio altaris, et sic usque nunc plures religiosi ordines perrexerunt agere, ut, v. g., Carthusiani, Dominicani, Carmelitæ.

Asserit *Grancolas*, t. I, p. 475, obligationem audiendi Missam, a salutatione celebrantis incipere, et præcedentia non esse de præcepto; sed nullam dat rationem suæ assertionis.

5° *Collectæ*. Post salutationem, celebrans se et assistentes ad orandum excitat, dicens *Oremus;* apud Græcos diaconus dicit : *Oremus Dominum ;* deinde celebrans dicit Collectam, sic probabilius appellatam quia prima est oratio quæ super populum collectum pronuntiatur. Usus sic orandi a traditione Apostolica descendit ; devotissimæ enim Collectæ apud antiquissimos inveniuntur auctores, v. g., apud S. Clementem, in Epist. ad Cor., S. Polycarpum, S. Irenæum, Origenem, etc. Primitus celebrans orationes pro sua devotione vel necessitate componebat, sed concil. Milevitanum, in Africa, anni 416, decrevit ut deinceps nulla adhiberetur oratio in Missa, nisi prius in concilio episcoporum fuisset probata.

Pleræque orationes quibus nunc utimur in officiis et Missis de tempore, in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii reperiuntur. Orationes autem quæ in officiis et Missis novis mysteriorum, sanctorum, etc., adhibentur, a diversis auctoribus compositæ fuerunt, et ab Ecclesia approbatæ, dum in calendario fuerunt adscriptæ.

In Missali Gelasii tres prescriptæ erant Collectæ : S. Greg. eas reduxit ad unam. Numerus postea multum variavit, et nunc diversus est pro diversa Missarum qualitate, ut mox dicturi sumus.

Olim, statim atque celebrans dixerat *Oremus*, omnes genu flectebant ad vocem diaconi dicentis *Flectamus genua*, aliquo tempore secreto orabant; postea surgebant dicente diacono *Levate*. Hodie hæc formula in solis diebus jejunii servatur : diaconus dicit *Flectamus genua;* subdiaconus, nulla interposita mora, subjungit *Levate;* qui stant genua flectere, et qui sunt genuflexi inclinari debent usque ad *per omnia* vel *qui tecum* juxta *Merati*, t. I. Communius tamen, ut notat *Romsée*, omnes statim surgunt. Deficiente diacono, ipse celebrans dicit *Flectamus genua*, et minister vel cantores, nomine totius populi, respondent *Levate*.

Olim celebrans objectum orationis populo annuntiabat, dicens : *Oremus, fratres charissimi*, v. g., *pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus*, etc.; postea, dictis *Oremus, Flectamus genua* et *Levate*, subjungebat orationem. Mos iste feria sexta Majoris Hebdomadæ servatur.

6° *Epistola*. Apud Judæos officium publicum in Sabbato incipiebat per lectionem librorum Moysis vel Prophetarum, ut patet ex Act. Apost. XIII, 15, et XX, 21. Primi Christiani hanc consuetudinem in cœtibus suis servaverunt; hunc ritum in ipsomet Ecclesiæ exordio adhiberi consuevisse testatur S. Justinus, Apol. I. Hæc instructio, diebus dominicis et festivis, ex scriptis Apostolorum regulariter deducitur ; et in feriis ordinarie ex Veteri Testamento.

Pars autem ista officii dicitur Epistola vel, apud quosdam auctores, Apostolus, quia ex Epistolis Apostolorum communiter deducitur. Intitulatur Lectio, quia olim non cantu, sed alta voce legebatur ab uno e lectoribus, in Ecclesiæ loco qui dictus est lectorium, vel lectrium, unde Gallice *lutrin*. Liber diversas lectiones per annum legendas continens, dictus est Lectionarius (liber), vel Lectionarium.

Apud Græcos diaconus legit vel cantat Epistolam; apud Latinos nunc subdiaconus eam in Missa solemni cantat, et in ordinatione sua a decimo tertio sæculo, specialem ad hoc suscipit potestatem per libri Epistolarum traditionem. Ubi celebrans cantat Missam sine diacono et subdiacono, Rubrica Romana, tit. 6, n. 8, permittit ut lector, superpelliceo indutus, Epistolam in loco consueto cantet. Si desint subdiaconus et lector, celebrans ipse Epistolam cantat : eam vero ab alio cantatam (et generaliter quod cantatur) tam submisse dicere debet ut chorus vocem ejus non audiat; P. *Le Brun*, t. I.

7° *Graduale*. Ut instructioni jungatur oratio, post Epistolam cantatur psalmus vel quidam versus unius psalmi, et hæc portio officii dicta est Graduale, quia ad gradus pulpiti seu ambonis cantabatur.

8° *Alleluia*, vox hebræa significans jubilationes in laudando Deo, quæ in alienam linguam accurate converti posse non visa est, et ideo in propria lingua servata est, Graduali bis subjungitur, et, dicto versu, in fine ante Evangelium repetitur, exceptis tempore a Septuagesima ad Pascha et Missis defunctorum. « Alleluia nobis cantare » certo tempore solemniter moris est, secundum Ecclesiæ » antiquam traditionem, » inquit S. Aug. in Ps. CVI (t. IV, col. 1204).

9° *Neuma*. Durandus aliique liturgiæ interpretes dicunt neuma, quæ est continuatio cantus sine articulatione, post *Alleluia* et antiphonas, significare tantam esse mentis jubilationem ut exprimi nequeat.

10° *Sequentia* seu *Prosa*. Neuma a quibusdam dicta est Sequentia, quia cantum *Alleluia* sequebatur. *Sequitur jubilatio, quam Sequentiam vocant*, inquit Ordo Romanus (*Biblioth. Patrum*, t. XIII, p. 658) (1).

(1) Plures sunt Ordines Romani de divinis officiis celebrandis. Qui hic citatur, in octavo sæculo scriptus fuisse reputatur. Apud doctissimum *Mabillon* (*Museo italico*) sexdecim recensentur Ordines Romani, libelli vel libellorum fragmenta. Nonnulli hujusmodi libelli exhibentur ab ipso ut ascendentes usque ad S. Gregorii et forsan S. Gelasii tempora (*Comment. in Ord. Rom.*, p. VIII).

Nonnulli supprimentes Neumam, substituerunt ei aliquos hymnos liberioris compositionis, similem ultimorum verborum habentes sonantiam : hujusmodi hymni dicti sunt Sequentiæ, quia sequebantur *Alleluia* et locum tenebant Neumæ : appellantur etiam Prosæ, quia non constant versibus proprie dictis.

Arbitratur *Grancolas*, t. I, p. 511, eas adhiberi incœpisse in nono sæculo, pro magnis solemnitatibus primum exstitisse ; deinde ita multiplicatas fuisse ut unaquæque Missa propriam haberet Prosam, excepto tempore a Septuagesima ad Pascha. Multæ erant inconcinnæ et injucundæ ; Carthusiani et Cisterciences eas e liturgiis suis expunxerunt et Missale Romanum quinque tantum servavit : *Victimæ paschali*, quæ tribuitur Notkero abbati, in nono sæculo ; *Veni, sancte Spiritus*, quæ attributa est regi Roberto, vel probabilius Hermanno Contracto, in undecimo sæculo ; *Lauda, Sion*, quæ est S. Thomæ Aquinatis ; *Dies iræ*, quæ a card. Frangipani, cognomento Malabranca, in decimo tertio sæculo, fuit composita. Hæc ultima, contra Prosarum institutionem, est tristis, et *Alleluia* non sequitur. Ejusdem generis est *Stabat mater*, a pluribus attributa Innocentio III, et a P. Wadding restituta Jacoponi, qui ex mundano factus est simplex frater Minor S. Francisci, in decimo tertio sæculo. Hæc recenter in Missale Romanum pro festo Septem Dolorum B. Mariæ Virginis fuit introducta.

11° *Tractus.* Quando non dicitur *Alleluia* post Graduale, cantatur Tractus, sic dictus a verbo trahere, quia tractim, id est, sine interruptione, vel lente et lugubriter, non ab omni choro, sed a solis cantoribus cantatur. Ex nonnullis alicujus psalmi versibus componitur, et aliquando ex psalmo integro, ut prima Dominica Quadragesimæ.

12° *Munda cor meum.* Dum oblationes fidelium, ante Offertorium, super altare ad cornu Epistolæ deferebantur, liber ad aliud cornu erat deferendus : hinc mos illum sic adhuc transferendi ante Evangelium. Interea sacerdos dicit : *Munda cor meum*, etc., ad petendam gratiam verba

Christi recte et sancte annuntiandi. Deinde petit benedictionem dicens : *Jube, Domine, benedicere;* dicit *Domine*, quia supremum Dominum cœli et terræ alloquitur; et non *Domne*, qui est titulus homini in dignitate constituto attributus : unde diaconus, benedictionem petens, sive a simplici sacerdote, sive ab episcopo, dicere non debet *Domine*, sed *Domne*, et ita quotiescumque benedictio ab homine petitur. Ipse summus Pontifex in Litaniis vocatur domnus apostolicus, *ut domnum apostolicum*, etc.

13° *Evangelium*. Omnes liturgiæ cognitæ præscribunt Evangelium in qualibet Missa.

S. Cyprianus, Tertullianus, S. Justinus aliique antiqui auctores sic testantur morem suo tempore exstitisse legendi Evangelium in Missa; et Eusebius, l. II, cap. 14, dicit a B. Petro institutum esse ut Evangelium S. Marci in ecclesiis legeretur.

Volunt item liturgistæ Evangelium non legi aut cantari sine pluribus cæremoniis venerationem spirantibus, maxime in solemni Missa, ut sunt, *Munda cor meum*, benedictio, thurificatio, etc. Sacerdos sic paratus, ad librum semiversus tantum, ut populum alloqui censeatur, salutat assistentes dicendo : *Dominus vobiscum*, librum frontem suam, os et pectus signat, annuntiat Evangelium, nominans Evangelistam, et respondetur : *Gloria tibi, Domine;* quæ responsio jam usitata erat in octavo sæculo, ut ostendit *Romsée*.

Græci cum majori adhuc solemnitate ad cantandum Evangelium procedunt.

Finito Evangelio, olim respondebatur *Amen*, vel *Deo gratias* aut *Laus tibi, Christe;* hæc ultima formula sola prævaluit. Statim celebrans, in signum devotionis erga verbum sanctum, prima verba Evangelii deosculatur, dicens : *Per evangelica dicta*, etc.

In Ordine Romano præscribitur crucis signum quo sacerdos et populus se olim muniebant post Evangelium, quia tunc finita erat Missa catechumenorum.

14° *Prædicatio*. Omni tempore mos fuit in Ecclesia ut

pastores vel ab eis deputati sermonem ad populum haberent, post lectionem Scripturæ, id est, finito Evangelio : existentiam veteris hujus consuetudinis astruunt testimonia S. Justini, Apol. 1, n. 67 ; Tertul., l. de Anima, cap. 9 ; S. Aug., serm. 176, etc.

Hæc prædicatio, dicta vulgo *prône*, a verbo græco πρόναον significante primam navem ecclesiæ, quia in ea parte stabat populus sermonem auditurus, erat modo familiaris, et dicebatur Homilia, modo solemnior, et nomen retinebat Sermonis. In plures tamen non dividebatur partes, ut in posteribus sæculis factum est, nec dicebatur, *Ave, Maria :* hæc invocatio post exordium inserta est a decimo tertio vel a decimo quarto sæculo tantum. *Gerson* eam continuo adhibuit in sermonibus quos, durante concilio Constantiensi, ad populum et clerum habuit.

Post prædicationem annuntiabantur præscriptiones Ecclesiæ, festa, jejunia, matrimonia, ordinationes, excommunicationes, ii omnes pro quibus Missæ sacrificium offerendum erat indicabantur, et quædam fiebant preces, sicut hodie in Gallia : hæc tamen apud nos fieri solent ante instructionem.

15° *Symbolum.* In primis Ecclesiæ temporibus, Symbolum non dicebatur in Missa : deinde semel in anno, feria sexta in Parasceve, recitabatur ad instructionem catechumenorum. Fertur Timotheum, episcopum Constantinopolitanum, jussisse, anno 510, ut in omnibus ecclesiis sibi subjectis, ad veram profitendam fidem contra hæreticos, in singulis collectis recitaretur. Inde mos illud sic dicendi transiit in Hispaniam et in Gallias. Concil. Tolet. III, anno 589, statuit ut per omnes ecclesias Hispaniæ et Galliæ, ante Orationem Dominicam, secundum formam orientalium Ecclesiarum, recitaretur. Circa finem octavi et initium noni sæculi, cœpit cantari in Gallia et in Germania cum additione *Filioque*. Ordo Romanus II, n. 11 (*Museo Italico*, t. II, p. 46), quem fertur octavo sæculo scriptum fuisse, dicit Symbolum, dicto Evangelio, ab episcopo inchoandum esse. Si ergo S. Henricus imperator conquestus fuerit, anno 1014, illud

Romæ non cantari sicut in aliis ecclesiis, et si ad preces ejus Benedictus VIII illud cantandum jusserit, intelligendum est, aut antea fuisse tantum recitatum, aut morem illud cantandi desiisse.

Saltem ab eo tempore semper dicitur singulis diebus dominicis, in festis mysteriorum Christi, B. Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum, sanctorum doctorum, et in quibusdam aliis solemnioribus festis.

Ab omnibus cantari debet tanquam publica omnium professio, non agentibus organis, nec interposita musica, nisi simplici, ut verba ab omnibus audiri possint. Vide P. *Le Brun*, t. I.

III. Ab offertorio ad præfationem. — 1° *Offertorium.* Catechumeni præcedentibus orationibus et instructionibus assistebant : iis absolutis, dimittebantur, et tunc incipiebat Missa fidelium. Sacerdos, versus ad populum, eum salutabat per *Dominus vobiscum*, et responso ejus accepto, dicebat *Oremus*, nihil addens ; omnes sub silentio orabant, dum fidelium oblationes acceptæ in altare ponebantur. Tempore S. Aug. mos Carthaginem introductus, inde per totam Ecclesiam Latinam diffusus est, ut hymni dicerentur de Psalmorum libro. S. Aug. Retract. l. II, cap. 11 (t. I, col. 45). In Antiphonario S. Greg. notantur versus cantandi, quorum primus erat antiphona quæ inter versus repetebatur donec absolveretur oblatio : suppressa oblatione, omissi sunt versus et sola retenta est antiphona, nunc vocata Offertorium.

Vestigium antiqui moris oblationes ad Offertorium præsentandi remansit in ordinationibus, in episcoporum consecratione, in abbatis et abbatissæ benedictione, et in quibusdam locis, ad Missam pro defunctis. Dabatur osculum pacis iis qui oblationem suam præstabant : inde usus præstandi annulum deosculandum in ordinationibus. Quidam sacerdotes præsentabant populo aliquid offerenti patenam osculandam ; S. Pius V id prohibuit. Apud quosdam est in usu deosculari rem offerendam et manum celebrantis, quod Gavanto et *Merati* non videtur inconveniens, modo id non fiat in Missis defunctorum,

et mulieres ab osculo manus celebrantis abstineant.

Eulogiæ, vulgo *pain bénit*, sunt etiam quoddam antiquarum oblationum vestigium : vetustissimi sunt usus, tum in orientali, tum in occidentali Ecclesia ; olim distribuebantur in fine Missæ, vice communionis sacramentalis, in signum unionis inter fideles. Nunc intra Missam distribui solent, et communius in principio Missæ offeruntur ac benedicuntur. Patena offerenti deosculanda præsentari non debet, sed crux aliave imago sacra exceptis Missis defunctorum.

2° Orationes *Suscipe... Offerimus... In spiritu humilitatis...* et *Veni sanctificator...* quasi de verbo ad verbum in Missali Mozarabico inveniuntur : unde circa finem undecimi sæculi in Missam Romanam transierunt. In duodecimo sæculo altera oratio, nempe *Suscipe, sancta Trinitas*, quæ Mediolani et in pluribus Galliarum ecclesiis antiquitus usitata erat, Missam Romanam similiter ingressa est. Antea nulla fiebat oratio super oblata usque ad Secretam.

3° *Deus qui humanæ*. Hæc oratio in Sacramentario S. Greg. pro die Natalis Domini invenitur, exceptis his verbis, *per hujus aquæ et vini mysterium*, et in Missa ab Illirico data ; sed in Ordine Romano ante sæculum decimum quartum non reperitur. Dicenda est benedicendo aquam vino immiscendam.

4° *Lavabo*, etc. Antiquissimi est usus lavare manus sub Missa ; sed mos eas, oblatione facta, lavandi, dicendo : *Lavabo manus meas*, etc., non fuit generaliter receptus in Ecclesia Latina ante decimum quintum sæculum. Ita *Romsée*, t. IV. In Missa S. Chrysost. apud *Goar*, lotio et *lavabo* in extenso sicut apud nos præscribuntur in initio Missæ ; in Ordine Romano VI, n. 9 (*Mus. ital.* t. II, p. 74), statuitur ut episcopus sedeat, duo acolythi genuflectentes sinum ejus manutergio cooperiant, et tertius, aquam administraturus, in medio eorum genuflectat. Hinc actum est ut qui dat aquam episcopo ad lavandum adhuc genuflectat. A nono sæculo manuum lotio, quæ primum fuerat instituta in signum internæ puritatis, fieri

incepit in Galliarum et Germaniæ ecclesiis etiam propter corporis munditiem et ideo post oblationem et incensationem; inde postea usus ille in Missali Rom. introductus est. P. *Le Brun*, t. I.

5° *Orate, fratres.* Post lotionem, dicta oratione *Suscipe, sancta Trinitas*, de qua supra, celebrans versus ad populum hortatur eum ad orandum, dicens media voce : *Orate, fratres*, etc. Olim dicebatur tantum *Orate*, ut in Ordine Romano II, n. 9, habetur, et assistentes nihil respondentes secreto orabant. In Ordine Romano VI, n. 10, legitur : *Orate, pro me*, et in Missa Illyrici, quæ est saltem decimi sæculi, legitur : *Orate pro me peccatore, fratres et sorores, ut meum et vestrum*, etc. *Martène*, t. I. Legitur etiam responsio : *Suscipiat*, etc. Attamen hujus petitionis et responsionis usus non fuit communis, donec in Missali Romano adoptatus fuerit, anno 1551. Carthusiani et Cistercienses eum adhuc non sequuntur.

6° *Secreta.* Quidam volunt hanc orationem dici Secretam a verbo *secerno*, quia super oblationes consecrandas et non super alias pronuntiatur; sed multo communius et probabilius docetur eam sic vocari, quia secreto dicenda est; tum quia cantus Offertorii usque ad Præfationem sæpe protrahitur; tum ut celebrans magis sit recollectus : non præmittitur *Oremus*, quia ante Offertorium dictus est, et aliunde populus ad orandum sufficienter invitatur per *Orate, fratres.* Hæc oratio ejusdem est antiquitatis ac Collecta, et in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii exprimitur tanquam super oblationes dicenda. Si plures sint, sacerdos primam concludendo, sibimetipsi respondet *Amen.* In ultima autem conclusione, quasi divino amore flagrans, in altam vocem erumpit, dicens vel cantans : *Per omnia sæcula sæculorum :* et omnis populus accinit dicens *Amen.* Verba ista, propter cantum, Præfationi junguntur et reipsa tamen ad Secretam pertinent.

IV. A PRÆFATIONE AD ORATIONEM DOMINICAM. — 1° *Præfatio.* Præfatio idem significat ac prælocutio, et adhibetur ut celebrantis et assistentium mentes ad choros Angelorum erigantur, et ad tremenda quæ perficienda sunt

mysteria præparentur. Antiquissimæ est institutionis, siquidem inveniuntur præfationes fere singulis Missis proprie in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii; antiquiores auctores eas commemorant ut consuetas, v. g., auctor Constit. Apostol., l. VIII, cap. 16, S. Cypr., l. de Orat. Domin. « Sacerdos ante orationem, Præfatione præ- » missa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*; » ut dum respondet plebs : *Habemus ad Dominum*, ad- » moneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare de- » bere. » Reperiuntur in omnibus liturgiis tum orientalibus, tum occidentalibus : ab ipsis ergo Apostolis vel ab Apostolicis viris fuerunt institutæ.

In decimo vel undecimo sæculo numerus Præfationum ad novem fuit reductus, nempe pro Pascha, Ascensione, Pentecoste, Natali Domini et Epiphania, pro festis Apostolorum, pro sanctissima Trinitate, pro Quadragesima et Passione. Concilium Londinense, anno 1175 celebratum, cæteras prohibuit, et has novem dicendas statuit; eis addita est communis quæ est antiquior, et postea Præfatio B. Virginis Mariæ, quæ Urbano II, in fine undecimi sæculi, tribuitur : tales sunt Præfationes quæ in Missali Romano reperiuntur, cui, propter S. Pii V prohibitionem, novæ addi nequeunt absque summi Pontificis speciali concessione.

2° *Sanctus*, etc., est hymnus adorationis, ex Isai. VI, 3, et Apoc. IV, 8, eductus, qui est publica fidei in sanctissimam Trinitatem professio : vocatur *trisagium*, a verbo græco Τρισάγιος, *ter sanctus* quod est nomen Deo proprium. In cunctis et antiquissimis liturgiis Latinis, Græcis, Syriacis, etc., invenitur. Olim ab omnibus inclinatis, alta voce dicebatur vel cantabatur : ideo sacerdos, eum dicendo, nunc profunde se in signum adorationis inclinat. Subsequitur versus jubilationis, *Benedictus*, quem dicens sacerdos se erigit et signat. Missale Fratrum Prædicatorum præscribit ut omnes qui sunt in choro pariter se signent ad *Benedictus*.

Hosanna est vox hebræa acclamationis, significans : Salva, quæso, vel simpliciter salus; sensus igitur est :

Salus illi qui habitat in excelsis. Vox illa in propria lingua servata est sicut *amen* et *alleluia,* quia perfecte converti non potest.

Dum cantatur vel dicitur *Sanctus,* pulsatur campanula, ut moneantur fideles majorem adhibendam esse attentionem. Ita communiter recentiores liturgistæ.

3° *Canon Missæ.* Vox græca Κανὼν proprie significat arundinem rectam qua, velut regula, sæpe utuntur artifices ad aliquid metiendum : per metaphoram adhibita est in conciliis, ad exprimendum fidei articulum ita statutum ut sit immutabilis, et in liturgia ad designandam eam Missæ partem quæ consecrationem sub utraque specie continet, et variari non debet. Incipit a *Te igitur*, et terminatur immediate ante Orationem Dominicam. Vocatus est Canon, Preces, Oratio, Textus canonicæ precis, et a multis dictus est Actio ; qua voce utitur Missale Romanum indicando *Communicantes* ; dicit quippe, *infra Actionem.*

Canon Missæ prout eum habemus, in Sacramentario S. Gregorii reperitur : excepto quod in oratione *Communicantes* plura sint nomina sanctorum : ab eo tempore igitur fuit invariabilis. A quo fuerit compositus, non convenit inter doctores : S. Isidorus eum tribuit B. Petro ; S. Greg. dicit dicit factum fuisse a Scholastico, quem aliter non nominat. Sed concil. Trid., sess. 22, cap. 4, de illo hæc habet : « Is enim constat cum ex ipsis Domini ver» bis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum » quoque pontificum piis institutionibus. » Diversos ergo habuit auctores, et in diversis temporibus fuit conditus.

Idem non erat Canon in veteribus Ecclesiæ Gallicanæ liturgiis, nec unicus, sed proprius et brevissimus ad singulas Missas, ut refert *Martène,* t. I.

4° *Te igitur.* In ea oratione, quæ fit cum signis crucis super oblata, oratur specialiter et nominatim : — a) pro Papa sedem Petri tunc occupante, qui nominatur : hæc consuetudo est antiquissima, et diu in Ecclesia Græca sicut in Latina exstitit. Notatur in Historia ecclesiastica ut factum gravissimi momenti, quod Dioscorus, Alexan-

drinus patriarcha, nomen S. Leonis papæ e sacris diptychis tollere ausus fuerit, anno 449. Alia facta similiter demonstrant in orientalibus. Ecclesiis usum primitus exstitisse Papam in Missa nominandi. Apud Latinos, concil. Vasionense, in Gallia, anno 529, jussit *ut nomen Papæ, quicumque Apostolicæ sedi præfuerit, in ecclesiis nostris recitetur* (cap. 4). — b) Pro episcopo diœcesis in qua celebratur : hoc in omnibus Sacramentariis et liturgiis reperitur. —c) Græci semper hic nominaverunt imperatorem ; pleræque Latinæ ecclesiæ, ex apostolica traditione, nominant regem cui subjiciuntur ; volebat enim B. Paulus, I Tim. II, ut fierent orationes *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*. Verba *pro rege nostro N.* reperiuntur in Sacramentario S. Greg. ; suppressa sunt in Missali Romano, edito Romæ sub Pio V, anno 1570, et sub Clemente XIII, anno 1604, forte quia Ecclesiæ Status ecclesiastico regi a Papa non diverso subjiciuntur : reperiuntur vero in eodem Missali ad usum ecclesiarum Galliæ et Hispaniæ impresso. *Romsée* testatur, t. IV, nomen regis exprimi in Hispaniis ex concessione S. Pii V, et in Galliis nomen imperatoris, ex concessione diei 3 dec. 1857. Extra hos casus, nomen alterius personæ, cujuscumque gradus aut dignitatis, hic absque indulto pontificio exprimere non licet.

5° *Memento* (pro vivis). In ea oratione, post verba *famulorum famularumque tuarum*, nomina eorum pro quibus specialiter orandum erat, alta voce legebantur a sacerdote in Missa privata, et a diacono vel subdiacono in Missa solemni juxta P. *Martène*, t. I. Hic usus adhuc vigebat in undecimo sæculo, ut colligi potest ex Micrologo, cap. 15 (*Biblioth. Patrum*, t. XVIII, p. 473) (1).

Sed paulo post totaliter fuit exstinctus, propter abusus : plures enim dona offerebant ex vanitate, ut nomina eorum publice legerentur ; et qui non nominabantur, id ægre ferebant. Ideo præscripsit Ecclesia ut commendatio

(1) Micrologus est libellus cui titulus : *De ecclesiasticis Observationibus*, in 62 capita divisus. Illius auctor, qui est incertus, tempore S. Gregorii VII scribebat, ut ipse testatur cap. 14.

fieret secreto ; ne necesse quidem est ut nomina voce articulata exprimantur, et vocibus *qui tibi offerunt*, quæ solæ dicebantur, additæ sunt voces, *pro quibus tibi offerimus vel*, etc. Particula *vel* est conjunctiva pro *et*, non vero disjunctiva.

6° *Diptyca*. Hoc verbum a vocibus græcis δις, *bis*, et πτυχή, *plica*, veniens, significabat tabellam bis plicatam, ita ut tres columnas exhiberet lectori. In prima, scripta erant nomina episcoporum qui eam ecclesiam rexerant et sanctis moribus claruerant; in secunda, nomina personarum adhuc viventium, dignitate vel beneficiis ecclesiæ collatis conspicuarum, nempe Romani pontificis, proprii antistitis, principis, magistratuum, eorum qui oblationibus ad sacrificium concurrebant, et quandoque conciliorum generalium ; in tertia, nomina eorum qui in fide catholica decesserant. Prima columna dicebatur diptychum sanctorum; secunda, diptychum viventium, et tertia diptychum mortuorum. Omnia hæc nomina publice legebantur, et idciro oratio *Memento* vocabatur oratio super diptycha.

Qui in diptycho sanctorum intra Missæ Canonem legendo inscripti erant, dicebantur canonizati ; hinc nomen Canonizationis adhuc existens pro alicujus in fastis sanctorum inscriptione.

Quædam veterum diptychorum vestigia in Canone nostro remanent, nt notat *Romsée*, t. IV ; in *Memento* quippe vivorum litteræ N. et N. locum tenent nominum quæ olim alta voce legebantur, et quæ nunc vel secreto vel sola mente referuntur. In orationibus *Communicantes* et *Nobis quoque peccatoribus*, est imago diptychi sanctorum, et *Memento* defunctorum supplet tabellam in qua scripta erant nomina mortuorum. Litteræ N. et N. nunc inutiles, cum negligantur, et oratio pro mortuis quæ fit tantum post verba *in sommo pacis*, sunt testimonium antiquitatis.

7° *Communicantes*. Hæc oratio inscribitur *infra actionem* quia intra canonem, qui est actio Sacrificii, dicitur : vox *Communicantes* exprimit communionem, seu unio-

nem communem cum sanctis in cœlo regnantibus, quorum memoria veneratur, et simul cum fidelibus in terra viventibus. Nominantur B. Virgo Maria, duodecim Apostoli et duodecim Martyres, nulli vero confessores : unde concluditur hanc Canonis partem, quæ integra est apud S. Greg,, scriptam fuisse antequam alii sancti Albo sanctorum solemniter adscriberentur.

In Ecclesia tum Græca tum Latina, mos olim fuit ut sanctus cujus agebatur festum hic nominaretur : hæc institutio tribuitur Gregorio III. In nonnullis veteribus Sacramentariis, post nomina SS. Cosmæ et Damiani, inveniuntur nomina quorumdam aliorum sanctorum v. g., SS. Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Benedicti, Isidori.

In Missali Romano speciales sunt *Communicantes* pro feria quinta in Cœna Domini, et pro quinque solemnioribus festis, nempe Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, Ascensione et Pentecoste.

8° *Hanc igitur*. Ante decimum quintum sæculum celebrans, hanc dicendo orationem, manus extensas habere pergebat : nunc vero, a trecentis circiter annis, eas super oblata tenet expansas, sicut veteris Legis sacerdotes illas super victimam ponebant, ad proprias vel alienas iniquitates in eam transferendas. Hæc oratio est in Sacramentario S. Greg. et in aliis veteribus.

9° *Quam oblationem*. Hæc oratio reperitur in Sacramentariis S. Greg., S. Gelasii et in aliis, cum paucis varietatibus circa cruces. De illa nihil ultra dicemus, neque de verbis consecrationis, quia in secunda parte hujus Tractatus, ubi de forma Eucharistiæ, de illis sufficienter egimus.

10°. *Elevatio hostiæ et calicis*. In omnibus liturgiis mos semper fuit corpus et sanguinem Domini post consecrationem adorare, sed idem non semper fuit modus. Usque ad sæculum undecimum omnes ab initio Canonis inclinabant se, supremam adorantes majestatem ; sic perseverabant usque post Orationem Dominicam : tunc aliquantula fiebat elevatio hostiæ cum calice, sicut hodie,

dicendo : *Omnis honor et gloria*, vel *Per omnia sæcula sæculorum*, ut habetur in Micrologo, cap. 17.

In undecimo sæculo, quando insurrexerunt Berengarii, incœpit consuetudo, quæ postea recepta est in Gallia, in Germania et Romæ, hostiam et calicem, post consecrationem, separatim elevandi, et tintinnabulum ter pulsandi, ut omnes, vel genuflexi, vel facie in terram prostrati usque ad *Pater*, sacras species adorarent. Nihilominus calix et hostia, ante *Pater*, ad verba *Omnis honor et gloria*, paulatim elevantur, et tintinnabulum denuo agitatur, ut iterum adorentur : est parva elevatio.

Apud Græcos immediate ante communionem elevatur hostia ut adoretur : diaconus clamat : *Attendamus*, et celebrans respondet *Sancta sanctis*. Sic populus ut ad sacram synaxim cum debita reverentia accedat monetur.

11° *Unde et memores*. Carthusiani, Carmelitæ et Dominicani hanc orationem dicunt manibus seu brachiis in forma crucis extensis, ut memoriam passionis Christi verius exprimant; id olim in pluribus Galliæ ecclesiis similiter fiebat. Ille ritus Romæ non fuit acceptus.

12° *Supra quæ propitio*. Hæc oratio est antiquissima, cum non tantum, sicut præcedens et sequens, in Sacramentario S. Gregorii inveniatur, sed in liturgiis SS. Petri et Basilii, quoad substantiam ; attamen ultima verba, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostium*, tribuuntur S. Leoni, in quinto sæculo sedem Apostolicam tenenti.

13° *Supplices*. In Ordine Romano XIV (*Museo italico*, t. II, p. 305), præscribitur ut celebrans hanc dicendo orationem se inclinet et habeat brachia in modum crucis posita, *ita quod dextrum brachium sit supra sinistrum*, ut in multis Missalibus antiquis legitur : quidam regulares, nempe Carmelitæ et Prædicatores seu Dominicani, sic agunt. Verum, his exceptis, omnes manibus junctis et in altare positis, profunde se inclinant, dicentes : *Supplices te rogamus*, etc.

14° *Memento pro defunctis*. In ea oratione, ut jam monuimus, loco litterarum N. et N. nominabantur mortui

pro quibus specialiter orandum erat. Antiquissima est praxis Ecclesiæ sacrificium Missæ pro animabus defunctorum offerendi et eas commendandi, ut constat exemplis a nobis superius allatis. Nunc mortui pro quibus missæ sacrificium offertur nominari non solent, et litteræ N. et N. in nonnullis Missalibus supprimuntur.

Apud quosdam Orientales, nempe Syros, Maronitas, Æthiopes et Alexandrinos, B. Virgo Maria nominatur in *Memento* defunctorum, ex errore; quia hi populi, licet Virginem Mariam sanctam putent eamque invocent, persuasum habent eam cum animabus sanctorum in paradiso terrestri usque ad diem resurrectionis detineri: orant igitur pro futura ejus glorificatione. Sic pariter SS. Hilarius, Martinus et Athanasius in Missali Mozarabico commendantur, non ut a pœnis purgatorii liberentur, sed ut quoddam gloriæ accidentalis augmentum obtineant, vel ad gratias Deo pro beneficiis eis collatis agendas; card. *Bona*, l. II, cap. 14, n. 4.

15° *Nobis quoque peccatoribus.* Post defunctorum commendationem conveniens est ut celebrans pro se et pro aliis viventibus deprecetur; se aliosque peccatores esse confitetur, pectus in signum doloris sicut Publicanus tundit, et vocem elevat, ut adstantes ad dolorem et tunsionem pectoris excitet. Micrologus dicit, cap. 17, ad prædicta verba vocem esse elevandam, et Innocentius III, l. v, Mysteriorum Missæ, docet pectus esse tundendum, ad repræsentandam contritionem et confessionem latronis in cruce.

Verba, *Per quem hæc omnia creas*, etc., Canonem Missæ terminant; hic ex antiquis Missalibus et liturgiis, ut probat card. *Bona*, l. II, cap. 14, n. 5, celebrans novos fructus et alia quælibet usibus humanis destinata, v. g., legumina, mel, lac, carnes, poma, uvas, etc., benedicere consueverat, et formam benedictionis clausula solita terminans: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, addebat *per quem*, etc.

Hic feria V in Cœna Domini oleum infirmorum episcopus benedicit, et Papa agnum paschalem.

V. AB ORATIONE DOMINICA AD COMMUNIONEM. — 1° *Oratio Dominica.* In omnibus liturgiis, etiam vetustissimis, orientalibus et occidentalibus, semper dicta est Oratio Dominica ante communionem : unde merito concluditur hanc praxim institutionis esse Apostolicæ. Brevis præfatio ed excitandam celebrantis et fidelium attentionem idonea, Orationem Dominicam antecedit.

Olim pluribus in locis, et nunc etiam apud Græcos, populus Orationem Dominicam sicut Symbolum fidei canebat; mos semper fuit Romæ ut solus celebrans prædictam orationem diceret vel cantaret : sed populus ultimam pronuntiabat petitionem : ideo nunc minister vel cantores dicunt alta voce : *Sed libera nos a malo,* et sacerdos secreto respondet : *Amen.*

2° *Libera nos, quæsumus.* In quibusdam antiquissimis Sacramentariis sacerdos, post Orationem Dominicam, non respondet *Amen,* sed immediate dicit : *Libera nos,* etc.; sumpta patena vel a diacono accepta, eam subtus hostiam ponit. Post invocationem S. Andreæ invenitur S. Stephanus in Sacramentario S. Gregorii et P. *Ménard,* n. 87, asserit olim licuisse sacerdoti quoslibet sanctos, pro sua devotione, hic addere, quod certe nunc illicitum est.

3° *Fractio hostiæ.* Ritus frangendi et dividendi hostiam tam antiquus est quam ipsum Sacrificium : Christus fregit panem, et in fractione panis, post suam resurrectionem, duobus discipulis se manifestavit; Apostoli *erant perseverantes in orationibus et fractione panis.* Successores eorum idem fecerunt et mos ille nunquam desiit. Hæc autem diviso hostiæ cultro aliove instrumento nunquam peracta est, sed more Christi et Apostolorum per fractionem manibus factam.

Hostia apud Græcos in novem rumpebatur partes, in memoriam Christi et sanctorum; in ritu Mozarabico etiam in novem, in memoriam novem mysteriorum Christi. Nunc Græci eam in quatuor dividunt partes, ut videre est apud *Goar* : una pars imittitur in calicem; secundam sumit celebrans, tertiam dividit in communionem populi, et quartam pro infirmis reservat.

Ex Micrologo, cap. 17, hostia in tres dividenda erat partes, quarum una imittebatur in calicem, alia ad communionem celebrantis inserviebat, et tertia in communionem populi et infirmorum subdividenda erat. Ad memoriam veteris hujus consuetudinis, in consecratione episcopi, consecrans unam partem hostiæ a se consecratæ immittit in calicem, secundam sumit et tertiam episcopo consecrato tribuit.

Quo tempore autem celebrans totam hostiam sibi reservare incœperit non constat : morem veterem adhuc viguisse in undecimo sæculo colligitur ex Micrologo. Verum ab illo tempore, sacerdotibus et Missis privatis admodum multiplicatis, usus de hostia celebrantis communicandi penitus cessavit; et Durandus, in decimo tertio sæculo scribens, loquitur de more nostro communicandi in Missa tanquam in omni Ecclesia Latina recepto; *Rationale div. off.*, lib. IV, cap. 51, n. 1 et seq.

Pro fidelium et infirmorum communione minores formulæ consecrantur et in ciborio reservantur : in casu necessitatis, nihil vetat quominus pars hostiæ sacerdoti destinatæ ad dandum viaticum periclitanti reservetur.

4° *Commixtio specierum.* Ex Constitutionibus summorum Pontificum Melchiadis, Siricii et Innocentii I, apud *Coustant*, patet antiquum exstitisse usum ut Papa et alii Italiæ episcopi aliquas portiones hostiæ a se consecratæ singulis diebus dominicis ad presbyteros titulares sibi subjectos in signum unionis mitterent. Papa et episcopi ante quartum sæculum, hujusmodi sacras particulas ab ecclesiis remotis accipiebant. Sanctissimæ illæ portiones dicebantur *fermentum*, quia velut fermentum unionis et charitatis inter Papam, episcopos et presbyteros habebantur, et manifesta demonstratio idem ubique offerri Sacrificium. Quandoque particula ab ipso celebrante in futurum Sacrificium reservabatur, ut in Ordine Romano I, n. 18, supponitur.

Qui sanctam habebant particulam, eam reverenter in capsula reservatam, super altare die Dominica ante Sa-

crificium depositam, adorabant in initio Missæ, et, in fine orationis *Libera nos*, eam in calicem commiscebant, dicentes : *Pax Domini*, etc. Venerabili illa consuetudine abolita, nihilominus permansit usus particulam hostiæ in calicem immitendi, dicendo : *Pax Domini*, etc.

Adduntur verba, *Hæc commixtio*, etc., quæ in antiquis Ordinibus Romanis, in Amalario et in Micrologo reperiuntur; desunt vero in pluribus Sacramentariis et Missalibus, v. g., in Sacramentario S. Greg.

5° *Agnus Dei*. Illa oratio, sine *Miserere nobis*, reperitur in Sacramentario S. Greg. : sed doctissimus *Mabillon*, Comment. in Ordine Romano, pag. 55, arbitratur illam fortasse a solis cantoribus dictam fuisse. Fertur Sergium I, anno 687, statuisse, ut a clero et populo ter diceretur, et in fine adderetur *Miserere nobis*. Ad hæc verba pectus in signum compunctionis tundebatur. Verba *Dona nobis pacem*, non nisi in duodecimo sæculo verbis *Miserere nobis*, pro ultima vice, substitui cœperunt. Hinc provenit mos pectus tundendi etiam dicendo *Dona nobis pacem*, ex veteri usu. In Missis defunctorum dicitur *Dona eis requiem*, et pectus non tunditur.

6° *Oratio pro pace et osculum pacis*. Dicto *Agnus Dei*, celebrans dicit orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, qua postulat pacem Christi pro tota Ecclesia. Hæc oratio in Ordine Romano non existebat tempore quo scriptus est Micrologus, circa annum 1090; sed in Missa Illyrici et in Sacramentario Trevirensi decimi sæculi reperitur, non vero in antiquioribus Missalibus.

Finita oratione, sacerdos accepta pace Christi per osculum altaris, eam dat diacono, diaconus subdiacono, et subdiaconus cæteris. Christus post resurrectionem suam discipulos salutavit, dicendo eis : *Pax vobis;* alibi dixerat : *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis*. B. Paulus hortabatur fideles ut se invicem salutarent *in osculo sancto*, I. Cor., XVI, 20. Hinc in signum mutuæ sanctæque charitatis mos invaluit ut fideles in fine Missæ, ante communionem, se invicem modeste oscularentur, viri

viros, sicut fratres, et feminæ feminas, sicut sorores ; et ob hanc causam præcipue uterque sexus erat separatus, viri in una parte ecclesiæ et feminæ in altera parte. Ille usus adhuc vigebat in duodecimo et decimo tertio sæculo : de eo quippe loquuntur Innocentius III, anno 1198 electus, et Durandus, l. IV, cap. 53, n. 9, ubi dicit : « Viri » et mulieres non sibi invicem osculum in ecclesia por- » rigunt, ne forte aliquid lasciviæ subrepat..... propter » quod situ sequestrantur locali. »

In cunctis ecclesiis usum Missalis Romani habentibus pax semper datur per osculum , etc. Si insignes quidam adsint laici in choro, ut principes, magistratus, etc., pax eis præstanda est cum instrumento. Sacra Rituum Cong. die 22 aprilis 1690.

In aliis pluribus ecclesiis a seculo decimo tertio grassari cœpit consuetudo instrumentum ad dandam pacem adhibendi et solis in choro assistentibus præsentandi.

Osculum olim per applicationem oris ad os dabatur : in Missali enim Gothico-Gallicano, a P. *Mabillon* edito, petitur a Deo, *ut osculum quod in labiis datur, cordibus non negetur ;* nunc vero præscribitur ut dans et recipiens pacem genas sinistras ad invicem admoveant, se leviter tangentes physice, juxta *Merati* et *Cavalieri*, vel saltem moraliter, quod sufficiens estimat *Romsée*, et vidimus fieri Romæ et alibi.

In multis Galliarum ecclesiis celebrans recipiebat pacem Christi, non ab altari, ut hodie, sed ab ipsa hostia, quam deosculabatur : sic habent Durandus, l. IV, cap. 53, n. 1, et multa Missalia a decimo tertio usque ad decimum septimum sæculum. P. *Le Brun.*

Diu, saltem in pluribus ecclesiis, pax dabatur ad hæc verba : *Pax Domini sit semper vobiscum.*

Cum illa cæremonia sit testimonium vinculi pacis inter fideles, omittitur in Missis defunctorum sicut et præcedens oratio.

7° *Orationes ante communionem.* Statim post osculum pacis sacra distribuebatur communio; sed pietas quorumdam sacerdotum plures induxit orationes devotas, quæ

essent quasi immediata ad communionem præparatio : abhinc 700 vel 800 annis Ecclesia duas elegit, et ab omnibus dicendas serius præcepit. Ambæ inveniuntur in Missa Illyrici ; prima tantum in Missali Romano anni 1158, et in liturgia Carthusianorum ac Dominicanorum : eam solam suo tempore recitari testatur auctor Micrologi, cap. 18; sed Durandus, l. IV, cap. 53, n. 8, supponit tres suo tempore dici consuevisse orationes quas hodie habemus. Unde concluditur eas in ritu Romano insertas fuisse versus decimum tertium sæculum.

VI. A COMMUNIONE AD FINEM MISSÆ. — 1° *Communio celebrantis.* Sacerdos hostiam accipiens dicit : *Panem cœlestem ;* in Missa Illyrici et in multis antiquis Missalibus alia sunt verba præsentiam realem manifeste exprimentia, quibus subjungebatur sequens salutatio : *Ave in ævum, sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo.*

Oratio, *Domine, non sum dignus*, ter repetita, licet actioni faciendæ optime congruens et apud Origenem, Homil. 5 in Evang. memorata, non invenitur in Ordinibus Romanis sæculo decimo quarto anterioribus, nec illius mentionem facit Micrologus, sed de illa tanquam consueta loquitur Durandus, l. IV, cap. 54, n. 10 et 11.

Parvæ orationes, *Panem cœlestem* et *Quid retribuam*, in Missa Illyrici leguntur. Duæ aliæ, *Corpus Domini nostri* et *Sanguis Domini nostri*, ibidem inveniuntur quoad substantiam, non vero in antiquis Ordinibus Romanis. Eas supponit usitatas Durandus, exceptis verbis *Sanguis Domini*.

Quoad modum communicandi, si multi essent communicaturi, plures consecrabantur hostiæ; secus, omnes ex hostia celebrantis communicabant, in ordine sequenti, juxta Const. Apost., l. VIII, cap. 1 : presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores, monachi, diaconissæ, virgines, viduæ, pueri et omnis populus. « Presbyteri et » diaconi, osculando episcopum, corpus Christi ab eo ma» nibus accipiant : subdiaconi autem osculando manum » episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo. » Sunt verba Ordinis Romani IV, apud *Mabillon*, n. 12.

In communione sub specie vini, episcopi portionem vini consecrati sumentes, particulam cum reliquo vini consecrati relinquebant in calice pro diacono et subdiacono, quem ritum Pontifex Romanus in Missa solemni adhuc sequitur; diaconus sanguinem eadem parte calicis sumebat, et subdiaconus ope fistulæ. Eodem modo cæteri pretiosum sanguinem pluribus in locis sumebant, fistula in calice usque ad finem communionis remanente, quæ postea dabatur diacono purificanda; Ord. Rom. VI, n. 13.

Notandum fideles olim consuevisse, ante corporis Christi susceptionem, dicente sacerdote: *Corpus Domini nostri*, etc. respondere *Amen*, ut testatur S. Aug. variis in locis, v. g., Sermone 272, (t. V, part. 1, col. 1104.) *Audis Corpus Christi, et respondes Amen*, et, dicente diacono, sanguinem præbente : *Sanguis Christi, calix vitæ*, similiter assentire dicendo *Amen*, id est, verum arbitror. Quanto autem tempore ille ritus perseveravit, non constat : probabile æstimatur illum desiisse in duodecimo vel decimo tertio sæculo, quando cessavit usus communionem fidelibus sub utraque specie dandi.

2° *Ablutiones*. Usque ad decimum tertium sæculum, ablutiones post communionem non erant determinatæ ut fiunt hodie : sacerdos simpliciter manus lavabat et aqua lotionis in sacram piscinam mittebatur : sic omnes antiqui liturgistæ, et Innocentius III, nondum Summus Pontifex, in Tractatu Mysteriorum, in fine duodecimi sæculi scribens. Sed idem Innocentius, factus Summus Pontifex, anno 1212, ad episcopum Magalonensem, nunc Montempessulanum, respondens, præscribit ut celebrans ablutionem calicis cum vino semper agat, eamque sumere non omittat, nisi secundam Missam eadem die celebrare debeat. De duplici ablutione cum vino loquitur S. Th. 3ª part., q. 83, art. 5, ad 10. In concilio Coloniensi, anno 1280, præscripta est purificatio cum vino et aqua : ex eo tempore ritus duplicis ablutionis, unius cum vino, ad purificandum os et calicem, et alterius cum vino et aqua, ad abluendos digitos, factus est communis.

Oratio, *Quod ore sumpsimus*, reperitur in Missali Gothorum ante Carolum Magnum existente, in Missa Illyrici; indicatur in Ordine Romano IV, et Micrologus notat eam, ex Ordine Romano, dicendam esse secreto. Est igitur antiquissima, sicut et posterior, *Corpus tuum*, quæ in Missa Gothico-Gallicana, pro die Natalis Domini, reperitur quoad substantiam. Verum illæ orationes ablutionibus supra expositis primitus non applicabantur.

3° *Communio*. Sic vocatur antiphona quæ olim inter versus psalmi qui tempore communionis fidelium cantabatur, iterari solebat, usque dum celebrans signo indicaret dicendum esse *Gloria Patri*. Ita expresse statuunt vel supponunt Ordines Romani a secundo sæculo usque ad sextum. Hæc consuetudo adhuc vigebat in undecimo sæculo, quando scriptus est Micrologus. Sed paulo post factum est ut sola antiphona post communionem in gratiarum actionem cantaretur. Additur oratio apud nos vocata Postcommunio, quæ in veteribus Sacramentariis inscribitur *ad complendum*, quia ultima dicitur, et postea Missale plicatur.

4° *Ite, Missa est*. Missa finita, celebrans ultima vice salutat populum per *Dominus vobiscum;* deinde ipse vel diaconus alta voce enuntiat Missam esse finitam, dicendo : *Ite, Missa est*.

Hic modus dimittendi populum est antiquissimus : voces *Ite, Missa est*, leguntur in primo Ordine Romano, qui est saltem nono sæculo anterior, et ætatem Gregorii Magni sapit, inquit *Mabillon, in admonitione*. A Sabbato Sancto ad sabbatum proxime sequens, propter solemnitatem Paschæ, post *Ite, Missa est*, duo adduntur *alleluia*, secundum ritum Romanum, quibus a populo, vel a ministro, nomine populi, respondetur : *Deo gratias, alleluia, alleluia*.

Ab undecimo sæculo cœptum est dicere *Benedicamus Domino*, loco *Ite, Missa est*, in Missis ferialibus, tempore Quadragesimæ, deinde in omnibus Missis in quibus hymnus angelicus, *Gloria in excelsis Deo*, non erat dicendus; quia dimissio populi per *Ite, Missa est*, judica-

batur solemnis et Missis ferialibus non congruens; Micrologus, undecimo sæculo scriptus, primus hanc tradit regulam.

Apud Græcos dicitur *Ite in pace*, vel *In pace procedamus*.

Quoniam post Missam defunctorum solemniter celebratam aliud communiter sequitur officium, vel sepultura, vel absolutio, populus non dimittitur, et ideo non dicitur *Ite, Missa est*, sed *Requiescant in pace*, et respondetur *Amen*.

Propter eamdem rationem in prima Missa Nativitatis Domini olim non dicebatur *Ite, Missa est*, sed *Benedicamus Domino*, quia sequuntur Laudes. Ita Micrologus. In plerisque Galliarum ecclesiis incipiuntur Laudes antequam Missa terminetur, et post earum conclusionem, dimittitur populus per *Ite, Missa est*.

5° *Placeat*. In nono sæculo verba *Ite, Missa est*, dicebantur absolutio, id est finis Missæ; nihil enim addebatur : populus respondebat : *Deo gratias*, et discedebat. Oratio *Placeat* in multis invenitur Sacramentariis noni sæculi et posterioribus; verum ad Missam non pertinebat. « Finitis omnibus, sacerdos osculatur altare, dicens : *Pla-* » *ceat tibi, sancta Trinitas*. Deinde sacris vestibus se » exuens, etc., » ait Micrologus, cap. 22. Habebatur ergo ut privata sacerdotis oratio.

Notatur in ordine Romano XIV, et in Missali Romano sub S. Pio V reformato præscribitur ut pars Missæ. Saltem ab eo tempore ad Missam pertinet.

6° *Benedictio*. Olim ab episcopo celebrante solemnis dabatur benedictio post Orationem Dominicam, ante communionem, et statim dimittebantur fideles qui non erant communicaturi, juxta hæc verba ad exorcistas ordinandos : *Oportet dicere populo ut qui non communicat, det locum*. Concilium Tolet. IV, an. 633, præscribit ut, « post » Orationem Dominicam, et conjunctionem panis et ca- » licis, benedictio in populum sequatur. » In ritu Mozarabico et Gallicano benedictio episcopalis ante communionem dari consueverat, ut probat *Mabillon*, de Liturg.

Gall. Hæc benedictio adhuc est usitata in pluribus Galliarum ecclesiis.

In Sacramentario S. Greg. reperitur benedictio unicuique Missæ propria, similiter et in multis veteribus liturgiis; at illæ benedictiones sunt tantum orationes super populum recitandæ, similes ei quam in feriis quadragesimalibus ante *Benedicamus Domino* recitare solemus.

In primis Ordinibus Romanis legitur quod, Papa vel episcopo, Missa finita, ab altari descendente in presbyterium sive sacristiam, occurrat ei cantor cum schola et dicat: *Jube, Domne, benedicere*, respondeaturque a Pontifice *Benedicat nos Deus*, et tota schola alta voce dicat *Amen*. Ordo V.

P. *Le Brun* probat simplices presbyteros hujusmodi benedictionem antæ sæculum undecimum nunquam dedisse; sed eo tempore, ex canone concilii Aurelianensis, anni 511, male intellecto, credidisse se, in absentia episcopi, populum benedicere posse.

Micrologus autem contendit, cap. 21, presbyteros a tali benedictione non esse prohidendos, imo eam, absente episcopo, omittere non posse sine gravi scandalo. Eam tamen non impertiuntur in ecclesiis Lugdunensi, Augustodunensi, Lingonensi, Senonensi, Trecensi, Vesontina, Virodunensi, Remensi, Suessionensi, etc.; juxta P. *Le Brun*, eam pariter omittunt Carthusiani in propriis ecclesiis celebrantes; secus, si in aliis ecclesiis celebrent.

Usque ad medium sæculi decimi sexti tria formabantur signa crucis: sed S. Pius V, in Missali Romano, anni 1587, usum ter benedicendi in Missis privatis abrogavit, et Clemens VIII illum penitus extinxit respectu presbyterorum, et solis episcopis reservavit ad majorem Missæ episcopalis dignitatem.

Forma etiam est diversa; presbyteri simpliciter dicunt: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater*, etc.; episcopi vero dicunt: *Sit nomen Domini benedictum*, etc., *Adjutorium*, etc., *Benedicat vos*, etc.

Hæc benedictio in Missis defunctorum omittitur, quia est quid solemne.

Sacerdos coram episcopo celebrans, antequam in fine Missæ benedicat, faciet episcopo profundam reverentiam, veluti facultatem postulans populo benedicendi; si vero episcopus assistens extra suam diœcesim esset, hæc omitteretur reverentia. Cærem. episc., lib. I, cap. 30, et *Ferraris*, v° *Benedictio*, art. 5, n. 42.

7° *Ultimum Evangelium.* In decimo tertio sæculo, finita Missa, non dicebatur Evangelium, nisi ex devotione, ut patet ex Durando, dicente, l. IV, cap. 24, n. 5 : « Quidam volentes dicere, finita Missa, Evangelium S. Joannis vel aliud, imprimunt primo signum crucis super altare et postea in fronte. » Multi sacerdotes illud secreto recitabant, se in cornu dextro altaris exuendo, vel ad sacristiam redeundo. Fideles illud ex devotione audire volentes, petierunt ut super se, vel saltem alta voce recitaretur, sicut in fine baptismi recitari consueverat : semper enim Evangelium istud venerati sunt, et in gravibus circumstantiis illud recitabant, vel a sacerdote super se recitari petebant. Non mirum ergo si quidam sacerdotes devotionem habuerint illud statim post Missam dicendi, si hæc devotio ad alios et ad ipsos fideles transierit, et si tandem facta fuerit communis. Pius V, post medium decimi sexti sæculi, ordinavit ut in fine Missæ a sacerdotibus diceretur Evangelium S. Joannis, quod antea non ex mandato dicebatur.

Non obstante hac S. Pontificis præscriptione, Cluniacenses, Cistercienses et Carthusiani ultimum in fine Missæ non dicunt Evangelium, quia eorum liturgia est approbata; Lugduni, Remis, Metis, in cathedrali Cenomanensi in Missis capitularibus, et in pluribus aliis ecclesiis, Evangelium S. Joannis dicitur redeundo ab altari ad sacristiam; et si aliud dicendum sit, nempe diebus dominicis, feriis majoribus et vigiliis, ubi fit de aliquo sancto, dicitur in sacristia juxta consuetudinem ante Constitutionem S. Pii V existentem. Vide P. *Le Brun.*

Cæremoniale episc., l. II, cap. 8, sub fine, statuit ut episcopus, in fine Missæ, data benedictione, dicat *Dominus vobiscum, Initium sancti Evangelii,* etc., et prosequatur eundo ad locum ubi a principio accepit paramenta.

Cum Evangelium S. Joannis recitaretur memoriter, mos fuit et perseveravit signandi altare, loco libri Evangeliorum, vel tabellam in qua scriptum est : ideo igitur osculum primorum ejus verborum omittitur in fine.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VARIIS MISSARUM SPECIEBUS.

Breves exponemus notiones de Missis : 1° majoribus et minoribus ; 2° publicis et privatis ; 3° præsanctificatorum ; 4° siccis ; 5° de tempore ; 6° de sanctis ; 7° votivis ; 8° defunctorum ; 9° de sponsalibus ; 10° coram SS. Sacramento.

§ I. — Missæ majores et minores.

1° Missa *major* in genere (*Messe haute*) ea est quæ cum cantu celebratur. Si celebretur, ministris et clero assistentibus ac functiones ordinum suorum exercentibus, vel his deficientibus, saltem cum quodam apparatu ornamentorum et cæremoniarum in rubricis descriptarum, quales sunt incensationes, dicitur solemnis ; secus, dicitur simpliciter *major* seu *cantata*. Missa *minor* (*Messe basse*) ea est quæ celebratur sine cantu et absque cæremoniarum apparatu. Si quandoque nonnullæ solemnes fiant cæremoniæ in Missa non cantata, v. g., incensationes, id ex speciali fit consuetudine, ut in quibusdam monasteriis, et non ideo Missa est major proprie dicta.

2° Ad Missam *majorem* ordinarie revocatur Missa parochialis, quæ cantatur, ad quam fideles convocantur, in qua publicæ fiunt preces, indicantur festa et jejunia, publicantur matrimonia, docetur populus. Quandoque est

solemnis, sæpe est simpliciter cantata, quia desunt circumstantiæ ad solemnitatem requisitæ.

Diximus, *ordinarie* ; quia hæc Missa in quibusdam locis celebratur sine cantu, et tunc ad Missam minorem pertinet.

Idem dicendum de Missis conventualibus et capitularibus.

§ II. — De missa publica et privata.

I. De distinctione inter Missas publicas et privatas. — 1° Missa publica ea est ad quam concursus populi admittitur : per oppositionem, Missa *privata* ea dicitur ad quam talis non admittitur concursus. Unde, Missa publica cum Missa solemni confundi non potest, nec cum Missa simpliciter majori ; fieri enim potest ut sine solemnitate et sine cantu dicatur Missa cui admittatur populus, et, e contra, celebretur Missa solemnis vel cantata, cui non admittatur populus.

Missa parochialis ex natura sua est publica.

2° Missa principaliter instituta est ut esset solemnis et publica, clero scilicet cum populo assistente, offerente et communicante. Id ferè omnes Missæ partes adstruunt : *Dominus vobiscum* ; *Oremus ; Sursum corda ; Habemus ad Dominum*, etc.

3° Primitus non erant sacerdotes in monasteriis : monachi diebus dominicis et festivis in vicina ecclesia Missæ assistebant. Quando proprias cœperunt habere ecclesias, Pontifices maximi ac concilia prohibuerunt ne publicas celebrarent Missas, ob periculum retrahendi populum a cœtibus quibus præerant pastores. Nihilominus licebat celebrare Missas solemnes, cum ministris et cæremoniarum apparatu, in monasteriorum etiam arctissimæ observationis ecclesiis.

4° Missa dici potest et quandoque, licet minus recte, dicitur privata ex multiplici ratione : — a) ratione loci in quo celebratur ; — b) ratione diei, quia non est festum ;—c) ratione personæ privatæ cui applicatur ;— d) ratione altaris privati, et non majoris ; — e) ratione com-

municantium, si nempe solus celebrans communicet.

II. De licitate Missarum privatarum et de regulis eas spectantibus. — 1° Adversus Missas privatas ultimo sensu intellectas debacchatus est Lutherus, in Tractatu de abroganda Missa privata, asserens se a diabolo didicisse hujusmodi Missam veram esse idololatriam. Eidem sententiæ, de abroganda Missa privata, subscripserunt Calvinus, Instit. l. IV, cap. 18; Chemnitius, in Examine concilii Trident., et generaliter Protestantes, qui ipsummet Missæ sacrificium sustulerunt.

Contra hos hæreticos concil. Trid., sess. 22, can. 8, sic statuit : « Si quis dixerit Missas in quibus solus sacerdos » sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque ab- » rogandas; anathema sit. » Licet enim semper optaverit Ecclesia ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent, id nunquam præcepit. Card. *Bona* multis testimoniis et argumentis demonstrat, l. I, cap. 14, laudabilem Missæ privatæ consuetudinem Patribus fuisse cognitam et in Ecclesia semper viguisse.

2° In præcedenti capite, n. 4, loquitur de Missa solitaria quæ olim a solo sacerdote, nemine præsente et respondente, fiebat in monasteriis, et ostendit eam a pluribus conciliis et pontificibus fuisse prohibitam, quia non verificarentur verba *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, etc., si nullus esset qui responderet. Asserit tamen a Romano pontifice quibusdam monachis vel eremitis perpetuo inclusis aliquando indultum fuisse ut soli, sine respondente, Sacrificium offerre possent. Seclusa speciali hac concessione, hujusmodi Missa graviter esset illicita, nisi necessitas excusaret. Gavantus et *Merati* æstimant sufficientem existere causam sine ministro celebrandi, si viaticum moribundo sit dandum; si die festo populus Missa privaretur, et nullus respondere possit; si tempore pestis timeatur contagio. Præterea, etiam extra casum necessitatis, si haberi non possit minister qui respondeat, sed tantum qui serviat, aut si, Missa incœpta, minister abeat, sacerdos ipse poterit respondere.

3° Missa vero privata, cui solus adest minister, nihil habet redarguendum, minister enim respondet nomine totius Ecclesiæ quam celebrans salutat et alloquitur.

Expresse prohibetur in Decretal., l. III, tit. 2, cap. 1, et in rubricis Missalis, de Defect., tit. 10, n. 1, ne femina ministret ad Missam : potius sine ullo ministro celebrandum foret. Mulier longe ab altari posita, vel monialis in choro respondere posset sacerdoti, viro circa altare ministrante : id nullo jure prohibitum esse docet card. *de Lugo* quoad monialem. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 391 et 392.

Celebrare sine ministro, extra necessitatem, peccatum esset mortale : ita omnes, inquit S. Ligorius. Minor autem sufficit necessitas ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro.

Si celebrans advertat ministrum male pronuntiare, eumque facile corrigere non possit, non se, neque circumstantes turbet, neque ordinem Missæ invertat, sed omissa a ministro suppleat, si commode potest.

4° Ex decreto sacræ Congr. Rit. diei 7 augusti 1627, non competit vicariis generalibus celebrantibus duos ministros, aut duos capellanos cum cottis, honoris causa, habere : id solis reservatur episcopis in Missa privata.

Missa vero conventualis, licet non cantata, non censetur privata : ideo adhiberi possunt in ea duo ministri et candelæ plures, ratione solemnitatis, præsertim in festis majoribus. (*Ord. Rom. anni* 1849-1850, p. XXI.)

« In Missis privatis, quoad indumenta, cæremonias, » ministros, altaris ornatum et benedictionis largitionem, » a simplici sacerdote non discrepant (abbates usum pon- » tificalium habentes). Sacras vestes induant in sacristia, » neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti mi- » nistro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi mi- » nistrari non sinant, duas tantum candelas super altari » adhibeant. » (*Decret. S. Cong. Rit. ab Alexandro VII diei* 17 *sept.* 1659, *art.* 21.)

§ III. — Missa præsanctificatorum.

Improprie dicitur Missa, cum in illa non consecretur; in eo enim consistit ut particula, prius consecrata, inter aliquem precum, rituum ac cæremoniarum ordinem, liturgiæ Missæ fere similem, a sacerdote sumatur; ideo hoc liturgiæ genus vocatum est Missa præsanctificatorum. Antiquissimi est usus apud Græcos, qui tenent consecrationem corporis et sanguinis Christi cum tristitia jejunii quadragesimalis non recte conciliari. Unde concilium Laodicenum anni 314 sancivit, can. 49, « non oportere » in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato et domi- » nicis tantum. » Concilium in Trullo formaliter dicit, can. 52, in omnibus Quadragesimæ diebus, exceptis sabbatis, dominicis et die Annuntiationis, « sacrum præsanc- » tificatorum ministerium » fieri. Quæ disciplina usque in hodiernum diem apud Græcos viguit. Die dominica, præter formulam in ea Missa a celebrante consumendam, quinque aliæ consecrantur, pro quinque sequentibus diebus, et unaquaque die præsanctificatorum ministerium officio vespertino conjungitur.

Excipitur etiam, ab immemoriali tempore, feria V in Cœna Domini.

Apud Latinos Missa præsanctificatorum sola feria sexta in Parasceve celebratur, et ab Ecclesia orientali fuit importata versus octavum sæculum.

§ IV. — Missa sicca.

Sic vocabatur quædam veræ Missæ simulatio, ab indiscreta quorumdam devotione sæculo duodecimo inducta : sacerdos vestibus sacris indutus ad altare accedebat, ibique omnia sicut in vera Missa faciebat, præter Secretas, Canonem aliasque partes Consecrationem et Communionem directe respicientes. Hæc Missa dicta est nautica, quia in mari præcipue fuit usitata, quando vera Missa, propter fluctuum commotiones, celebrari non poterat. S. Ludovicus habebat devotionem audiendi hujusmodi

Missam, cum e transmarinis partibus rediret in Galliam, referente Guillelmo *de Nangis*. De illa tanquam licita mentionem facit Durandus, l. IV, cap. 1. Sed, provida episcoporum cura, a multo tempore ubique hæc praxis est abrogata.

§ V. — Missæ de tempore.

Annus ecclesiasticus sicut annus civilis in varia divisus est tempora, quibus propria respondent officia. Initium ejus est prima Adventus dominica : Adventus autem, ante S. Gregorium Magnum certe notus, est præparatio ad solemnitatem Nativitatis Domini. Festa Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis et Ascensionis Christi, Pentecostes et sancta Quadragesima ab Apostolis vel a proximis eorum successoribus fuerunt instituta, ut ex Constit. Apostolicis, Tertull., l. de Jujuniis, Theoph. Alexandrino, epist. Paschalibus. S. Irenæo apud Euseb., Hist. l. V, colligitur. Dies dominicæ per annum ab his festis et temporibus pendent, et feriæ, in singulis hebdomadis, diebus dominicis vel festivis coordinantur. Exstant ergo officia pro toto anni cursu sic statuta, quæ propria de tempore dicuntur, et in antiquissimis liturgiæ libris fere sic partita reperiuntur, v. g., in Ordine Romano I, qui sæculo nono certe est anterior, in Sacramentariis SS. Greg. et Gelasii, et in Lectionario S. Hieronymi.

§ VI. — Missæ de sanctis.

Morem semper fuisse sacrificium Missæ offerendi, non quidem pro sanctis, sed in illorum honorem, certissime constat ex vetustissimis Patrum testimoniis, nempe ex Epist. Ecclesiæ Smyrnensis, attestantis se ossa S. Polycarpi collegisse, et sibi proponere natalem ejus martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare; ex Tertul., l. de Corona Mil., cap. 3, dicente : « Oblationes pro defunctis » et pro natalitiis annua die facimus ; » ex S. Cypr., Ep. 34 et Ep. 38, asserente *oblationes et sacrificia*, ob commemorationes martyrum, die annua eorum mortis

celebrari ; ex S. Aug., de Civit. Dei, l. VIII, cap. 27, clamante : « Quis audivit aliquando fidelium stantem sacer-» dotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, » ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in pre-» cibus : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cy-» priane ; cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui » eos et homines et martyres fecit? »

Citati Patres de solis martyribus loquuntur, quia festivitates in memoriam aliorum sanctorum serius in Ecclesia receptæ sunt : prima fuit in honorem S. Martini Turonensis, anno 402 defuncti. Postea multi in catalogo sanctorum adscripti sunt, et, sicut martyres, specialia habuerunt officia, quæ vocantur Propria Sanctorum.

Communia etiam existunt officia pro colendis sanctis proprium non habentibus.

§ VII. — Missæ votivæ.

I. De origine et antiquo usu Missarum votivarum. — Sic appellantur Missæ quæ officio diei in quo dicuntur non conveniunt et pro aliqua necessitate publica vel privata, aut in B. Mariæ Virginis aliorumve sanctorum honorem, extra eorum festivitates, celebrantur. Micrologus refert, cap. 60, Alcuinum in octavo sæculo, rogatu S. Bonifacii archiepiscopi, composuisse Missas votivas de sanctissima Trinitate, pro Dominica, de Sapientia, de Spiritu sancto, de Charitate, de Angelis, de Cruce, et de B. Maria pro aliis hebdomadæ diebus, ut presbyteri Germaniæ officiis ecclesiasticis nondum instructi, vel librorum copia nondum præditi, *aliquid haberent cum quo officium suum qualibet die possent explere.*

Tempore quo scriptus est Micrologus, in fine undecimi sæculi, Missa de Cruce feria sexta, et de sancta Maria sabbato, communiter adhuc dicebatur *non tam ex auctoritate quam ex devotione*, et Missarum votivarum pro aliis diebus statutarum fiebat memoria in Missa de die.

2° Aliæ erant Missæ votivæ, etiam Alcuino longe anti-

quiores, pro mortalitate, pro sterilitate, ad petendam pluviam, tempore belli, pro pace, etc., ut videtur in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelas. Ejus generis erat Sacrificium quod, referente S. Aug., de Civ. Dei, l. XXII, cap. 8, n. 6, presbyter in aliqua domo obtulit ut spirituum malignorum vexatio cessaret.

3° Devotio dicendi Missas votivas, præsertim in honorem B. Virginis, ita excrevit, ut versus undecimum sæculum, singulis diebus, etiam dominicis et festivis, præter Missam solemnem, una diceretur Missa de B. Virgine, et altera *de Requiem*.

II. QUIBUS DIEBUS LICEAT CELEBRARE MISSAS VOTIVAS SIVE PRIVATAS SIVE PUBLICAS. — 1° In Rubr., 1ª part. tit. 4, n. 3, Missæ votivæ prohibentur diebus dominicis et duplicibus; item intra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in die Cinerum, Hebdomada Majori, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes ex decreto S. Cong. Rit. diei 28 augusti 1627; similiter intra octavam Corporis Christi, ex alio decreto 21 juni 1670. Addenda est vigilia Epiphaniæ, ex decisione S. Cong. Rit. diei 10 decembris 1718.

Ab hac regula excipiendæ sunt Missa votiva de B. M. Virgine, quæ ex immemoriali consuetudine, in quibusdam locis cantatur singulis diebus post Primam et etiam singulis sabbatis (*S. Congreg. Rit.* 2 *decemb.* 1684) — Missa sponsalium, de qua infra, § IX.

2° Aliis diebus dici possunt Missæ votivæ, pro arbitrio sacerdotum, cum commemoratione sancti de quo factum est officium : « Id vero passim non fiat, nisi rationabili » de causa, et, quoad fieri potest, Missa cum officio con » veniat; » Rubr. 1ª part., tit. 5, n. 3. Rationabilis autem non esset causa, ad Missas votivas passim celebrandas desiderium promptius se expediendi, vel alia similis et levis excusatio, inquiunt *Merati* et S. Ligorius : sufficit vera sola dantis eleemosynam petitio, et probabiliter singularis erga tale mysterium, erga talem sanctum vel sanctam devotio.

Notandum quod Missæ conventualis et capitularis cu-

officio semper concordare debeant ex pluribus S. Congr. Rit. decretis. Idem dicendum est de Missa parochiali.

3° Diebus vetitis Missam votivam celebrare, est ad minus peccatum veniale, et sæpe mortale, vel ratione contemptus et scandali; vel etiam, juxta plures, quia res in se gravis est : communius tamen docetur peccatum non esse mortale, seclusis scandalo et contemptu, quia notabilis non videtur ordinis inversio, nisi forte publica diceretur Missa *de Requiem*, sine causa excusante.

4° Cæterum omnes fatentur Missas votivas majores, non privatas, diebus vetitis ob graves causas celebrari posse ; exceptis tamen duplicibus primæ classis, dominicis privilegiatis primæ classis, feriis Cinerum et Majoris hebdomadæ, nec non vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini N. J.-C. (*S. R. C.* 27 *mart.* 1779, *ad* 20.)

Graves autem causæ reputantur : — necessitas vel utilitas publica, quæ scilicet totam respicit communitatem vel notabilem ejus partem, vel notabilem familiam ex cujus conservatione pendet bonum communitatis. Tales habendæ sunt, v. g., processio, quæ nunquam fit nisi in re gravi ; Missa pro salute principis, pro obtinenda victoria, ad gratias agendas pro beneficio obtento; — si clerus cum episcopo conveniat, v. g., in synodo, ex S. Congr. Rit. decreto 19 maii 1607.

« Receptio *vero* ad habitum vel ad professionem reli-» giosam sub re gravi numerari non potest, ut ex con-» suetudine cantari possit Missa votiva solemnis, etiam » de Spiritu sancto, in dominicis vel duplicibus; et hic » abusus omnino abrogandus ; » Decret. S. Congreg. Rit. diei 24 julii 1683.

III. De regulis observandis in celebratione missarum votivarum. — Quoad modum eas dicendi, sciendum est 1° in Missa majori, quæ celebratur pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, unicam dicendam esse orationem sine commemoratione feriæ, festi simplicis aut semiduplicis, vel octavæ communis, quia talis Missa reputatur primæ classis et excludit commemorationes per festum primæ classis exclusas. Non vero omittenda esset

commemoratio dominicæ, feriæ majoris, octavæ privilegiatæ, duplicis aut venerabilis Sacramenti expositi.

2° In Missis votivis quæ privatim, vel etiam solemniter, sed ex privata causa, celebrantur, tres saltem necessariæ sunt orationes : secunda debet esse de feria vel festo cujus fit officium, et tertia quæ secunda fuisset in Missa diei. Si insuper aliæ in Missa diei faciendæ fuissent commemorationes, omnes adduntur. *Merati*, 1ª part., p. 73.

3° In Missa majori, pro re gravi, semper dicitur, *Gloria in excelsis* et *Credo :* Utrumque tamen omittitur in Missa cum paramentis violaceis, nisi forsan dicendum sit *Credo* propter occurrentem dominicam. In Missis vero privatis nunquam dicitur *Credo;* nunquam etiam *Gloria in excelsis*, nisi in Missa de Angelis et de Beata in sabbato.

4° Si Missæ votivæ propriam non habeant præfationem, dicenda est præfatio de tempore vel de octava currente, vel tandem communis non vero de festo occurrente. Dicetur quoque *Communicantes* de octava occurrente, si proprium habet.

5° Dici non debent pro missis votivis Missæ propriæ festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Assumptionis B. Mariæ aliorumve similium, proprios Introitus vel Collectas habentium; quia verba, extra proprios dictorum festorum dies vel octavas, absurdum exhiberent sensum. Ita decretum S. Cong. Rit. a Paulo V approbatum. Missæ vero aliorum festorum in quibus veritas et ritus verborum non violatur, aut verba propria, v. g., *hodie natalitia*, *solemnitas*, facile vertuntur in voces, *commemoratio*, *memoria*, dici possunt ut Missæ votivæ, quamvis melius sit uti missis votivis in fine Missalis expressis, ne ritus Ecclesiæ ad cujuslibet arbitrium mutari videantur. Si petatur Missa votiva alicujus festi B. Mariæ aut sanctorum, intra octavam ejusdem festi, die quo fit de octava, ipsa Missa festi ritu pro octava notato dicitur. Si autem hac die fiat officium semiduplicis occurrentis, pro Missa votiva dicitur pariter Missa de octava, sed

absque *Gloria* et *Credo*, quia jam officio diei non concordat, et fit pure votiva. Ita *Merati*, part. I, tit. 4, § 4.

6° Missæ votivæ dici possunt de quolibet sancto certe canonizato, id est totius Ecclesiæ cultui proposito, sive per insertionem nominis ejus in Martyrologio Romano, sive per festum publicum, sive per actum summi Pontificis authenticum : de beato vero Missæ dici nequeunt extra locum, ecclesias, personas et dies a Pontifice determinata.

§ VIII. — Missæ defunctorum.

I. De antiquo usu Ecclesiæ circa missas defunctorum. — 1° Sacrificium Missæ pro defunctis oblatum esse Apostolica traditione constat ; testimonia enim Tertulliani et S. Aug. jam retulimus : idem habent S. Cyprianus, Epist. 66, prohibens ne oblatio fieret pro laico qui presbyterum ausus fuerat tutorem constituere ; S. Epiphanius, Hæresi 75 ; S. Chrysost., Homil. 69 ad populum Antiochenum ; Constitutiones Apost., etc.

2° In Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii, in veteri liturgia Gallicana, in Mozarabica, etc., speciales erant Missæ pro defunctis, pro sacerdote, pro abbate, pro nuper baptizato, pro laicis, etc.

3° Mos erat Missas hujusmodi die depositionis, die tertia, septima, trigesima, et præsertim anniversaria celebrandi S. Greg., Dialog. l. IV, cap. 55, abbati Pretioso præscripsit ut curaret sacrificium offerri pro monacho Justo defuncto, per trigenta dies continuos : hinc natus est ritus universalis, et adhuc in multis locis perdurans, trigenta celebrandi Missas pro defunctis. Non necesse est ut omnes sint *de Requiem*, nec ut ab eodem sacerdote celebrentur, nec communiter exigitur ut per triginta continuos dies sine intervallo dicantur.

II. De diebus quibus nunc licet celebrare missas defunctorum. — 1° Missæ defunctorum in suo genere sunt votivæ et ferme eisdem subjiciuntur regulis ac aliæ Missæ votivæ : privatæ etiam cantatæ dici nequeunt extra diem obitus, diem 3um, 7um, 30um et anniversarium,

in festis aut feriis quibus aliæ Missæ votivæ prohibentur : si ergo pro mortuo celebrandum sit, ad intentionem ejus offertur Missa de die.

2° Missa major omnibus dominicis et festis de præcepto, præsente corpore, cantari potest, exceptis duplicibus primæ classis celebrioribus quæ sequuntur, Nativitate Christi, Epiphania, prima die Paschatis et Pentecostes, festo Corporis Christi, Ascensione Domini, Dedicatione Ecclesiæ, non vero in anniversario Dedicationis, Assumptione B. M. Virginis, festis S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, Titularis ecclesiæ, S. Patroni, et festo alterius Sancti cum maxima solemnitate et concursu populi celebrato, ac ultimo Majoris Hebdomadæ triduo (*S. Rit. Congr.*, 29 *jan.* 1752, *et* 7 *sept.* 1816). Attamen his diebus, corpore præsente, cantari potest officium defunctorum, excepto triduo ante Pascha, quo omnia *privatim*, id est, *submissa voce*, recitantur (*S. R. C.* 11 *aug.* 1756).

Die 23 maii 1835, S. Rit Congr. pronuntiavit in festis Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, SS. Patronorum diœcesis et parochiæ, cantari non posse, etiam in Galliis, Missam *de Requiem*, corpore præsente, sed servandam esse Rubricam sicuti ante reductionem festorum, et extendendam ad dominicam ad quam transfertur præfatorum festorum solemnitas (*Romsée*, t. I, p. 14; *Gardell.*, t. VIII, p. 216 et 217).

Contendit *Merati*, part. 1, tit. 5, pariter excipiendos esse dies sequentes, nempe primam dominicam Adventus, feriam quartam Cinerum, primam dominicam Quadragesimæ, dominicam Palmarum cum tota Majori Hebdomada, et duobus diebus festa Resurrectionis et Pentecostes immediate sequentibus. Sed. S. Congr. Rit. decreto die 2 sept. 1741, apud *Ferraris*, ibid. n. 87, relato, statuit unicam Missam solemnem *de Requiem* celebrari posse, corpore præsente, feria secunda, *a fortiori*, et tertia Paschæ et Pentecostes. Unde concludit *Ferraris* sola festa solemniora superius recensita excipienda esse.

3° Missæ privatæ *de Requiem* dominicis et festis duplicibus dici non possunt, etiam corpore præsente. Sic S. Congr. Rit. resolvit die 10 jun. 1693.

Nec Missa parochialis, sive cantata seu major, sive prima seu minor, pro sepultura, corpore præsente, celebrari potest. Id prohibetur, et ex decreto S. Cong. Rit. 5 jul. 1698, et ex aliis apud *Merati* citatis in indice, n. 528.

4° Nulla Missa *de Requiem* celebrari potest ad altare ubi expositum est SS. Sacramentum, etiam in pyxide; sed ad aliud altare dici potest, dummodo oratio coram Sacramento non sit pro publica causa. S. Congr. Rit. 7 maii 1746. Congruentius est tamen ab hujusmodi Missarum celebratione abstinere, etiamsi ex præscripto testatorum celebrandæ essent. Eadem Congr. 27 aprilis 1697. In diebus dictis *Quadraginta Horarum*, Missæ defunctorum prohibentur per totam Ecclesiam, etiam corpore præsente, quia oratio fit pro causa publica.

5° Missæ solemnes defunctorum de die tertio, septimo trigesimo et anniversario obitus, quibus addendæ sunt Missæ cantatæ fundatæ, diebus determinatis affixæ, celebrari non possunt in duplicibus primæ vel secundæ classis nec diebus dominicis aut festis de præcepto; nec intra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi, ut ex variis S. Congr. Rit. decretis constat; nec vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, nec feria IV Cinerum, nec tota Majori Hebdomada.

5° Si ergo dies tertia, septima, trigesima, vel anniversaria in unam ex his diebus prohibitis incideret, officium defunctorum, ex resp. S. Congr. Rit. 23 maii 1693, transferretur in diem sequentem non impeditam, vel anticiparetur cum eadem solemnitate, id est, unica oratione quæ dicta fuisset in ipsomet die et prosa *Dies iræ*. Dies tertia, septima et trigesima numerantur a die sepulturæ, et dies anniversaria a die obitus. (*Gardell.*, t. III, p. 75 et 76, et *Cavalieri*, t. III, cap. 4, n. 7 et 8.) Nec liceret, ex Resp. S. Rit. Congr. diei 22 decemb. 1653, Missam de die applicare, ubi agitur de fundationibus.

7° Ubi vero agitur de Missis quotidianis defunctorum quæ per annum petuntur, si Rubrica Missas votivas permittat, dicendæ sunt *de Requiem*, secus dicitur Missa de die ad intentionem defuncti. *S. Congr. Rit.* 2 *septembris* 1741.

III. De regulis observandis in celebratione Missarum defunctorum.— 1° In Missis quotidianis defunctorum, simpliciter cantatis aut non cantatis, tres dicuntur orationes, ut assignantur in Missali : « In Missis autem defunctorum » nulla fit commemoratio pro vivis; » Rubr. Missalis Rom. 2ª part., tit., 7, n. 6 : nec dicuntur *Communicantes* aut præfatio propria tempori, sed communia. In Missis vero de semiduplici, simplici, feria, etc., specialis dici potest oratio pro defunctis, vel pro uno defuncto : sed, ex decis. S. Congr. Rit. 2 decemb. 1681, in penultimo loco ponenda est, et nulla ex orationibus pro tempore assignatis omitti debet.

2° In Missis solemnibus aut privatis, diebus Commemorationis omnium fidelium defunctorum, obitus, tertio, septimo, trigesimo vel anniversario celebratis, et in alia qualibet Missa solemni defunctorum, unica dicitur oratio, prout in Missali est determinata.

3° Quoties autem unica dicitur oratio, prosa *Dies iræ* non omittitur : in aliis vero Missis pro defunctis dicitur ad arbitrium sacerdotis, ut fert Rubrica.

4° Quædam omittenda sunt in Missis defunctorum, sive privatis, sive solemnibus : sciri ac observari debent omnes hac de re dispositiones Rubricæ.

Quæ inter omittenda non notantur, accurate servanda sunt : v. g., in initio Evangelii celebrans librum et seipsum signat. In fine, loco *Benedicamus Domino*, semper dicitur *Requiescant in pace*, et non *Requiescat*, etiamsi pro uno celebraretur.

§ IX. — Missæ sponsalium.

1° S. Cong. Rit. per decretum 20 decembris 1783, a Pio VI approbatum, præcedens reformans decretum

3 maii 1761, sancivit Missam propriam pro sponso et sponsa celebrari posse etiam in festo duplici, sive minori, sive majori, per annum, non tamen in festis primæ et secundæ classis, nec in dominicis et festis de præcepto. Alio decreto, diei 28 febr. 1818, a Pio VII 3 martii sequentis approbato, declaravit Missam pro sponso et sponsa, juxta præfatum decretum 1783, celebratam, « esse vo-» tivam, privatam, proindeque semper celebrandam sine » hymno Angelico et Symbolo, cum tribus orationibus, » prima videlicet ejusdem Missæ votivæ propria, ut ha-» tur in fine Missalis, secunda et tertia diei currentis..... » *Benedicamus Domino* in fine et ultim. Evang. S. Joan. » *Gardell.*, t. VI, p. 56.

2° Eadem S. Cong. per aliud decretum 20 april. 1822, quædam suborta resolvens dubia, respondit Missam votivam pro sponso et sponsa dici non posse diebus festa duplicia excludentibus, v. g., intra octavam Epiphaniæ et alias octavas similiter privilegiatas, ac consequenter si his diebus benedicendæ sint nuptiæ, dicendam esse Missam de die cum commemoratione nuptiarum. *Gardell.*, t. VII, p. 99.

In Missis votivis de sponsalibus dicitur præfatio de tempore vel de octava occurrente.

§ X. — Missæ coram exposito SS. Sacramento.

1° « Missam in altari majori, ubi est expositum pu-» blice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim » si in ecclesia adsint alia altaria in quibus celebrari » possit; » Decret. S. Congr. Rit. 9 aug. 1670. Excipitur in Const. Clementis XI, 20 januarii 1705, Missa pro exponendo et reponendo SS. Sacramento sub precibus Quadraginta Horarum. Si cantanda sit alia Missa, durante expositione, in alio altari cantari debet. *A fortiori* Missæ privatæ in altari expositionis dici nequeunt. Id stricte servatur Romæ.

2° In Missis de die, non tamen de festo primæ aut secundæ classis, coram sanctissimo Sacramento exposito

celebratis, fieri potest commemoratio SS. Sacramenti per orationem quæ post orationes ad Missam diei pertinentes ponitur, si Missæ sint privatæ, et expositio fiat ob causam publicam. In festis autem cujusvis gradus semper fieri debet dicta commemoratio ad Missas cantatas eodem ordine, et si duæ tantum sint orationes, sub unica conclusione. *Romsée*, t. I, p. 18 et 19.

Ex instructione Clementis XII, pro urbe Roma, diei 1mo septemb. 1730, dicta commemoratio est de præcepto in Urbe etiam ad Missas privatas, non exceptis festis primæ et secundæ classis. Extra urbem remanet facultativa in Missis privatis, quæ non sunt primæ vel secundæ classis.

Advertit *Gardellini*, in Instruct. Clement. XII, t. VI, p. 106, prohibitionem commemorationis in festis primæ et secundæ classis non intelligendam esse de diebus commemorationes non excludentibus, ut prima Domin. Adv., prima Domin. Quadragesimæ, die Cinerum, etc.

Missæ votivæ, tempore expositionis, nullo gaudent privilegio. Romæ dicendæ sunt de SS. Sacramento, si Rubricæ permittant; extra Romam aliæ Missæ votivæ dici possunt, Rubricis permittentibus. In utroque casu, sine *Gloria* et *Credo*, nisi, ob gravem causam, celebrentur solemnes.

3° Missa pro expositione venerandi Sacramenti debet esse votiva de SS. Sacramento, quæ habetur in fine Missalis, non vero Missa de festo Corporis Christi, nisi infra ejus octavam : aut si Rubrica Missam votivam non permittat, dicitur Missa diei cum commemoratione SS. Sacramenti.

4° Missæ de SS. Sacramento fundatæ, diebus Missas votivas non excludentibus dicuntur votivæ de SS. Sacramento : aliis diebus celebratur Missa de die cum commemoratione SS. Sacramenti.

5° Apprime sciendum est quid omittendum et quid addendum sit in celebranda Missa coram venerabili Sacramento.

ARTICULUS QUARTUS.

DE LOCO UBI MISSA CELEBRARI POTEST.

Pauca dicenda sunt de origine ecclesiarum, de earum forma, consecratione, pollutione, reconciliatione et necessitate; de imaginibus, reliquiis sanctorum, campanis et aqua benedicta.

§ I.— De ecclesiarum origine et forma.

I. De nomine et distinctione ecclesiarum. — Ecclesia igitur recte definitur : *Ædes publica cultui divino permanenter deputata, in qua fideles ad colendum Deum, sacramenta aliaque religionis subsidia recipienda conveniunt.* Varia sortitur nomina juxta diversas classes ad quas pertinere potest : si præ aliis sit insignis, dicitur *basilica*, a verbo Græco βασιλικη, significante domum regiam vel palatium : eo sensu legitur, II Paralip. IV, 9, et VI, 13, Salomonem atrium sacerdotum et grandem basilicam fecisse. Nunc communis opinio est quod solæ ecclesiæ majores, principaliores ac digniores vocentur basilicæ, inquit *Ferraris*, v° *Ecclesia*, art. 3, n. 4. Si episcopi sedem contineat, est cathedralis. In quibusdam locis, v. g., in Italia, simpliciter dicitur domus, sicut in civitate ædes regia palatium simpliciter dictum, de habitaculo principis intelligitur. Cathedrales dicuntur etiam matrices, quia matres et magistræ aliarum ecclesiarum totius episcopatus reputantur, et sic habetur in jure. Decretal. l. v, tit. 4, cap. 22. Matrices etiam vocantur ecclesiæ quæ alias habent ecclesias aliquo modo sibi subjectas, et subjunctæ dicuntur earum filiæ. Si communitatem habeat clericalem, quæ capitulariter congregari et agere possit, cum libero usu sigilli, appellatur collegiata. Quæ habent fontes baptismatis dicuntur baptismales : et illæ quibus præest rector habens populum sub certis locorum limitibus constitutum, cum potestate ordinaria fori pœnitentialis, pa-

riochales appellantur, et generaliter sunt baptismales, quamvis omnes baptismales non essentialiter sint parochiales.

II. De origine ecclesiarum. — In ipsis religionis christianæ incunabulis specialia exstiterunt loca ubi fideles conveniebant ad frangendum panem : *Una sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem,* Act. xx, 7 ; *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est cœnam Dominicam manducare,* I Cor. xi, 20. — Testimoniis veterum Patrum, puta Origenis, Tertull., Eusebii, Constit. Apost., etc., Christiani habebant domos ad cœtus religiosos destinatas : eas non vocabant templa, quia nomen istud magnis ædificiis cultui falsorum deorum consecratis proprium erat ; sed illas per nomen suæ congregationis designantes, appellaverunt ecclesias.

III. De forma ecclesiarum. — 1° Dubitari non potest quin ante persecutionem Diocletiani, anno 303 præcipue furentem, Christiani multas habuerint ecclesias solis muneribus ecclesiasticis destinatas, ut expresse testantur Eusebius, Hist. eccl. l. viii, c. 1 ; S. Optatus, l. ii, cap. 20 ; et auctor Const. Apost., saltem in quarto sæculo scribens, formam ecclesiarum, tanquam ab Apostolis determinatam, describit in l. ii, cap. 57 : « Primo qui» dem, *inquit*, ædes sit oblonga, ad Orientem versa, ex » utraque parte pastophoria versus Orientem habens, et » quæ navi sit similis. »

2° Erat ergo oblonga sicut navis, et inde præcipua pars ejus semper vocata est navis, gallice *nef*. Plurimæ tamen ædificatæ sunt ecclesiæ a Constantino et a S. Helena, rotundæ vel octogonæ, v. g., in Bethleem, in monte Olivarum, Antiochiæ ; octogona est etiam celebris capella, curante Carolo Magno, in loco suæ residentiæ exstructa, adhuc existens, cujus cognomen habuit civitas vulgo dicta *Aix-la-Chapelle*. — Ad Orientem versa. Vetustissimus enim et generalis fuit mos Christianorum respiciendi Orientem in orando, quia Christus vocatur *Oriens, Sol justitiæ ;* et sol oriens est imago Christi, qui est vera lux mundum illuminans. Nonnullæ tamen, in

maxima antiquitate, exstiterunt ecclesiæ contrarium habentes situm, ut refert Socrates, Hist. l. IV, cap. 22, de Ecclesia Antiochiæ Syriæ, cujus altare occasum spectabat. Talis etiam fuit Ecclesia S. Sepulcri ab Eusebio, l. III, cap. 37, descripta. Hinc ecclesiæ ad Orientem communiter vertuntur, sed nulla lex hunc præscribit situm. — Pastophoria apud Græcos idem significant ac sacristiæ apud nos. — In duas partes cancellis separata erat ecclesia : pars superior, versus Orientem, dicebatur sanctuarium : in medio erat solium episcopi, utrinque sedes presbyterorum ac diaconorum, populum respicientium et ante habentium altare, sæpe vocatum *thusiasterium*. Pars ista erat elevata. Eamdem formam nunc exhibent ecclesiæ quarum altare dicitur *à la romaine*. — In altare parte erant laici cum quibusdam inferioribus clericis ; mulieres et viri erant separati, hi in australi et illæ in boreali latere navis sedentes. In medio erat locus elevatus in quo stans legebat lector. Ille locus dicebatur *ambo*, a verbo græco ἀναβαίνω, *ascendo*. — Duæ erant portæ laterales, una pro mulieribus cui præposita erat diaconissa, et altera pro viris ostiario commissa. — Quando spatium sufficiens erat, pueri utriusque sexus, virgines, viduæ et mulieres distincta habebant loca, et diaconus providebat ut ingredientium quisque locum suum peteret. — Postea, crescente numero monachorum qui publicis officiis in ecclesia assistebant, et prope sanctuarium collocabantur, majores fabricatæ et divisæ fuerunt naves : pars inferior, ubi sistebant pœnitentes diversorum graduum, catechumeni, energumeni, etc., dicta græce ναρθηξ, quamdam significans plantam qua olim magistri manus percutiebant puerorum ad corrigendum eos : huic voci respondet vox latina *ferula*, unde vox gallica *férule*, bene nota. Illa ecclesiæ pars dicta est ναρθηξ, aut ferula, quia eis destinata erat qui ab Ecclesia plectebantur, vel sub ferula ejus erant constituti : appellata est etiam πρόναος. id est *pronavis, avant-nef :* unde vox gallica *prône*, ut supra diximus. Apud Latinos ecclesia in tres partes, sicut hodie similiter erat divisa, videlicet in sanctuarium, chorum et

navem. — Tres erant portæ : una tantum exterior, quæ dicebatur Magna, per quam intrabatur in narthem seu pronavem ; secunda, appellata Speciosa, ad ingrediendum in secundam navem, ubi erat ambo ; et tertia, vocata Sancta, ad ingressum sanctuarii.

§ II. — Consecratio ecclesiarum.

I. Quid consecratio et quotuplex. — 1° Nomine consecrationis ecclesiæ, latiori sensu, intelligitur dedicatio ejus ad cultum divinum, ritu speciali a legitimo ministro facta, ut opera religionis in ea recte exerceri possint. Ignoramus quomodo sanctificatæ fuerint ecclesiæ tempore persecutionum ; sed a tempore Constantini solemnes cœperunt fieri basilicarum, cathedralium aliarumque generaliter ecclesiarum dedicationes, ut videre est in Historia ecclesiastica et apud P. *Martène*. Quamvis consecratio et dedicatio promiscue sumi soleant, inter utramque vocem aliquod nihilominus datur discrimen ; dedicatio enim, quæ etiam dicitur encænia, initiatio, a verbo græco εγχαινία, est primus illius usus, et consecratio est ritus sacer quo ecclesia sanctificatur.

Duplici modo autem sanctificari potest, nempe per benedictionem et per consecrationem. Benedictio, prout in Rituali Romano describitur, a quolibet sacerdote, ex speciali delegatione episcopi, fieri potest. Consecratio vero, cujus ritus et cæremoniæ in Pontificali Romano reperiuntur, proprio diœcesis episcopo reservatur : alieno episcopo delegari potest, sed non simplici presbytero. Episcopus qui, absque legitima delegatione, alienam consecraret ecclesiam, peccaret mortaliter et insuper maneret suspensus per annum ; Decret. part. 2, causa 7, q. 1, can. 28. Valet tamen consecratio.

II. De necessitate consecrationis. — « 1° Missarum » celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis, » absque magna necessitate, fieri debere liquet omnibus, » quibus sunt nota Veteris et Novi Testamenti præ- » cepta ; » Decret. III part. dist. 1, can. 12, etc.

2° Missa igitur celebrari non potest in nova ecclesia vel capella ritu ecclesiastico nondum sanctificata.

3° Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda : at si dubitetur eam fuisse consecratam, consecranda est, ex expresso textu Decreti, part. III, dist. 4, can. 17, 18 et 20.

4° De consecratione autem ecclesiæ constare potest per unum testem de visu vel auditu, per notam in libris ecclesiæ, vel pariete vel tabula marmorea scriptam, quia sufficiunt semiplenæ probationes quando nemini fit præjudicium : *Ferraris*, art. 4, n. 79. Unde inferimus cruces numero duodecim in parietibus depictas, vel sensibilia earum vestigia, sufficere ad probandum ecclesiam fuisse consecratam.

III. A QUO CONSECRANDA SIT ECCLESIA. — Ecclesiæ consecrari possunt qualibet die etiam non festiva, sed intra Missam duntaxat, ut expresse habetur in Decretal. l. III, tit. 40, cap. 2; et in Decreto, part. III, dist. 1, can. 3. Valida est tamen, licet graviter illicita, consecratio extra Missam facta ; *Ferraris*, v° *Eccl.*, art. 4, n. 3. Bened. XIV, Epist. 1 et 2 ad R. P. Engelbertum, die 16 nov. 1748, Bull. App., de consecratione et reconciliatione ecclesiarum longe disserit, et affirmat potestatem consecrandi ecclesias episcopatui inhærentem esse et a nullo pendentem ; — auctoritate Apostolica presbyteris delegari posse, et reipsa nonnullis abbatibus delegatam fuisse, ea conditione ut chrismate ab episcopo consecrato uterentur ;— consecrationem ecclesiæ a pluribus episcopis simul fieri posse, et sic pluries consecratas fuisse ecclesias ab episcopis ad hoc congregatis, non ut assisterent, sed ut comministri essent, suas quippe partes expleturi, ut refert P. *Martène*. Unus potest consecrare ecclesiam, alter altare, tertius celebrare Missam, plures ungere cruces, etc., idque sine ulla summi Pontificis dispensatione.

IV. DE CÆTERIS OBSERVANDIS IN CONSECRATIONE ECCLESIARUM. — Ex responsis S. Rit. Cong. 7 decembris 1744 et 29 julii 1780, quibus contradicere videtur responsio ad episcopum Gratianopolitanum, diei 22 maii 1835 of-

ficium a clero ecclesiæ consecrandæ strictim addicto, tam privatim quam publice recitandum est de Dedicatione, incipiendo ipsa die consecrationis ab hora tertia. Sic nobis tandem responsum est die 7 decembris 1844, scilicet « Vigilias faciendas, juxta Pontificale, de Sanctis; » officium vero Dedicationis ecclesiæ, non autem altaris » solum, inchoandum esse, peracta consecratione, ab » hora minori Tertia. »

Plures auctores, ut *Gayet*, *Haldan* et *Merati*, docuerant officium incipiendum esse a primis Vesperis; responsio ad episcopum Gratian. erat in eo sensu. Nunc non remanet dubium.

Vigiliæ autem celebrandæ sunt in honorem Sanctorum quorum reliquiæ sub altare sunt recondendæ. S. Rit. Cong., nobis instantibus, adhuc respondit, die 11 junii 1845, « Pontificalis verba intelligenda esse, in casu quod » celebrentur Vigiliæ cum matutino, laudibus, hymnis, » canticis de Communi, cum simili oratione de Com- » muni, sine nomine expresso, cum non sint partes officii » diei. »

Insuper, per totam noctem et usque dum auferantur reliquiæ, quædam ante eas vigilare debent personæ orantes et psallentes, juxta antiquissimum morem. Si contingat ecclesiam consecrari uno e diebus quodcumque festum excludentibus, v. g., die Paschatis, die Pentecostes, etc., dicetur Missa de die, et fiet commemoratio Dedicationis. Officium recitandum vel cantandum erit pariter de die. Vide *Merati*, in Gav., t. III, p. 302, et magis p. 306.

In vigilia consecrationis clerus et populus cui consecranda est ecclesia jejunare tenentur ex Pontificali. Sacra Rit. Cong. variis quæsitis respondens, die 19 julii 1780, apud *Gardell.*, n° 4251, t. VI, p. 103, definit jejunium in Pontificali indicatum non esse de consilio, sed de præcepto; item obligare episcopum consecrantem et eos tantum qui petunt sibi ecclesiam consecrari; esse simul locale et personale, id est, ut nobis videtur, non obligare parochianos absentes, nec extraneos præsentes.

§ III. — Exsecratio et pollutio ecclesiarum.

I. De exsecratione ecclesiarum. — Ecclesia dicitur exsecrata quando amissa est ipsius consecratio vel benedictio : id autem fit per ipsius destructionem.

Res quidem est evidens, et ex Decreto, part. III, dist. 1, can. 24 constat. Etiamsi ergo ecclesia diruta, ex iisdem materiis reædificaretur, iterum consecranda esset. Item si major vel nobilior pars, v. g., altare et sanctuarium, destruatur aut addatur, minore parte relicta, quia non est eadem moraliter ecclesia; *Ferraris*, varia citans capita juris, v° *Eccl.*, art. 4, n. 23 et 24. Si Ecclesia igne comburatnr, et interiores parietes ex toto vel ex majori parte sint devastati et abrasi, quamvis non corruant, nova necessaria est consecratio; quia in his partibus præcipue censetur residere consecratio, ubi videlicet sunt cruces et fiunt unctiones; Decr., part. III, dist. 1, can. 20.

Contra vero si minor pars destruatur vel addatur, majori remanente, v. g., unus paries dirutus reædificetur, pavimentum renovetur, tecta comburantur, parietibus integris remanentibus, etc., non iteratur consecratio nec benedictio, quia eadem moraliter remanet ecclesia, et ex regula 42 juris, in Sexto, *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Nec obstat quod ecclesia per partes, successive renovata, tota fuisset mutata; semper enim eadem moraliter remansisset.

Ex can. 24, dist. 6, part. 3 Decreti jam citati, eruitur quod notabiles partes additas, licet ecclesia maneat consecrata, cum aquæ benedictæ aspersione exorcizari congruat. Ita *Ferraris* et plures alii.

II. De pollutione ecclesiarum. — Ecclesia est polluta quando, propter aliquam indecentiam aut repugnantiam, ad usus sacros jure declaratur inhabilis. Quadruplici modo id contingere potest, scilicet per homicidium, per sanguinis effusionem, per seminis humani emissionem et per infidelis sepulturam.

1° Per homicidium voluntarium et graviter culpabile, etiam sine sanguinis effusione, non vero per homicidium casu eventum, ab amente vel ob justam sui defensionem commissum. Ita *Ferraris*, aliique canonistæ, ex Decreto, part. 5, dist. 6, can. 19, et Decretal. l. III, tit. 40, cap. 3.

Voluntaria rei juste condemnati occisio in ecclesia eam pollueret, quia injuriosa esset ecclesiæ et ipsi reo jus habenti ut ibi non occidatur.

Si quis, accepto vulnere extra ecclesiam, ad eam confugiat ibique moriatur, eam non polluit; si, e contra, vulnus mortale in ecclesiam acceperit et extra moriatur polluta est. Ita *Ferraris*, art. 4, n. 40.

Si quis ab extra hominem in Ecclesia positum occidat, eam polluit; non vero si ab ecclesia aliquem extra perimat; quia in priori casu et non in posteriori homicidium in ecclesia patratur. *Sic communiter canonistæ.*

Qui autem est in sacristia, in turri campanarum, sub tecto et super camera, censetur extra ecclesiam.

2° Per sanguinis effusionem ecclesia polluitur, ut propriis verbis statuitur in Decreto, part. 3, dist. 1, can. 20; Decretal. l. III, tit. 40, cap. 10, et Sexto, l. IV, tit. 21, capite unico. Quædam autem conditiones requiruntur, — a) nempe ut sanguis effusus sit humanus, non vero alicujus bestiæ;—b) ut sit in notabili quantitate, alioquin non esset proprie effusio, quantumvis gravis fuisset percussio et etiam ossium confractio; —c) ut effusio sit voluntaria, quia supponitur crimen, ac proinde actus humanus: unde si per accidens, puta ex casu, aliquis graviter vulneretur et magna quantitas sanguinis effundatur, ecclesia non erit polluta; — d) graviter injuriosa, secus non esset crimen nec gravis irreverentia erga locum sacrum. Hinc si ex levi vulnere sanguis copiose effundatur per nasum, ut quandoque accidit in pugnis inter pueros, ecclesia non censetur polluta; pollueretur vero si hæc quantitas ex gravi percussione in nasum proveniret: gravitas aut levitas percussionis ex communi hominum æstimatione judicatur; in dubio, ecclesia habenda est ut non polluta, juxta

regulam juris : *Odia restringi convenit.* — e) Requiritur ut gravis percussio in ipsa ecclesia facta fuerit, eo modo quo diximus de homicidio.

3° Per seminis humani effusionem, ut in dissertatione nostra de sexto præcepto dicimus.

4° Per infidelis aut excommunicati denuntiati sepulturam; Decretal. l. III, tit. 28, cap. 12, et tit. 40, cap. 7. Nomine infidelis intelligitur infans sine baptismate decessus, nisi ex utero matris non fuerit extractus et cum illa sepeliatur, quia nondum natus, portio viscerum matris videtur esse. Ita multi apud *Ferraris*; v° *Eccl.*, art. 4, n. 52. Nonnulli tamen infantes fidelium excipiunt, dicentes eos tales censeri quales sunt parentes; sed opinio quæ tenet illos non excipiendos esse, longe communior est, et probabilior videtur.

Sepultura hæretici publici, sed non denuntiati, ecclesiam jure communi non polluit ; quia cum non sit vitandus vivus, nec obligatio est eum vitandi mortuum. Sic *Reiffenstuel*, l. III, tit. 40, n. 21 ; *Ferraris*, v° *Eccles.*, art, 4, n. 54; S. Lig., l. VI, n. 366; *Giraldi*, t. I, p. 424 et 425, etc.

Concil. Trid. sess. 25, cap. 19, de Reform., vult ut qui in duello decesserint *perpetuo careant ecclesiastica sepultura ;* et Bened. XIV, Const. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, § 9, declarat privationem sepulturæ ecclesiasticæ a concil. Trid. inflictam, « incurrendam ante sententiam judi» cis, a decedente quoque extra locum conflictus, ex vul» nere ibidem accepto, sive duellum publice, sive pri» vatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante » mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque » a peccatis et censuris solutionem obtinuerit, sublata » episcopis et Ordinariis locorum super hac pœna inter» pretandi ac dispensandi facultate. » *Bull.*, t. IV. Hinc annotator *Ferraris* concludit ecclesiam ac proinde cœmeterium violari per sepulturam ejus qui decessit in duello, etiamsi denuntiatus non fuerit. Sed *Ferraris*, plures alios citans, contrarium sentit, et talis violatio in Gallia non admittitur, licet honores sepulturæ ecclesias-

ticæ in duello decedentibus absque pœnitentiæ signis et reparatione scandali denegentur. Vide *Giraldi*, t. I, p. 425.

Prædicti autem casus ecclesiam non violant, nisi sint publici aut publice innotuerint. Sic omnes, ex variis textibus juris, et habent ut occultum quod duobus vel tribus notum est testibus discretis : si autem factum prius occultum fiat publicum, ex eo tempore ecclesia habenda erit ut polluta ; *Ferraris*, art. 4, n. 57.

5° Oratoria privata non proprie polluuntur. Si quod tamen ex factis ecclesiam polluentibus in eis acciderit, eo ipso cessat facultas obtenta missam in eis celebrandi.

Non licet, nec ipsis clericis, habitare diu noctuque et etiam dormire in domibus ædificatis super capellis in quibus quotidie Missa celebratur, sed omnino prohibetur. S. Cong. R. die 11 maii 1641, apud *Gardell.*, t. I, p. 327.

Subtus vero oratoria vel ipsas ecclesias adesse possunt *horrea, cellæ vinariæ aut apothecæ*. (*Ferraris*, v° *Orat.*, n. 92.) Hæc tamen supra non decerent, et in IV Concil. Mediol. stricte fuerunt prohibita. *Act. Eccl. Mediol.* t. I, p. 101.

6° Causæ quæ polluunt ecclesiam polluunt cœmeterium ; textus enim juris cœmeterium sicut ecclesiam spectant. Unde polluitur cœmeterium si reus ad mortem damnatus, in eo occidatur ; si infans sine baptismate mortuus, ibi sepeliatur.

Polluta ecclesia, eo ipso polluitur cœmeterium ei contiguum ; quia censetur res una cum ecclesia, et *accessorium naturam sequi*, etc. ; secus, si ab ea esset separatum. Contra vero, polluto cœmeterio, non ideo pollueretur ecclesia ei contigua ; quia non convenit principale naturam accessorii sequi.

Si ecclesia rueret vel incendio periret, non ideo prohiberentur sepulturæ in cœmeterio.

III. De effectu pollutionis ecclesiæ. — Effectus violationis alicujus ecclesiæ sunt : ut reconciliari non possit quin prius amota fuerit causa pollutionis adhuc subsis-

tens, v. g., si cadaver infidelis exhumatur ; — ut nemo in ea vel in cœmeterio polluto sepeliatur ante reconciliationem ; — ut nec Missa, nec aliud officium ecclesiasticum in ea celebretur ; quicumque enim secus ageret aut mortuum sepeliret, mortaliter peccaret. *Ferraris* et alii multi cum illo, art. 4, n. 59.

In eo casu, parochus ad episcopum recurrat, et interea cæremoniis sepulturæ, quæ differri non potest, in ecclesia non polluta peractis, relinquitur cadaver civiliter in cœmeterio recondendum.

« Si, sacerdote celebrante, videtur ecclesia ante ca- » nonem, dimittatur Missa ; si post canonem, non di- » mittatur : » sunt verba Miss. Rom., Rub., de Defect., tit. 10, n. 2. Statim SS. Sacramentum auferatur, altaria exspolientur, etc.

§ IV. — Reconciliatio ecclesiarum.

1° Ecclesia penitus vel ex majori parte reædificata, vel etiam parietibus renovata, debet nova consecratione dicari, inquit *Ferraris*, v° *Consecrat.*, n. 9 : etenim non eadem, sed altera est ecclesia.

Contra vero ecclesia solemni ritu consecrata, quocumque etiam enormi crimine polluatur, iterum consecrari non debet, quia consecratio assimilatur Baptismo, et circa idem objectum nunquam iteratur : sic expresse *Ferraris*, v° *Eccl.*, art. 4, n. 74 et seq. ; *Devoti* aliique canonistæ, quamvis canon 20, dist. 1 partis 3 Decreti contrariam dispositionem habere videatur. Procedendum est igitur ad ejus reconciliationem, quæ ab episcopo facienda est, secundum ritum in Pontificali præscriptum, utendo aqua ad hoc specialiter benedicta, cum vino et cinere, ad significandum peccatorum reconciliationem ; semper enim cinis fuit signum pœnitentiæ.

2° Episcopus diœcesanus alium delegare potest episcopum ad hanc reconciliationem faciendam, non vero simplicem sacerdotem ; id expresse prohibetur a Greg. IX, in

Decretal. l. III, t. 40, cap. 9, et sic S. Congr. Rit. pluries decrevit.

Romanus autem pontifex hanc facultatem delegare potest simplicibus sacerdotibus; sic S. Congr. Rit. decrevit 19 maii 1607; ita habet Bened. XIV, in Iª Epist. superius citata, § 2. Ex speciali Leonis X concessione, hoc privilegium habent generales, provinciales, etc., ordinum Mendicantium et aliorum quorumdam non mendicantium, ea conditione ut aqua ab episcopo diœcesano benedicta utantur, nisi episcopus duobus diebus, circiter 13 vel 15 leucis, ab ecclesia reconcilianda distet. Pius VII facultatem concessit, 3 martii 1821, vicario generali diœcesis Carpensis, referente *Romsée*, « sive per se, sive » per alios sacerdotes ab ipso specialiter deputandos, re» conciliandi ecclesias consecratas (*quæ variis modis profanatæ fuerant*), de quibus in precibus, servato ritu a » Pontificali Romano præscripto, adhibita aqua per catho» licum episcopum benedicta. »

Usus tamen obtinuit ut, facultate prius ab Ordinario impetrata, sacerdos ecclesiam reconciliet, eam quæ Gregoriana dicitur aquam adhibendo, et juxta formam in Pontificali Romano descriptam.

Si ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, per simplicem sacerdotem ab episcopo aut a vicario generali delegatum reconciliari potest, juxta formam in Rituali Romano statutam. Sic Glossa in cap. 10, tit. 40, l. III Decretal., Rituale Rom., *Ferraris*, art. 4, n. 72 et alii.

3° Etsi ecclesia per sacrilegia publica, ab homicidio, sanguinis aut seminis effusione, infidelis vel excommunicati sepultura distincta, per exercitia hæretica, profana, impia, per hominum vel animalium in ea stabulatorum spurcitias, etc., stricte ad sensum juris canonici non polluatur, maxime tamen decet et praxis est ut per episcopum vel per sacerdotem ab eo delegatum cum aliqua cæremonia reconcilietur et abluatur. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 368, post *Layman*.

4° Cœmeterium pollutum reconciliari potest per simplicem sacerdotem ab episcopo aut vicario generali deputa-

tum, et sequendus est ritus specialis in Rituali præscriptus.

Si per gravem aliquam indecentiam, non quidem stricte pollutum, sed profanatum fuisset, aliqua cæremonia expiatoria sanctificandum foret, quemadmodum de ecclesia diximus, idque juxta episcopi judicium.

§ V. — Necessitas ecclesiarum.

1° *Constat ex dictis* ecclesias semper exstitisse et aliquo ritu sacro sanctificari debuisse : jure communi et ordinario prohibetur ne Missa extra loca sacra celebretur, et Conc. Trid. hanc dispositionem juris renovavit ac confirmavit sess. 22, Decreto *de Observ. et vitandis in celebr. Missæ.*

Certum est tamen, in primis Ecclesiæ sæculis, tempore persecutionum, Missam frequenter celebratam fuisse in domibus privatis, in speluncis, in cavernis, in carceribus, etc., et in Decreto, part. 3, dist. 2, can. 1, legitur Missarum celebrationes alibi quam in sacratis Domino locis, *absque magna necessitate*, fieri non debere. Adveniente ergo magna necessitate, v. g., peste, bello, persecutione, ecclesiæ dirutione, itinere per regiones infidelium, etc., Missam in loco non sacro, aliunde honesto, celebrare licet, *etium absque licentiu episcopi, si absens sit et difficulter adiri possit*, ait *Ferraris*, v° *Missa*, art. 4, n. 4; concilium enim Trid. talem celebrationem in hujusmodi casibus prohibere voluisse non censetur, *quoniam*, ut fert can. 16, dist. 1 tertiæ partis decreti, *necessitas legem non habet*. Sic S. Th., 3ª part., q. 83, art. 3, ad 2ᵘᵐ, *Suarez*, Bened. XIV, S. Ligorius, l. VI, n. 356, etc. Hinc Missa celebratur in castris etiam sub dio pro exercitu, sed festivis tantum diebus, aut aliis diebus pro generalibus et primariis ducibus in eorum tentoriis.

In his tamen et similibus casibus, si per tempus liceat, semper impetranda est concessio episcopi, qui aut judicabit causam esse sufficientem, aut per dispensationem in dubio relaxabit legem.

2° Quilibet sacerdos Missam omni die celebrare potest :

— a) in omni ecclesia publica, consecrata, vel benedicta, non polluta, aut reconciliata, positis aliunde ponendis; — b) in oratorio benedicto, ad usus sacros destinato, et januam in via publica habente, etsi privata in eo existat janua domui alicujus sæcularis affixa; — c) in oratoriis seu capellis communitatum, puta hospitiorum, seminariorum, collegiorum, monialium, etc. : sic declaravit S. Congr. Rit. 2 sept. 1661 ; — d) in oratoriis quæ habent episcopi, sive in palatiis suis, sive in domibus rusticanis, etiam extra proprias diœceses, ut ex decreto Congr. Conc. 22 sept. 1640 concluditur, quia domus episcopi non censetur privata. 3° In oratoriis autem privatis sæcularium legitime erectis celebrare non licet diebus in diplomate reservatis, nempe in solemnioribus festis, ut Nativitate Domini, dominicis Paschæ et Pentecostes, Assumptione B. Mariæ Virginis, festo primarii parochiæ patroni, etc. S. Lig. l. VI, n. 359.

Bened. XIV docet, de Sacrif. Missæ, l. III, c. 6, n. 1 et 2, facultatem qua omni tempore pollebant episcopi diœcesanis suis oratoria privata concedendi, ipsis per Decretum concilii Trid., sess. 22, *de Observandis et vitandis in celebratione Missæ*, ademptam esse sequentibus verbis : « Neve patiantur (*episcopi*) privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. » Capellæ igitur ad divinum cultum tantum et in perpetuum destinatæ et de consensu episcopi benedictæ, non sunt privata oratoria. Privatum oratorium est illud quod intra domesticos parietes in angulis domus privatæ ad tempus conceditur. *Ferraris*, v° *Orat.*, n. 4 ; S. Lig. l. VI, n. 337.

Licentia igitur celebrandi in oratoriis proprie dictis a solo Pontifice Romano obtineri potest, et obtenta personæ privilegiatæ inhæret eamque semper sequitur. Exsecutioni tamen demandari non potest quin episcopus diœcesanus eam viderit, ut authenticam agnoverit ac probaverit. Ea conditione ordinarie impertitur et valet pro unica

Missa in die, nisi aliter notetur. *Ferraris*, v° *Orat.*, n. 6; S. Lig. l. VI, n. 359.

4° Privilegio gaudent episcopi et cardinales altare viaticum habendi, illud ubicumque fuerint in propria vel in aliena diœcesi erigendi, atque in eo celebrandi vel celebrare faciendi; cap. 12, tit. 7, lib. V, in Sexto.

Clemens XI, per decretum 15 decembris 1703, hanc facultatem episcopis et cardinalibus abstulerat quoad domos laicas, etiam in propria diœcesi; sed Innocentius XIII, bulla diei 3 maii 1723, a Bened. XIII anno sequenti, 17 sept. confirmata, declaravit prohibitionem Clementis XI non intelligendam esse « de domibus etiam laicis » in quibus dicti episcopi forte occasione visitationis vel » itineris hospitio excipiuntur; ut nec etiam quando epi» scopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis » Apostolicæ licentia, absentes a domo suæ ordinariæ ha» bitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per » modum similis habitationis. »

Cum autem prædictum episcopi privilegium sit personale, alii sacerdotes etiam ipsius comites, eo absente, in domibus privatis celebrare non possunt. S. Ligorius, l. VI, n. 358.

Privilegia hujus generis, quæ nonnulli regulares sibi vindicabant, omnino fuerunt revocata per decretum concilii Trident., sess. 22, ut expressis verbis declaraverunt Clemens XI, Innocentius XIII et Bened. XIV, licet quidam religiosi peculiari gaudeant privilegio sacellum domesticum erigendi, ubi tamen sacra Eucharistia asservari nequit.

5° Diu disputatum est an in mari aliquando celebrare liceat : alii affirmabant, alii negabant, et rationes ex utraque parte afferebantur. Sed Bened. XIV, de Missæ Sacrif. lib. III, c. 6, n. 11, dicit quod per Sedis Apostolicæ praxim omnis sublata fuerit disputatio, et Apostolicum nunc necessarium sit indultum, quod non nisi sub illis conceditur conditionibus : — a) ut totum sit navigium; — b) ut longe absit a littore; — c) ut mare sit tranquillum; — d) ut adsit alter sacerdos vel diaconus

qui, cooriente motu, calicem manu tenere possit.

At nihilominus plures theologi Romæ addictissimi docent, quod si non adsit periculum effusionis sanguinis, omnino licitum sit, saltem ex consensu episcopi, Missam in navibus celebrare, sicut in castris et propter easdem rationes. *Ferraris*, v° *Missæ sacr.*, art. 2, n. 8; S. Lig. l. VI, n. 336. Talis etiam est consuetudo apud nos generaliter recepta.

§ VI. — Imagines in ecclesiis.

I. De antiqua traditione Ecclesiæ circa cultum imaginum. — 1° Cum in veteri Lege omne sculptile stricte prohiberetur, primi Christiani imagines non colebant, nec in ecclesiis et multo minus super altaria habebant, ubi nec crux diu ponebatur. A statuis et sculpturis maxime alieni erant, non quod judicarent usum earum aliquid mali exhibere, sed ne contra præceptum Dei agere viderentur et scandalum præberent Judæis. *Devoti*, t. II, p. 321.

Antiquus tamen mos erat sensibilia objecta, præterita vel absentia, sub figuris exhibere : sic Tertull., l. de Pudicitia, cap. 7 et seq., refert Christianos habuisse Christum in calicibus suis, sub figura boni pastoris ovem super humeros suos reportantis, depictum. Sæpius repræsentabatur Christus sub symbolo agni, quia S. Joannes Baptista de illo dixerat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Spiritus sanctus adumbrabatur sub specie columbæ, et Pater æternus sub signo vocis de cœlo loquentis.

In catacumbis Romanis nuper apertis multæ inventæ sunt picturæ quæ ostendunt usum imaginum esse antiquissimum apud Christianos.

Vetustior imago in ecclesia exhibita, fuit crux sine crucifixo, deinde cum crucifixo, ut probat *Grancolas*. Postea ad ornandas ecclesias et ad fovendam fidelium pietatem, depictæ sunt imagines Christi, Mariæ Virginis, sanctorum et sæpe aliorum, honoris causa, v. g., papæ, episcopi, imperatoris. Unde imagines eorum qui in con-

cilio generali sexto damnati fuerant, ex ecclesiis sublatæ sunt, ut videre est apud *Fleury*, l. XL, n. 27.

2° S. Greg. Magnus, in septimo sæculo, docet imagines servandas esse, « ut qui litteras nesciunt, saltem in pa» rietibus videndo legant quæ legere in codicibus non va» lent. *Epist.*, l. IX, epist. 105. In aliis pluribus locis de imaginibus eodem sensu loquitur. Nihilominus consuetudinem profanas imagines in ecclesiis collocandi adhuc viguisse testis est idem Pontifex maximus, qui Phocæ et Leontiæ augustorum *iconem reponi* jussit *in oratorio S. Cæsarii martyris, intra palatium.*

Quidam ex majori sensu devotionis erga Christum, B. Virginem Mariam aut sanctos, imagines eorum cœperunt honorare eas deosculando, ante eas genu flectendo, candelas vel lampades accendendo, thus adolendo, orando, etc. Occasione hujusmodi cultus gravis exorta est controversia in octavo sæculo, ut in Tractatu *de Incarn.* exposuimus. Ecclesia, in pluribus conciliis generalibus coadunata, definiit cultum sanctarum imaginum esse licitum, et ex illo tempore picturæ et sculpturæ generaliores factæ sunt in ecclesiis tanquam ornamenta et pietatis incitamenta.

Plures inde, diversis temporibus, nati sunt abusus, modo ex inordinato quæstus amore, modo ex ignorantia fidelium. Summi Pontifices et concilia, v. g., Rhotomagense, anno 1445, can. 7, Coloniense, anno 1452, ac præsertim Trid., ses. 25, decreto de *Invocatione... et sacris imaginibus*, eos accurate reprimere jusserunt.

II. De regulis nunc observandis circa imagines quæ in ecclesiis collocantur. — 1° Docendum igitur nullam virtutem in imaginibus residere, nec per se unam altera efficaciorem vel potentiorem esse. Omnis tollenda est figura, picta vel sculpta, deformis, horrorem vel risum potius quam ædificationem pariens, aliquid inhonestum vel profanum exhibens. « Statuit sancta synodus (Trid., » *sess.* 25, *decreto de Invocat. sanctorum et sacris imagi*» *nibus*) nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam » quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel

» ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo appro-
» bata fuerit. » Circa imagines Dei, Spiritus sancti, SS. Trinitatis, videatur Const. Bened. XIV, *Sollicitudini*, diei 1ª oct. 1745.

Urbanus VIII, Const. diei 15 martii 1642, stricte prohibuit ne Dominus noster Jesus Christus, B. Maria, Apostoli, aliique sancti et sanctæ repræsentarentur « cum
» alio habitu et forma quam in catholica et apostolica ab
» antiquo tempore consuevit Ecclesia, nec etiam cum ha-
» bitu peculiari alicujus ordinis regularis. »

2° « Ad primas vesperas dominicæ de Passione coope-
» riantur omnes cruces et imagines Salvatoris per eccle-
» siam, et super altare nullæ ponantur imagines sanc-
» torum. » Cærem. Episc. l. 1, cap. 20. « Aliæ pariter
» imagines quæ in ecclesia reperiuntur simul velis vio-
» laceis tegi debent, » ut ait *Merati*, citans Decret. sacræ Congr. Rit. 4 aug. 1663.

Feria quinta in Cœna Domini crux altaris in quo celebratur Missa solemnis, tegi debet velo albi coloris, violacei vero aliæ cruces.

Ex resp. S. Cong. 16 nov. 1649, imagines non discooperiuntur in festis solemnibus tempore Passionis occurrentibus, ne imago quidem patroni, si festum ejus celebretur.

3° Feria sexta in Parasceve, postquam crux adoranda ab officiatore fuit detecta, omnes aliæ cruces similiter deteguntur; non vero imagines sanctorum quæ velatæ manere debent usque ad hymnum angelicum sabbati sancti, juxta decretum S. R. C., diei 22 jul. 1848.

4° Olim imagines, « non in dominica Passionis, ut
» hodiernus obtinuit usus in plerisque ecclesiis, sed in
» ipso Quadragesimæ initio velabantur; id quod hactenus
» retinuerunt insigniores ecclesiæ non paucæ. » P. *Martène*, t. III, col, 186.

§ VII. — Reliquiæ sanctorum.

I. De antiquo cultu reliquiarum in Ecclesia. — 1° Legitimum esse cultum reliquiis sanctorum exhibi-

tum probavimus ad calcem Tractatus *de Incarn.* Vetustissimus est usus eos solemniter transferendi, in ecclesiis et in altaribus collocandi, venerationi fidelium exponendi, lampades ante eas accendendi, eas thurificandi, etc., ut in pluribus locis testantur S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Aug., S. Chrysost., Ruffinus, Sozomenus, Theodoretus, etc.

2° Primitus sanctorum corpora e tumulis levare et per partes dividere non licebat : S. Greg. Mag., ab imperatrice Constantina rogatus, ut caput vel aliam partem corporis S. Pauli ei mitteret, respondit (*Epist.* l. IV, epist. 3) temerarium fore eorum corpora (Petri et Pauli) non solum tangere, sed vel aliquatenus inspicere. Super ea erigebantur altaria, et novas ecclesias absque reliquiis martyrum dedicari VII concilium generale prohibuit, can. 7, sub pœna depositionis in episcopum qui tanquam traditionum ecclesiasticarum transgressor haberetur.

3° Plurima tamen reperiuntur exempla, etiam ante S. Greg. tempora, reliquiarum S. Crucis Domini, catenarum SS. Petri et Pauli, B. V. Mariæ, id est, vestium ejus, vel aliarum rerum quæ ad eam pertinuerant, S. Joannis Baptistæ, S. Stephani, etc. Postea quando sancta corpora e tumulis levari cœperunt, in pretiosis capsis includi et in ecclesiis honorifice collocari consueverunt, sæpius sub altaribus, et nunquam desuper. Linteamina aliaque objecta ad ea admota, portiones terræ ex eorum tumulis, vel thecarum in quibus exstiterant, vel olei lampadum coram eis ardentium, etc., inter fideles velut reliquiæ dividebantur.

II. De regulis nunc observandis in expositione aut veneratione reliquiarum in ecclesiis. — 1° Mos invaluit ut ipsa corpora minutatim divisa, inter multos distribuerentur, atque innumeræ ecclesiæ eorumdem sanctorum reliquias habere possent, et eas in thecis decenter inclusas, testimoniis authenticis munitas, ab episcopo diœcesano recognitas, super altaria collocari ac publicæ venerationi exponere liceret. Nullas vero, signis authenticitatis destitutas vel ab episcopo diœcesano non appro-

batas, cultu publico honorare et venerationi fidelium exponere licet : id in Decreto concilii Trid. supra citato, expresse vetitum est.

2° In ecclesiis ubi insignis alicujus sancti in Martyrologio notati asservatur reliquia, v. g., caput, brachium, crus, aut alia pars corporis in qua passus est martyr, modo sit integra, non parva, nec simpliciter notabilis, et legitime ab Ordinario approbata, officium illius sancti debet esse duplex et semper dicitur *Credo*, non item ad Missam ejusdem sancti in aliis ecclesiis alio titulo dicendam, nisi solemniter celebretur. Sic S. Congr. Rit. in pluribus decretis a *Merati* citatis.

Idem dicendum est si habeatur reliquia insignis alicujus sancti in Martyrologio non inscripti, sed vere canonizati, sive expresse, sive modo antiquo, cujus recitatur officium et dicitur Missa a tempore immemorabili.

Reliquia insignis asservari non potest apud privatum, nisi magnus sit princeps aut prælatus, nec in oratoriis privatis, sed tantum in ecclesiis, cum expressa episcopi recognitione et approbatione etiam pro ecclesiis exemptis.

3° Reliquiæ privatim habitæ vel spectatæ ab omnibus licite, modo reverenter, tanguntur : publice vero expositæ vel exponendæ, præsertim reliquiæ S. Crucis aut S. Coronæ spinarum, a solis presbyteris aut diaconis tangi, deferri aut exponi debent, idque cum duobus saltem luminaribus et incenso. Sanctorum etiam reliquiæ super altare expositæ vel exponendæ, cum stola inter acolythos lumina gestientes deferendæ sunt, ut docet *Merati*.

Non exponendæ sunt in altare, nequidem per modum ornamenti, ubi SS. exponitur Sacramentum, ex decis. S. Rit. Congr. diei 2 sept. 1741. Nec unquam ponendæ sunt « supra tabernaculum in quo recondita asservatur » sacratissima Eucharistia. » Sunt verba *Gardell.* in Inst. Clementis XII, p. 23. Hæc dispositio generalis extensa est ad reliquias sanctæ Crucis ; *a fortiori* ad statuas et imagines sanctorum extendenda est.

4° Solemnis translatio fieri non potest nisi reliquiarum saltem notabilium ab episcopo recognitarum et cum ejus

approbatione. Ejus est cæremonias translationis determinare. Vide Bened. XIV, de Canoniz. l. IV, p. 2, cap. 6, n. 3, et *Catal.* in Ritual. Rom., t. II, p. 287. Alia de reliquiis tradentur in Tractatu *de Præceptis Ecclesiæ.*

§ VIII. — Campanæ in ecclesiis.

I. De origine campanarum. — 1° In primis sæculis, tempore persecutionum, credibile est Christianos secreto monitos esse per diaconum aut per alium virum ab episcopo designatum ut ad ecclesias convenirent; vel forsitan, ubi persecutionis æstus sedabatur, per aliquod sensibile signum, v. g., sono cornu aut tubæ, de quibus fit mentio in regula S. Pachomii, vel strepitu tabellarum lignearum malleo percussarum, quibus nunc adhuc utuntur Græci in Turcia degentes : usum enim campanarum Turci non permittunt Christianis.

2° Si fides adhibeatur Durando, l. I, cap. 4, n. 1, quædam inventa sunt vasa ænea resonantia in Nola, civitate Campaniæ : unde majora dicta sunt *Campanæ*, a regione Campaniæ, et minora appellata sunt *nolæ*, a civitate Nola.

Campanarum institutio communiter tribuitur S. Paulino, Nolensi episcopo, circa medium quinti sæculi defuncto : at card. *Bona*, l. I, cap. 22, n. 3, Bened. XIV, Inst. 20, et alii merito notant illum sanctum Pontificem ecclesiam a se exstructam per singulas partes describentem, in epist. 12 ad Severum, de campanis et turri campanarum omnino silere; unde concludendum videtur campanas ipsi adhuc fuisse ignotas.

3° Plures alii earum inventionem vel primum usum Sabiniano, in initio septimi sæculi summo Pontifici, attribuunt; sed in Vita S. Columbani, sexto sæculo exarata, legitur eum cæterosque monochos e somno, *pulsante campana*, excitatos, ad templum media nocte se contulisse.

4° Primus tamen qui expressum habuit sermonem de campanis fuit venerabilis Beda, sub initio octavi sæculi; multi itaque usum illarum ad septimum sæculum referendum esse censent, licet earumdem aliqua notio prius jam habita fuerit. Primum quædam habebantur instru-

menta ferrea vel ænea, quæ manu tenebantur, et agitata resonabant tinnitu, et idcirco tintinnabula vocata sunt : eis successerunt campanæ quibus, ut sonus earum longius emitteretur, postea erectæ sunt turres cum cacumine, in cujus summitate plantatur vexillum crucis, ad significandum ædificium Christo esse dicatum, et locatur communiter gallus æneus aut ligneus, non solum ad directiones ventorum indicandas, sed ut fidelibus et pastoribus sit vigilantiæ symbolum, eosque e somno peccati sonitu campanæ excitatos, moneat ad ecclesiam properandum esse.

II. De campanarum benedictione. — 1° Baronius refert, ad ann. 968, t. XVI, Joannem XIII campanam benedixisse et consecrasse antequam in turri Lateranensis ecclesiæ collocaretur, et hunc ritum in Ecclesia perseverasse : verum Capitularia Caroli Magni, ducentis circiter annis antiquiora, campanarum benedictionem memorant, et in Ritualibus Joanne XIII antiquioribus benedictio campanarum describitur, ut ostendit P. *Ménard*, n. 587, ad Sacram. S. Greg.

2° Quoniam in hac benedictione adhibetur aqua benedicta, campana lavatur, oleo infirmorum et sancto chrismate ungitur, nomen ei imponitur, hæc cæremonia vulgo dicta est baptismus; quod vocabulum Ecclesia nullibi approbavit, sed tolerat in simplicibus, modo caute erudiantur hujusmodi campanarum consecrationem nihil habere sacramento Baptismatis simile, nisi in quibusdam ritus externi circumstantiis.

3° Campanæ, antequam in campanili collocentur, benedici et consecrari debent ab episcopo diœcesano, qui facultatem hanc benedictionem faciendi simplici presbytero delegare non potest, ex decreto S. Cong Rit. 19 april. 1687; quia unctio quæ debet fieri cum oleis, est ordinis episcopalis; talis igitur delegatio Sedi Apostolicæ reservatur, et qui indultum obtinuit, alium subdelegare nequit. *Ferraris*, v° *Campana*, n. 8.

4° Privilegio benedicendi campanas gaudent abbates aliique prælati usum pontificalium habentes, pro solis

ecclesiis sibi subditis, ut expresse declaravit S. Cong. Rit. 5 aprilis 1620. *Ferraris*, v° *Campana*, n. 13.

III. De campanarum fine multiplici. — Campanæ ob varios fines pulsari solent, nempe ut fideles ad ecclesiam conveniant; — ad laudandum Deum, v. g., infra consecrationem in Missa solemni, ut sanctissimum adoretur Sacramentum, infra processiones, hymnum *Te Deum*, hymnum angelicum in feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto; — ad annuntiandam mortem fidelium sono lugubri, ut residui pro illis orent; — ad excitandam in animis lætitiam : inde major earum fit percussio in magnis festivitatibus; — ad depellendos morbos, tum corporales, tum spirituales; ad dissipandas turbines et tempestates, quod in earum benedictione sic petit minister : « Ut cum melodia illius auribus insonuerit populorum, » procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor gran- » dinum, procella turbinum, impetus tempestatum, » temperentur infesta tonitrua, ventorum flamina fiant » salubriter ac moderate suspensa, » etc.

Communiter non pulsantur campanæ ipso momento tempestatis et tonitru, ne Deus tentetur; credendum est tamen benedictionem hanc non esse sine effectu, sed quotidiano campanarum sonitu, crescente in populis fidei devotione, procul pelli inimici insidias, aera purgari, temperari tonitrua ipsasque aereas potestates, hoc audientes tintinnabulum, contremiscere et fugari.

Sonus campanarum, ex antiquo usu, feria V in Cœna Domini suspenditur, ad significandum discipulos Christum dereliquisse; et, ex Constitutione Leonis X incipienti *Dum intra*, plures S. Congr. Rit. decretis ac Bened. XIV, Inst. 20, non pulsandæ sunt Sabbato Sancto, in ecclesiis tam regularium quam sæcularium, antequam campanæ ecclesiæ cathedralis, vel matricis, vel parochialis, defectu cathedralis aut matricis, sonuerint, propter honorem principali ecclesiæ debitum : unde si duæ ecclesiæ in eodem loco pari honore gauderent, alternis vicibus primatum sonitus habere deberent, ut expresse *Bened. XIV*, loco citato, docet.

IV. De usu campanarum. — S. Cong. Episc. et Regul., anno 1581, expresse decrevit campanas consecratas, etiam in profana turri existentes usui profano inservire non debere, etiamsi ad hunc finem a sæcularibus fabricatæ prætenderentur : attamen in praxi receptum est ut in signum lætitiæ communis, v. g., dum quis insignis ad dignitatem ecclesiasticam aut civilem promovetur, ad nativitatem principis, ad diem natalitiam regis, ad celebrandam victoriam, etc., pulsentur; vel ad congreganda membra communitatis in casu incendii, inudationis, hostium invasionis, etc., quia in his atque similibus casibus aliquod existit motivum spirituale, nempe bonum societatis, opus charitatis, etc. Id vero non liceret si de privatis negotiis ageretur, et lex civilis 8 april. ann. 1802 (18 *germinal an X*), articul. 43, agnoscit eas ad convocandos fideles esse destinatas, et propter alium finem non pulsandas, nisi ex politiæ localis consensu; supponendum et ex consensu parochi, ut ostendit D. *Affre, Traité de l'administration temporelle des paroisses.*

Ob dissidia pluries exorta inter parochos et magistratus locales pluribus in diœcesibus, notanter in diœcesi Cenomanensi, usus campanarum per ordinationem a præfecto approbatam sic ab episcopo fuit determinatus ut tam parochus quam magistratus sciat quid sibi liceat.

§ IX. — Aqua benedicta ad ecclesiarum januas.

Nota. Triplicis generis distinguitur aqua benedicta; nempe aqua baptismalis, quæ fit cum sancto chrismate, Sabbato Sancto et vigilia Pentecostes; — aqua Gregoriana, a Gregorio IX pro consecratione et reconciliatione ecclesiarum, nec non pro consecratione altarium, præscripta, quæ fit cum sale, cinere et vino, a solo episcopo; — aqua simpliciter benedicta ad aspersionem hominum et rerum, quæ a sacerdote cum immixtione salis benedicitur. De ea sola hic agitur.

I. De antiquitate aquæ benedictæ. — 1° Usum aquæ benedictæ ab apostolica traditione profectum et in Ecclesia seper observatum esse docent card. *Baronius*, ad

an 132, n. 3; *Bona*, l. I, cap. 20; illius mentionem faciunt Tertull., S. Cypr., S. Epiph., S. Ambr. et auctor Const. Apost., l. VIII, cap. 29; formam illam benedicendi describit Micrologus, cap. 46; institutionem ejus tribuit Alexandro I, Pontifici maximo, anno 119 defuncto. Anastasius, in Vita hujus Pontificis, sic habet : « Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedicti in » habitaculis hominum. »

2° In medio vestibuli ecclesiarum primitus erant aquæ salientes, vel putei, canthari aut conchæ, in quibus Christiani templum ingressuri manus et os lavare solebant, ut sic purificati, loco sancto, divinis rebus et sacra communione, quam manu accipere solebant, digniores essent : hanc exstitisse consuetudinem testantur Eusebius, S. Paulinus, S. Chrysost., etc. Inde natus est usus aquam benedictam ad januas ecclesiæ collocandi, ex illa sumendi, se signandi, etc.

3° Hinc etiam mos antiquus quem *Udalricus*, in undecimo sæculo vivens, longe describit apud P. *Martène*, aqua benedicta singulis diebus dominicis, ante Missam solemnem, aspergendi altare, clerum et populum (Cluniaci plura aspergebantur altaria). — Eodem fine aspergi solent objecta benedictione sanctificanda, ut ab eis omnes immunditiæ pellantur. — Cadavera defunctorum, eorum tumuli et sarcophagi similiter asperguntur, ad expellendos dæmones, ne eis illudant, orationes viventium impediant, et in symbolum desiderii quo illorum animam cœlesti rore aspergi optamus. Sic *Cavalieri*, t. IV, cap. 23, *de Aqua benedicta; Ferraris*, v° *Aqua bened.*, n. 5. — Item in monasteriis aqua benedicta spargitur vespere super fratres et sorores, in eorum dormitorium et lectulos, ut videri potest apud P. *Martène*. Aliquid simile pii fideles et clerici facere consueverunt, seipsos et lectum aqua benedicta tingendo, ante dormitionem, ut caveantur nocturna phantasmata : similiter et mane surgentes eadem aqua se perfundunt, crucem in fronte signantes, juxta veterem consuetudinem, cujus meminit P. *Martène*.

4° Nullibi autem reperimus morem aliquando exsti-

tisse ut e templo egredientes aqua benedicta se muniant, sicut ingrediendo fecerant, quanquam id contra externas tentationes utiliter fieri possit.

II. De benedictione aquæ et aspersione. — 1° Aquæ benedictio quibusque dominicis diebus, exceptis dominicis Paschæ et Pentecostes, facienda est *in ecclesia vel in sacristia*, sunt verba rubricæ Ritualis. *Ferraris*, v° *Aqua benedicta*, n. 6; *Catal.*, in Ritual. t. II, p. 16. Id jam fieri consuevisse, juxta canones, testatur Micrologus, cap. 49. Si sanctissimum exponatur Sacramentum, benedictio aquæ fit in sacristia.

2° Hæc benedictio est sacerdotalis; a clerico inferiori fieri non potest, et sacerdos excommunicatus aut suspensus eam faciens, fieret irregularis, *Ferraris*, v° *Aqua benedicta*, n. 4.

3° Aspersio aquæ benedictæ nunquam omittitur diebus dominicis, ut expresse habent Gavantus et *Merati*, et Missale Romanum evidenter supponit : per ipsum facienda est celebrantem alba et stola cum pluviali coloris diei indutum, etsi in prima dignitate constitutum, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas Missalis et dispositionem Cæremonialis episcoporum, l. II, cap. 40. S. Cong. Rit. 27 nov. 1632 et 16 nov. 1649.

4° Episcopus tamen celebraturus aspersionem non facit, sed ejus loco simplex sacerdos cum superpelliceo et stola; sic, referente Gavanto, statuit Greg. XIII, 30 decembris 1573, et Cæremoniale episc., l. II, cap. 31, dicit episcopo solemniter celebraturo, aspersionem omittendam esse.

5° Non aspergitur altare in quo sanctissimum expositum est Sacramentum, ut expressis vocibus asserit Gavantus; sed aliæ consuetæ fiunt aspersiones.

6° S. Cong. Rit., die 26 nov. 1605, decrevit canonicos singulatim aspergendos esse, incipiendo ab iis qui sunt in cornu dextro, non vero unico ictu in circulum; ipsum præsentatur aspersorium episcopo, manum ejus osculando. Similiter singillatim aspergi debent sacerdotes, si sint

in parvo numero : S. R. Cong., die 27 septembris 1698. Cæteri per ictum circulosum asperguntur.

7° Episcopo ad ecclesiam accedenti præsentandum est aspersorium, non a vicario generali aliave dignitate eum comitante, sed a parocho vel a digniore illius ecclesiæ, vel a capellano, si de capella agatur, et non a parocho in cujus territorio existit capella, ut diserte ostendit Benedictus XIV, Inst. 105, § 128.

8° Dicta S. Rit. Congr. declaravit, die 7 junii 1704, gubernatori civitatis, et *a fortiori* alteræ dignitati civili, judiciali aut militari eo superiori, ad ecclesiam accedenti, præsentandam esse aquam benedictam per aspersorii contactum, non vero per illius traditionem.

9° Ad consequendos effectus aspersionis, non requiritur ut aqua benedicta res aut personas physice tangat; contactum moralem sufficere docent *Quarti* et *Ferraris*, si personæ ad quas dirigitur aspersio eam aliquo signo externo, v. g., inclinatione, signo crucis, acceptent; vel, ubi res inanimatæ benedicuntur, si aspergens intentionem suam ad omnes dirigat, tunc illæ ad quas aqua sanctificata non pervenit physice, nihilominus sunt benedictæ.

10° Aquam benedictam in usus profanos convertere ex contemptu, peccatum est mortale : citra contemptum, v. g., ad humectandum atramentarium, juxta quosdam esset duntaxat peccatum veniale, quia ipsomet usu profano hæc aqua benedictionem suam amitteret; juxta alios non rigidiores, peccatum foret mortale, propter gravem indecentiam ac irreverentiam. Eamdem aquam ad usus evidenter superstitiosos scienter adhibere, peccatum proculdubio mortale esset.

ARTICULUS QUINTUS.

DE ALTARI ET EJUS ORNAMENTIS.

Dicemus 1° de altari in genere; 2° de altarium consecratione; 3° de altarium exsecratione et pollutione; 4° de ornamentis altaris.

§ I. — De altari in genere.

I. De nomine et origine altarium. — 1° Altare sic vocatur ab *altitudine*, juxta plures auctores, et nomen sortitur ab antiquis ethnicis, qui sacra in ædificiis a terra elevatis faciebant diis superis : juxta alios sic appellatur, quia est *alta res* vel *alta ara*. Sæpe etiam dicitur *mensa*, quia super illud præparatur victima edenda.

2° Noe primus videtur, in Genesi, ædificavisse altare Domino, et ab ejus ætate semper exstiterunt altaria. Scimus quid ipse Deus præscripserit per Moysen in veteri Lege circa templum et altare. Apostoli et primi eorum successores usum altaris habuerunt, ut patet his B. Pauli verbis, I Cor. ix, 13 : *Qui altari deserviunt, cum altari participant;* et Hebr. xiii, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* S. Ignatius, S. Irenæus, Orig., Tertullianus, S. Cyprianus, Eusebius, S. Optatus Milevitanus aliique priorum sæculorum Patres aram Dei et altare nominant aut evidenter supponunt, ut card. *Duperron, Bona, Devoti*, etc., expressis testimoniis ostendunt adversus Calvinistas qui, præsentiam realem negantes, impudenter asserebant per tria priora sæcula Christianos non habuisse altaria in stricto sensu dicta.

II. De diversis generibus altarium et de eorum confectione et numero. — 1° Duplicis generis sunt altaria : alia immobilia seu fixa et alia portatilia.

Altaria *immobilia* seu *fixa* ea sunt quæ in ipsa consecrationis operatione in basi sua solidantur, ita ut moveri non debeant. Altaria vero *portatilia* sunt lapides mobiles, qui seorsim consecrantur, non nisi post consecrationem collocantur, et ad nutum de loco ad locum transferri possunt ; ideo dicuntur etiam viatica. Sepulcrum sacrarum reliquiarum est sub altari fixo, id est sub ara lapidea. Triplici modo sepulcrum reliquiarum disponi potest: in medio tabulæ altaris, a parte superiori, si nempe tabula effodiatur aut perforetur in medio; — in stipite, a parte anteriori vel superiori; in utroque casu episcopus

claudit sepulcrum cum lapide convenienter aptato; — sepulcrum potest esse in summitate stipitis et ipsa mensa altaris supra illud ponitur, ut explicatur in Pontificali, ad calcem tituli *De altaris consecratione quæ fit sine dedicatione ecclesiæ*. Ultimus hic modus nunc videtur magis usitatus saltem apud nos.

2° Primitus erant lignea, ut plurimum; deinde præscriptum est ut essent lapidea, quia *Petra erat Christus*, I Cor. x, 4. « Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis » unctione non consecrentur; » Decreti 3ª parte, dist. 1, can. 31. Canon ille ex concilio Epaon., anno 517, can. 26, eductus est. Sufficit tamen ut sint lapidea in ea parte in qua consecrantur · unde altare ligneum cum ara lapidea permittendum esse censuit S. Congr. Rit. 10 nov. 1612. Aræ illius magnitudo talis esse debet ut pes calicis et hostia in ea commode capi possint : ita communiter tenent doctores, ait *Ferraris*, v° *Altare*, n. 6; et inter altare fixum ac portalile non distinguunt. Itaque merito inde concluditur necessarium non esse ut ara lapidea sit longa; si immobiliter sit fixa, et in eo statu consecretur, erit altare fixum seu immobile, quamvis ordinarie totam longitudinem altaris teneat.

3° Primis temporibus, testimoniis S. Ignatii, S. Irenæi, S. Cypriani, Tertull., Eusebii, etc., constat unicum fuisse altare in unaquaque ecclesia, ad unitatem Christi, Ecclesiæ et sacerdotii perfectius significandam : Græci huc usque unum tantum habent altare in ecclesiis; sed in circuitu ecclesiæ, exterius, juxta *Grancolas*, plura sunt, et olim apud Latinos plura erant oratoria in quibus privatæ dicebantur Missæ. Imo, in nonnullis ecclesiis, per exceptionem, plura erant altaria : *Arrenghi* et *Boldetti* id concludunt ex eo quod in eadem ecclesia plura erant martyrum corpora, quia super unumquodque erigebatur altare. In basilica Vaticana plura erant altaria. Constantinus tria curavit erigenda in ecclesia S. Sepulcri. S. Greg, Magnus, Epist. l. vi. epist. 59, agit de decem et tribus altaribus in eadem ecclesia dedicandis, et ex eo tempore valde multiplicata sunt. Non prohibetur ne plura sint

altaria fixa in eadem ecclesia : imo in Decretal. l. III, tit. 40, cap. 5, legitur : « Noveris quod plura in ecclesia una » altaria... poteris simul consecrare. » Non ibi agitur de altaribus portatilibus quæ communiter in ecclesia non consecrantur. Ergo.

§ II. — De altarium consecratione.

I. An necessario et a quo fieri debeat altarium consecratio. — 1° Quidam arbitrati sunt altaria per solam Missæ celebrationem consecrari; sed concil. Agathense, anno 506 celebratum, can. 14 relato in Decreto, dist. 1, can. 32, habet : « Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. » Certum est igitur sacrificium eucharisticum peragi non posse nisi in altari, sive fixo, sive portatili, ab episcopo consecrato : et si de consecratione illius dubitetur, consecrandum est antequam Missæ super illud celebrentur; Decret. dist. 1, can. 18. Qui secus ageret, mortaliter peccaret : « Cum hæc sit transgressio gravis legis et consue- » tudinis ecclesiasticæ, in qua nec episcopus dispensare » potest, » inquit *Ferraris*, v° *Altare*, n. 41.

2° Expresse prohibitum est presbyteriis, Decreti part. 1, dist. 68, can. 4, et part. 2, causa 26, q. 6, can. 3, ne altare præsumant consecrare; nec episcopus ad id simplicem presbyterum delegare potest, quia in jus commune canonicum non habet potestatem. Summus vero Pontifex, cum ab illo jure dispensare possit, facultatem altaria consecrandi simplicibus conferre potest presbyteris, et reipsa Leo X hanc concessit facultatam fratribus ordinis Minorum ad Indias Orientales proficiscentibus, Paulus III presbyteris societatis Jesu, ut in locis remotissimis infidelium ubi episcoporum copia non habetur, altaria consecrare possint, et Pius VI eamdem dedit potestatem pluribus sacerdotibus Gallicanis tempore persecutionis in fine ultimi sæculi exortæ.

3° Abbates et prælati, usu pontificalium gaudentes, altaria consecrare possunt, sed pro ecclesiis et religiosis

sui ordinis tantum, ut S. Congr. Episc. et Regul. pluries decrevit.

II. De observandis circa reliquias et unctiones in consecratione altarium. — 1° Inter theologos et canonistas controvertitur an reliquiæ sanctorum ad essentiam consecrationis altarium sint necessariæ : plures negant, dicentes nullibi expressum inveniri præceptum de ponendis reliquiis in altaribus consecrandis, aut præceptum in nonnullis canonibus expressum non fuisse universaliter receptum, vel saltem per contrariam consuetudinem abrogatum fuisse. Pro hac opinione citantur Sotus, *Suarez*, *Vasquez*, *Layman*, etc. Alii vero, nunc saltem, ut communius, *Sylvius*, *Azor*, *Habert*, *Tournely*, Gavantus, S. Ligorius, *Ferraris*, etc., contendunt reliquias sanctorum ab Ecclesia approbatorum ad consecrationem cujuslibet altaris, sive fixi, sive portatilis, omnino necessarias esse ; et nituntur : — a) canone 26, dist. 1, 3 part. Decreti, ex concilio Africano deprompto, in quo præcipitur ut altaria reliquiis carentia ab episcopis evertantur ; — b) concilii Nicæni II can. 7, ubi dicitur nullum consecrari templum sine reliquiis sanctorum ; — c) consuetudine Ecclesiæ, per orationem *Oramus te per merita sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic sunt*, etc., sufficientur indicata; — d) pluribus S. Congr. Rit. decretis, in quibus supponitur legitima non esse altaria sine reliquiis.

2° Non est dubium quin summus Pontifex a conditione ponendi reliquias in altaribus dispensare possit, et in eo casu, licet plures arbitrentur voces, *quorum reliquiæ hic sunt*, omittendas esse, et dicendum, *Oramus te per merita sanctorum tuorum ut indulgere digneris*, etc., probabilius tamen videtur nihil esse mutandum ; quia, cum ex lege communi hic adesse soleant reliquiæ, verba *quorum reliquiæ hic sunt*, verificantur, etiam in casu in quo per accidens desunt, sicut *Dominus vobiscum*, et *Vobis fratres, Misereatur vestri*, etc., ubi unus assistit. Ita *Merati* et plures cum illo.

3° Ubi reliquiæ sanctorum deficiunt, particulam hos-

tiæ consecratæ reponere non licet in altaris sepulchro, reliquiarum loco : esset quippe manifestus Sacramenti abusus. Attamen quando de altari fixo agitur, major fit reliquiarum fovea et in ea includi solent, cum cæremoniis in Pontificali descriptis, nomen episcopi consecrantis et sancti in cujus honorem altare consecratur; *Ferraris*, v° *Altare*, n. 18. Fovea autem in altari fixo ordinarie fit sub ara, etiam in massa. In altari vero portatili parvum faciendum est foramen in una facie, vel in uno latere. Solæ ibi recunduntur reliquiæ in modicata quantitate et saltem duorum sanctorum ab Ecclesia approbatorum, et episcopali sigillo cum cera muniuntur : fovea vel foramen ita sigillo munitum vocatur *sepulcrum*.

4° Altaria non consecrantur sine unctionibus cum sancto chrismate et oleo catechumenorum ; quæ unctiones ad essentiam consecrationis pertinent, et solus Papa ab illis dispensare posset. Unde Pius VI, ad diversa quæsita a presbyteris Gallicanis sibi proposita, die 26 julii 1794, respondens, facultatem eis concessit Missam sub dio vel in quolibet loco, supra altaria portatilia, sine ministro celebrandi, et altaria portalitia consecrandi, *cum oleis tamen ab episcopo benedictis*. Conditionem reliquiarum non apposuit : eo ipso ab illa dispensasse censetur. Hinc factum est quod multa existant altaria portalitia in ecclesiis locata in quibus nullum invenitur reliquiarum vestigium. Nunc prorsus irregularia videntur.

Nota. S. Rit. Cong. respondit, die 3 augusti 1697, antiqua tantum altaria sanctis Veteris Testamenti dicata esse permissa. Ex eo igitur tempore non licuit istiusmodi dedicare altaria.

§ III. — De altarium exsecratione et pollutione.

Pluribus modis exsecrantur altaria, ita ut nova consecratione indigeant, videlicet :

1° Si tabula altaris fixi, id est, lapis superpositus, cui adhibita fuit episcopalis consecratio, enormiter confracta vel imminuta fuerit, ita ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode amplius continere nequeat ;

Decretal. l. III, tit. 40, cap. 1 et 3; si vero ille lapis modice tantum confractus aut minutus fuisset, v. g., si cornua solumnodo essent confracta, altare non esset exsecratum, nec denuo consecrandum; Decretal. ibid., cap. 6. In dubio autem res committenda est judicio episcopi.

2° Quando prædictus lapis seu mensa superior consecrata movetur a basi cui erat immobiliter affixa, altare denuo consecrandum est, ut expresse habetur in Decretal. l. III, tit. 40, cap. 1 et 3, et confirmatur per S. Cong. Rit., die 15 maii 1819, *Gardell.* t. VI, p. 123 et 124).

3° Altare portatile non exsecratur per motum vel separationem a lignis aut cæmentis quibus circumdatur, cum eo fine consecratum fuerit ut moveatur, neque per modicam fractionem, dum idem moraliter remanet. Contra vero exsecratur si anguli in quibus ponitur chrisma notabiliter minuantur, aut ipsum ita frangatur ut pars remanens calicem et hostiam cum patena commode continere non possit. Ita generaliter theologi et canonistæ; *Ferraris*, v° *Altare*, n. 30. Probabilius videtur amissionem unius crucis, modo pars remanens late sufficiat ad continendum calicem et patenam, exsecrationem altaris non inducere.

4° Altare, sive mobile sive immobile, ut exsecratum haberi debet, si fractum fuerit sepulcrum aut amotæ reliquiæ; quia licet plures contenderint reliquias ad essentiam consecrationis non pertinere, consuetudo Ecclesiæ est altaria sine reliquiis non consecrare, et, fracto vel amoto sepulcro, iterum consecrare. Ita tenent Sylvius, *Pontas*, *Habert*, *Laymann*, *Tournely*, *Ferraris*, S. Ligorius. In confirmationem hujus sententiæ plura citantur decreta S. Cong. Rit., nempe 5 martii 1603, et 5 martii 1623, in quibus expresse dicitur: « Altare portatile tunc » consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco mo» vetur repositorium reliquiarium. Celebrari non potest » super altare a quo furtim, non amota vel fracta mensa, » substractæ fuerint reliquiæ a militibus, nisi altare de » novo consecretur; S. Ligorius, l. VI, n. 369.

Non sufficeret ergo reliquias, et ipsas e sepulcro ex-

tractas, reponere et obsignare, quidquid in contrarium, ex errore, dicant *Collet* et Rit. Bellic., t. I, n. 1000.

Plures tamen, ut *Sporer* et *Tournely* apud S. Ligorium, qui eis consentire videtur, dicunt quod, urgente necessitate, in altari reliquiis carente celebrare liceat.

5° Ex decretis S. Congr. Rit. 10 nov. 1599, 2 junii 1629 et 13 junii 1635 : « Si sub altari vel sub ejus gradibus » humata sint defunctorum cadavera, non est illic cele- » branda Missa, donec alio transferantur. » Excipitur tamen, apud S. Ligorium, si cadavera sint profunde inhumata, in aliqua cella sub fornice constructa; quia cadavera videntur sufficienter ab altari separata, ut verba *quorum reliquiæ hic sunt*, in ea non cadant. Vide *Ferraris*, v° *Altare*, n. 48.

6° Lapides altaris exsecrati, ipsamet mensa quæ fuerat consecrata, licite vendi et ab emptore retineri possunt, dummodo tamen in loco decenti et honesto collocentur. S. Congr. Rit. 9 maii 1606.

7° Polluta vel violata ecclesia, eo ipso polluitur altare in ea fixum; quia pollutio totam afficit ecclesiam, ac proinde altare ei immobiliter adhærens : verum exsecratio ecclesiæ non importat exsecrationem altaris, et a *fortiori*, exsecratio altaris non facit ut ecclesia sit exsecrata : Decretal. l. III, t. 40, cap. 1. Ratio est quia consecratio ecclesiæ et consecratio altaris sunt duæ actiones distinctæ, ab invicem separabiles : una fit in parietibus templi, et altera in mensa altaris.

Altaria portatilia non exsecrantur, nec polluuntur per exsecrationem vel pollutionem ecclesiæ, quia ab illa sunt omnino distincta.

8° Altare ab episcopo consecratum, vel in ecclesia consecrata erectum, absque licentia episcopi destrui non potest; non potuit enim absque illius licentia erigi, ex can. 25, dist. 1 tertiæ partis Decreti : ergo nec destrui potest, quia unum aliud importare videtur. Altaria non consecrata et in ecclesiis non consecratis a simplicibus presbyteris erigi et destrui possunt, seclusa episcopi prohibitione, ut communiter sentiunt canonistæ et fere

praxis. Non benedicuntur quia sola petra consecrata est proprie loquendo altare, id est, altare portatile : cætera sunt ejus ornamenta.

9° « In altari in quo episcopus Missam cantavit, pres» byter eodem die Missam celebrare non præsumat. » Propria sunt verba can. 97, dist. 2 tertiæ partis Decreti; sicque, ex glossa, statutum fuit propter reverentiam debitam episcopo, qui igitur licentiam super altari prædicto celebrandi concedere potest. Plurimi volunt hanc juris dispositionem vel nunquam obtinuisse, vel contraria consuetudine desiisse. Verum Bened. XIV, Const. *In postremo*, 10 octob. 1756, § 9, asserit hoc communi sententiæ adversari, et in bene constitutis diœcesibus privilegium episcopale religiose custodiri. Attestatur insuper in » altaria pontificis intra patriarchales urbis basilicas non » posse quemquam celebrare Missam, nisi id ipsi fuerit a » Romano pontifice per Apostolicum breve indultum : » et idem observandum respectu altarium a summo Pontifice consecratorum, ad certas ecclesias missorum, atque papalium honoris causa declaratorum.

§ IV. — De ornamentis altaris.

Præcipua ornamenta quæ requiruntur sunt mappæ, crux et lumina.

I. Mappæ. — 1° Vetustissimus est usus altare linteaminibus cooperire. « Quis fidelium nescit, inquit S. Optatus » Milevitanus, l. VI, in peragendis mysteriis ipsa ligna » linteamine operiri? Inter ipsa sacramenta velamen po» tuit tangi, non lignum; » id est altare, quia tunc in Africa altaria erant lignea. Refertur quemdam Proculum, ab impio Genserico adversus catholicos missum, e linteis altaris subuculas et femoralia sibi fecisse. In decreto, tertia parte, dist. 2, can. 27, statuitur quod si per negligentiam aliquid de sanguine Christi super altare ceciderit, et usque ad quartum linteamen pervenerit, celebrantem viginti diebus pœniteat. Supponitur ergo tria esse linteamina, præter corporale.

2° Rubrica Missalis Romani præscribit tres esse mappas

vel tobaleas mundas, ab episcopo vel ab alio potestatem habente benedictas, superiorem saltem oblongam usque ad terram pertingentem, quod hodie non est in usu, inquit S. Ligorius, l. VI, n. 375, et duas alias breviores, vel unam duplicatam quæ mensam altaris bis cooperiat, ita ut sub corporali tria sint linteamina munda, independenter a linteamine crasso quo nonnunquam petra sacra involvitur. Illud namque involucrum, sæpe squalidum, haberi non potest ut mappa.

3° Mappæ dicuntur in jure *lineæ* vel *linteamina :* hinc recte concluditur eas ex puro lino conficiendas esse. Sed probabilius communissime tenent auctores eas ex cannabe confectas sufficere. Non admittitur pannum quantum vis album sive ex lana, sive ex serico, saltem pro corporali, ut patet ex Decreto, 3ª part., dist. 1, can. 46 : « Statui- » mus ut sacrificium altaris non in serico panno aut tincto » quisquam celebrare præsumat, sed in puro lineo ab epi- » scopo consecrato. » Xylinum (*le coton*), decreto S. Cong. Rit. diei 15 maii 1809, diei 28 ejusdem mensis et anni, approbato a Pio VII, omnino prohibetur pro linteaminibus ad divinum sacrificium destinatis. Permittit tamen S. Cong. ut amictus, alba et mappæ ex xylino confecta inserviant, sed vetat ne alia conficiantur nisi ex lino aut cannabe.

4° Ut probabile docetur apud S. Ligorium, qui huic sententiæ adhæret, uti mappis non benedictis culpam venialem non excedere, et, in necessitate etiam non gravi, mappa communi, ad usus communes postea reddenda, uti licere.

Celebrare cum una aut duabus tantum mappis sine necessitate, peccatum esset saltem veniale, quia notabilis foret infractio Rubricæ a Clemente VIII præscriptæ; sine ulla mappa et extra necessitatem, peccatum haberetur ut certo mortale : sic autem in gravi necessitate agere, puta, ad dandum viaticum moribundo, vel ne populus die festivo Missa careat, communis opinio tenet nullum fore peccatum.

5° Pars anterior altaris, nisi sit marmorea, vel aliter

ornata, paramento, vulgo *devant d'autel*, coloris diei convenientis decorari debet, ut expresse docet Gavantus, part. 1, tit. 20.

II. Crux. — 1° Bened. XIV arbitratur, de Missæ sacrif. l. I, cap. 3, a traditione Apostolica derivatum esse ut quis sine cruce in alteri posita Missam non celebraret. Communius tamen tenetur hunc usum in primis sæculis non exstitisse, vel universalem non fuisse, et ideo nunc adhuc in pluribus ecclesiis celebrantem ad altare progredientem, parvam deferre crucem in altari collocandam. Carthusiani et Dominicani ad cornu epistolæ dicunt *Kyrie, eleison, Gloria in Excelsis,* et populum salutant; quia olim, cum in medio altaris crux non existeret, nulla erat ratio cur sacerdos huc ad populum salutandum rediret.

2° Cum Rubrica simpliciter dicat *super altare collocetur crux in medio,* Rubr. gen. tit. 20, n. 1, et de imagine Christi in cruce affixi sileat, plures crediderunt nudam crucem illius dispositioni sufficere. Sic *Merati.* Alii vero longe communius requirunt, saltem sub veniali, crucem cum imagine crucifixi. Verum Bened. XIV in Const. *Accepimus,* 16 junii 1746, dicit : « Illud permittere nul» latenus possumus, quod Missæ sacrificium in his alta» ribus celebretur quæ careant imagine crucifixi, vel » ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebran» tem, vel ita tenuis et exigua sit ut ipsius sacerdotis et » populi assistentis oculos pene effugiat. » Declarat id alienum esse a legibus Ecclesiæ, sacræ antiquitati et ecclesiarum etiam orientalium consuetudini maxime contrarium. Deinde refert Rubricam Missalis, Pontificalis Romani, Cæremonialis episc. et ritus ecclesiarum orientalium.

« In altari in quo adest magna statua sanctissimi cru» cifixi, non est necesse ut ponatur alia crux, dum cele» bratur Missa. » Sunt verba S. Congr. Rit. 16 junii 1663, in indice *Merati,* n. 400. Communius tenent auctores hanc decisionem valere, sive imago Christi crucifixi sit cælata sive picta, modo non sit exigua, et ante celebrantem commode statuatur.

3° Ex eodem autem S. Congr. decreto, crux parva, cum imagine crucifixi, posita super tabernaculum in quo asservatur inclusum sanctissimum Sacramentum, non est sufficiens in Missa; sed alia ponenda est crux in medio candelabrorum : si vero crux in tabernaculo posita eminens esset, alia non requiretur.

S. Congr. Rit. die 14 mai 1707 definierat crucem cum imagine crucifixi ponendam esse in altari, ubi sanctissimum Sacramentum venerationi fidelium exponitur, ut ibi celebraretur Missa. Sed eadem Congregatio, re de novo perpensa, decrevit, die 1ª sept. 1740, ut quælibet ecclesia morem quam antea servabat, in posterum retineret. Bened. XIV, in Constitutione citata.

4° Sacerdos qui, absque necessitate, celebrat sine cruce, a peccato saltem veniali excusari non potest, *ut patet ex dictis*. Verum *Suarez, Layman, Bonacina, Tournely, Merati*, aliique communissime docent peccatum esse duntaxat veniale, et nullum, si rationabilis adsit causa.

5° Cruces altarium seu processionum non sunt de præcepto benedicendæ; Congr. Rit. 12 julii 1704, in indice *Merati*, n. 584. Potest simplex sacerdos eas benedicere privatim, non vero solemniter, ut fert idem decretum.

Similiter et imagines quæ in templis adhibentur, benedici possunt, idque congruum est, non præceptum, inquiunt *Merati* et S. Ligorius, Pignatellum citantes. Attamen hujusmodi crucifixi et imaginum benedictio inter benedictiones episcopales in Rituali Romano collocatur.

III. Lumina. — 1° Usus luminum inter sacra peragenda est antiquissimus : existebat quippe in veteri Lege, ut patet ex descriptione lucernarum accensarum et candelabri aurei pretiosissimi in cap. 25 Exodi facta; a Judæis ad Christianos transiit. Primum sæpe necessariæ erant lucernæ, quia sacra mysteria, ob metum persecutorum, in cryptis celebrari solebant : sed propter alios fines eas fuisse adhibitas testatur S. Hieronymus adversus Vigilantium, 2ª part., dicens : « Per totas Orientis Ecclesias, » quando legendum est evangelium, accenduntur lumi-

» naria, jam sole rutilante; non utique ad fugandas tene-» bras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. » Multa alia citari possent testimonia ex quibus aperte deducitur cæcutire Protestantes, quando affirmare audent non nisi ob necessitatem adhibita fuisse luminaria, in tribus primis sæculis, ad sanctissima mysteria celebranda.

Hæc autem luminaria primitus in altari non erant posita, sed in variis ecclesiæ partibus, et præsertim ante altare, modo in forma stellæ coruscantis, modo velut circulus zonam firmamenti repræsentans, modo in machina ferrea quæ dicebatur hersia, modo in candelabris, tres, quinque, septem, etc., habentibus calamos et super pavimento locatis. Serius habita sunt candelabra lignea, cuprea, argentea, aurea vel deaurata, saltem duo, vel quatuor aut sex, et sæpe numerosiora, hinc et inde in altari posita, cera vel oleo munita, quæ in majori vel minori numero accenduntur, juxta gradum solemnitatis. Mos invaluit ut sola admitteretur cera : igitur acolythi luminaria deferentes ceroferarii vocantur.

2° Rubrica Missalis præscribit, parte 1, tit. 20, ut *candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere* collocentur : ab illa recedere non licet.

Omnes fatentur celebrare sine ullo lumine, etiam ad dandum viaticum moribundo, peccatum esse mortale; quia in Decretal. l. III, tit. 41, cap. ultimo, graviter inculpatur sacerdos qui *sine igne*, id est sine lumine, sacrificat.

Unde si ante consecrationem deficiat lumen, omnino desistendum est a celebrando : secus, si post consecrationem. Ita S. Ligorius et plures apud ipsum, l. VI, n. 394. Si candelæ intra breve tempus reaccendi possint, exspectandum est donec accendentur, et pergendum erit.

Cum ex mandato S. Pii V, Evangelium S. Joannis nunc ad integritatem Missæ pertineat, illud exstinctis luminibus recitare non licet : curandum est igitur ne ministri cereos ante finem hujus Evangelii exstinguant; et nihilominus sacerdos turbari non debet si, dum illud Evangelium recitat, minister cereos exstinguit.

3° Rubrica Missalis exigit ut, præter duo luminaria omnino requisita, ad *Sanctus* tertium pro elevatione in honorem sanctissimi Sacramenti accendatur. Hæc tamen rubrica nan videtur obligare, et usus contrarius generaliter invaluit. In Missis solemnibus deferenda sunt intor titia accensa.

4° In altari ubi expositum est SS. Sacramentum, sex ad minus candelæ cereæ ardere debent, ex S. R. C. decreto **15** martii **1698**.

5° Ut probabilius docet S. Ligorius cum multis aliis, in casu necessitatis, non vero propter solam devotionem, licitum esse cum candelis ex sebo vel ex oleo celebrare : secus, mortale esse peccatum, quia esset derogatio universali Ecclesiæ consuetudini et in re gravi.

Unicum adhibere lumen cereum probabiliter veniale esset peccatum secluso scandalo, et nullum, si rationabilis causa celebrare suaderet, v. g., circumstantia alicujus festi, et abesset scandalum.

6° Cardinales et episcopi jus habent celebrandi cum quatuor candelis. Item abbates in ipso pontificalium usu, id vero aliis non permittitur, nec etiam vicariis generalibus, nisi solemnitas officii postulet. Decretum Congr. Rit. **7** augusti **1627**.

Candelabra et ipsæ candelæ nulla indigent benedictione, ut expresse advertit S. Ligorius, l. VI, n. 395, quia requiruntur tantum ad decentiam, et ita fert usus ubique receptus.

Tabulæ secretarum, vulgo *les cartons d'autels*, non sunt de præcepto.

IV. MUNDITIES ALTARIUM. — 1° Altaria in quibus divinum celebratur sacrificium, nitida semper esse debent : igitur scopis undequaque reverenter mundanda sunt, et mappæ sat frequenter mutandæ ut nunquam appareant sordidæ. Ut a pulvere, cera aliave qualibet sorde custodiantur mundæ, finitis Missis, contegendæ sunt panno, aut aliis stragulis ad mensuram altarium factis.

Si fides auctori *Prati spiritualis*, in initio septimi sæculi scripti (*Fleury*, l. XXXVII, n. 19), adhibeatur, singula

altaria consecrata Angelum custodem habent, sicut singulæ ecclesiæ Deo dicatæ : hæc consideratio novum subministrat motivum et servandi munda, et non permittendi ut aliquid indecens, profanum, ad cultum divinum non attinens, in illis deponatur.

2° Floribus veris aut fictis, pro temporum varietate, ornari decet altaria ; sed vas florum aut quid simile ante ostiolum tabernaculi in quo depicta est imago Domini nostri Jesu Christi non est collocandum, ut declaravit S. Cong. Rit. 22 januarii 1791, nec etiam super tabernaculum, quia debet esse *ab omni re vacuum*, juxta Pontificale Romanum.

Nihil obstat quominus statuæ aut imagines sanctorum et capsæ reliquiarum in gradibus altaris, SS. Sacramento non exposito, collocentur ; non autem supra tabernaculum in quo asservatur S. Eucharistia.

ARTICULUS SEXTUS.

DE VASIS SACRIS ET OBJECTIS AD EA ATTINENTIBUS.

Vasa sacra sunt calix, patena, ciborium et ostensorium ; objecta ad vasa sacra attinentia sunt corporale, palla et purificatorium. De singulis, quantum potuerimus, breviter dicturi sumus.

§ I. — Calix et patena.

I. De necessitate et materia calicum. — 1° Constat Christum in ultima cœna calicem adhibuisse et extra omne dubium est illius usum in oblatione divini sacrificii Eucharistiæ semper exstitisse. In primis temporibus calices sæpe fuerunt lignei, vitrei, lapidei, stannei, ut ostendunt *Grancolas*, Bened. XIV, de Missæ sacrif. l. I, cap. 4, etc. Non raro tamen erant argentei, aurei et etiam gemmis ac picturis ornati, ut patet testimoniis Tertull., lib. de Pudicitia, cap. 7 et 10, S. Chrysost., etc.

2° Sed a multis sæculis obsolevit usus calicum ligneorum, propter porositatem ; vitreorum vel ex crystallo, propter fragilitatem ; ex cupro, ære vel aurichalco, prop-

ter æruginem : et in Decreto, parte 3, dist. 1, can. 45, præcipitur « ut calix Domini, cum patena, si non ex auro » omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, » saltem et stanneum calicem habeat. » Nunc apud nos calices stannei stricte prohibentur, et ab omnibus ecclesiis exigitur ut habeant calicem cujus saltem cuppa sit ex argento interius auro linita. Permittuntur calices ex gemma quæ sæpe pretiosior est quam aurum.

3° Cum olim in multis ecclesiis magna vini quantitas consecranda esset, ut omnes sub ea specie communicare possent, vel plures in altari ponebantur calices, vel unus, sed amplus et ansatus ut facilius moveri et deferri posset. Anastasius Bibliothecarius, in Vita Leonis III, memorat calicem quinquaginta et octo librarum, et in Vita Gregorii III, alterum ponderis triginta et quatuor librarum.

4° Patena, sic dicta quia quod in ea est patet et non est occlusum sicut vinum in calice, olim tantæ erat amplitudinis ut species pro tota multitudine consecrandas contineret : nunc modicus est discus, saltem argenteus, et auro in concava superficie bene linitus. In casu necessitatis episcopus permittere posset usum calicis et patenæ ex stanno.

5° Qui ob solam paupertatem utitur calice non inaurato, ab omni peccato excusatur, seclusa speciali episcopi prohibitione ; imo in eo casu licet uti calice stanneo non inaurato, vel æneo aut cupreo bene aurato, ita ut ærugo non timenda sit : at, extra magnam paupertatem, peccatum esset saltem veniale, ut docent *de Lugo*, *Tournely*, S. Ligorius, etc. Utendo calice argenteo olim inaurato, sed cujus inauratio omnino aut fere omnino deleta est, non ita facile graviter peccatur ac si calix nunquam fuisset inauratus ; quia non tanta est irreverentia.

II. De calicum consecratione. — 1° Necesse est ut calix et patena ab episcopo cum sancto chrismate consecrentur, juxta formam in Pontificali Romano statutam : ita omnes, universali consuetudine, argumentis ex jure canonico deductis et pluribus S. Congr. Rit. decretis in-

nixi. Hæc autem consecratio ad ordinem episcopalem pertinet : unde quilibet episcopus hæc vasa semper valide consecrat, etiam quando ea consecrando peccat.

Abbates tamen aliique prælati usum Pontificalium habentes, calices et patenas ex privilegio consecrare possunt pro suis duntaxat ecclesiis cum sacro chrismate ab episcopo diœcesano accepto : *Ferraris*, v° *Calix*, n. 5.

Cum illa calicum et patenarum consecratio sit tantum institutionis ecclesiasticæ, facultas eam faciendi a summo Pontifice simplicibus presbyteris procul dubio committi potest, et reipsa non semel commissa est, sicut facultas altaria portatilia consecrandi.

2° Qui Missam sine calice apto et consecrato celebraret, mortaliter peccaret, quia praxi Ecclesiæ in materia gravi adversaretur. Plures contenderunt calicem ad sacrificium idoneum solo contactu specierum sacrarum consecrari : unde calix quo sacerdos ex bona vel mala fide ad celebrandam Missam usus fuisset, alia consecratione non indigeret. Verum alii longe communius et probabilius negant : falsum quippe est sacras species per solum contactum rem aliquam consecrare, alioquin cadentes in pavimentum, illud consecrarent ; aliunde, ut consecratio sit valida, requiritur ut impleantur conditiones ab Ecclesia determinatæ, videlicet preces, unctiones, etc. Ergo.

III. De calicis et patenæ exsecratione. — 1° Calix et patena suam amittunt consecrationem per fractionem ; si nempe patena ita sit fracta ut hostiam decenter continere nequeat, et si cuppa calicis a pede per fracturam sit separata, ita ut ad usum propter quem fuit consecratus non remaneat idoneus. Quando vero pes a cuppa sine fractione separatur, ut in calice tornatili, consecratio non amittitur. Si in fundo fiat foramen quantumvis exiguum, est exsecratus.

2° Calix et patena suam inaurationem per usum diuturnum amittentes, non ideo consecrationem suam perdunt, quia hæc objecta secundum se fuerunt consecrata et eadem sunt moraliter. *Ita communissime doctores.*

3° At cum in nova inauratione addatur aurum non

consecratum, corpus et sanguinem Christi immediate tacturum, quod excellentior est pars calicis aut patenæ, multi contendunt nova consecratione opus esse : hanc sententiam fortiter tuetur *Ferraris* cum *Suarez*, *Vasquez*, *Barbosa* et plurimis aliis. S. Ligorius, l. VI, n. 370, dub. 2, in fine, qui oppositam admiserat opinionem ut probabiliorem, declarat se, re melius perpensa, judicare calicem post inaurationem denuo consecrandum esse, et affert rationem superius expositam. *Romsée* inaurationem calicis dealbationi ecclesiæ comparat, sed immerito, ut nobis videtur; dealbatio enim murorum consecratorum a nemine habetur ut pars excellentior, secus vero inauratio calicis aut patenæ. S. Rit. Cong., die 14 junii 1845, ad episc. Leodiensem respondens, ait : « Calix et patena » suam amittunt consecrationem per novam deauratio- » nem, et sic indigent nova consecratione. »

Ex decisione S. R. C. 22 aprilis 1822, non sunt exsecranda antequam tradantur artifici.

IV. De jure sacra vasa tangendi. — 1° Soli presbyteri et diaconi, in gratia sanctificante constituti, vasa sacra eucharisticas species continentia licite tangere possunt : cæteri vero, ut communiter docent auctores, mortaliter peccarent ea tangendo ; Decr. part. 1, dist. 23, can. 26, 30, 31 et 32. Vide *Ferraris*, v° *Vasa* n. 8; S. Ligorium, l. VI, n. 382. Similiter presbyteri et diaconi peccati mortalis rei qui absque reconciliatione cum Deo vasa sacra divinam Eucharistiam continentia tangerent, a novo peccato et probabiliter mortali excusari non possent : gravis enim esset indecentia erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.

2° Subdiaconi, vi suæ ordinationis et acolythi ministrantes, ex can. 32, dist. 23 1ª partis Decreti, vasa sacra vacua tangere possunt. Sic *Ferraris*, S. Ligorius, Bened. XIV, Inst. 29, n. 18, cum ea differentia quod subdiaconi ea ubique, etiam in altari functiones sui ordinis solemniter exercentes, et acolythi solum in sacristia, quando ea quæ ad Missam necessaria sunt præparare debent. « Tan- » dem diuturna consuetudine factum est, *inquit* Be-

» ned. XIV, *ibid.*, ut ordinati omnes, et qui sola tonsura » præditi sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa » dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant. »

3° Laici et feminæ etiam moniales, absque necessitate aut rationabili causa, vasa sacra vacua manu nuda tangentes, secluso contemptu et scandalo, venialiter tantum peccant : peccant quidem, saltem probabilius, quidquid nonnulli dicant, quia universali Ecclesiæ consuetudini adversantur, sed venialiter tantum, ut volunt *Suarez*, *Layman*, *La Croix*, *Ferraris*, S. Ligorius et generaliter alii. At si justa adsit causa nullum erit peccatum : hinc, v. g., corporale aliudve objectum sacrum, in casu urgenti a sacrista afferri potest absque peccato. Convenientius tamen est, ob majorem reverentiam erga res sacras, quod illud objectum sacrum mediante alio non sacro, afferatur, si fieri possit.

4° Qui mortali peccato inquinati vasa sacra vacua tangunt, irreverentiæ fiunt rei, et sub hoc respectu, secluso contemptu, venialiter peccant.

5° Vasa sacra ad usus profanos convertere vel adhibere, v. g., calicem ad bibendum in mensa, corporale vel purificatorium ad nares purgandos, etc., mortale est peccatum, quia gravis est irreverentia ac contemptus, ipso jure naturali et pluribus juris ecclesiastici capitibus prohibitus. Imo laicus hoc faciens excommunicatur, et ecclesiasticus deponitur. *Ferraris.* v° *Vasa sacra*, n. 16.

Attamen, urgente necessitate, calices, patenæ, ciboria aliaque vasa sacra vendi possunt : si personis ecclesiasticis vel aurificibus et ad usum ecclesiarum vendantur, tradi possunt integra; si ad usus profanos, prius frangenda sunt, ne sancta ab aliis quam a ministris Ecclesiæ tractentur.

§ II. — Ciborium, ostensorium et tabernaculum.

I. De ciborio. — 1° Ciborium, sic dictum a spirituali cibo quem continet, dicitur etiam turris, propter formam rotundam, et frequentius pyxis, gallice *boîte*. Propter reverentiam Sacramento debitam debet esse mundum,

aureum vel argenteum intus deauratum, proprio operculo parvam crucem in summitate habente coopertum, et insuper pallio pretioso apte elaborato involutum. Sic apud nos præscribitur in statutis synodalibus anni 1851.

2° Nulla tamen lege generali præcipitur ut ciborium ejusdem sit materiæ ac calix et patena, nec ut intus deauretur : attendenda et sequenda sunt igitur statuta uniuscujusque diœcesis. Si vas istud ex inferiori materia conficiatur et intus non deauretur, in illo ponendum est vas lineum corporali simile : sed amylum quo liniendum est illud linteum, quædam generare solet animalia, ut notat Gavantus. Curare ergo debent episcopi aliique superiores ecclesiastici ut, quantum fieri potest, ciboria semper sint argentea intus bene deaurata, ad particulas facile dignoscendas.

3° Præter ciboria ad continendam et asservandam sacram Eucharistiam destinata, aliud parvum habendum est vas ejusdem materiæ, formæ et decentiæ, ut divinum Sacramentum ad ægrotos deferatur.

II. De ostensorio. — 1° Lunula in qua continetur formula consecrata ut sanctissimum exponatur Sacramentum, debet esse argentea et deaurata, sicut ciboria, et non aliter.

2° Hæc vasa cum oleo sancto non consecrantur, sed ab eo qui habet facultatem ornamenta sacerdotalia benedicendi, benedici possunt. Plurimi graves auctores arbitrantur hanc benedictionem non esse de præcepto : alii vero probabilius docent eam esse præceptam, sed tantum sub veniali. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 385. Lunula ad expositionem SS. Sacramenti destinata benedicitur, sed nullum est præceptum benedicendi ostensorium, quod tamen laudabiliter, inquit *Romsée*, benedici potest ea formula qua benedicitur ciborium.

3° Omnes tangere possunt illa vasa etiam benedicta quamdiu non servierunt; sed postquam servierunt, non magis ea tangere licet quam calices et patenas, excepto ostensorio, quando lunula ab eo separatur; non enim habetur ut vas sacrum.

4° Quælibet vasa sacra species continentia nullibi reponi debent nisi super corporale, ut fert consuetudo ubique recepta : secus quando sunt vacua.

Vasa autem oleorum sanctorum, capsæ reliquiarum, etiam SS. Crucis, corporale non requirunt.

III. De tabernaculo. — 1° Tabernaculum, de quo supra locuti sumus, specialiter etiam benedicitur, et benedictio ejus inter benedictiones episcopales in Rituali Romano inscribitur.

2° In eo collocari non possunt reliquiæ sanctorum aut venerabilis Crucis, nec ostensorium aut ciboria vacua, sed ea duntaxat vasa in quibus sanctissimum actualiter existit Sacramentum. Sic Rituale Romanum.

3° Mandat præterea ut claves tabernaculi nulli unquam laico credantur, nec in sacristia relinquantur, sed solus parochus, vel alius sacerdos de illius licentia, curam earum habeat, « nec unquam permittat ab ullo, qui non » est saltem subdiaconus, claudi et aperiri dictum taber» naculum. »

§ III. — Corporalia, pallæ et purificatoria.

I. De corporali. — 1° Corporale, ita dictum quia corpus Christi involvit, primitus vocabatur palla, *manteau*, quia totam mensam altaris tegebat, ut in Ordine Romano VII, n. 8, expresse narratur, et quando cooperiendus erat calix, super illum plicabatur. Cum enim in primis sæculis magna specierum panis et vini quantitas consecranda erat, oportebat ut amplum esset corporale ; decrescente autem hac quantitate, imminutum est corporale, et tandem reductum fuit ad eam quam nunc habet formam.

At sic contractum calicem cooperire non poterat : tunc versus decimum tertium sæculum cœpta est haberi palla a corporali separata, qua cooperitur calix. Non tamen censetur quid a corporali distinctum, et eadem benedictionis forma sanctificatur.

2° Corporale « ex puro lino contextum esse debet, » inquit Ordo Romanus citatus, quia sindone munda » corpus Christi legitur involutum in sepulcro. » Potest

etiam esse ex cannabe, ut asserit *S. Ligorius* cum pluribus aliis, non vero ex serico aliove panno, saltem quoad mediam partem, qua hostiam vel calicem tangit; nam in extremitatibus potest esse sericum vel auro elaboratum; decret. S. R. Congr. diei 15 maii anni 1819.

3° Studiose et magna vigilantia curandum est ut corporalia sint nitida et munda : a gravi culpa excusari non potest sacerdos qui, ex negligentia, ad divinum Sacrificium utitur corporali aut palla sordidis, quæ in mensa communi posita quemdam horrorem excitarent. Item invigilandum est ne corporalia ullum etiam minimum habeant foramen circa medium et partes in quas imponitur hostia. Corporale ita laceratum ut non remaneat pars ad divinum Sacrificium apta, eo ipso suam amittit benedictionem.

II. De palla. — 1° Quod dicimus de materia corporalis, dicendum est pariter de palla, saltem de parte quæ calicem immediate tangit: nam, juxta plures in parte superiori auro vel serico constare posset. Sed citatur decretum S. Congr. Rit. 22 januarii 1706, in quo dictum est : « In sacrificio Missæ non adhibenda est palla a parte » superiori drappo serico cooperta. » Unde in Italia aliæ communiter non videntur pallæ nisi ex mundissima tela duplicata, amylo sicut corporale lynita, et ope chartæ insertæ solidata. S. Congreg. hac de re denuo consulta an liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta, respondit die 10 januarii 1852, « permitti posse, dum» modo palla lino subsuta calicem cooperiat, ac pannus » superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis » signa. »

2° *Suarez*, *Tournely*, S. Ligorius et alii dicunt celebrare sine corporali et palla, aut cum eis non benedictis, mortale esse peccatum, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Minor tamen requireretur necessitas ad celebrandum sine palla benedicta quam sine corporali, quia palla sacras species immediate non tangit. Unde plures apud *S. Ligorium* dicunt quod si palla desit, aut per

quadrantem exspectari debeat, loco ejus adhiberi possit aliud corporale, aut purificatorium, aut bursa.

3° Mos olim in pluribus ecclesiis exstitit, a S. Cajetano et Paulo IV summo Pontifice in decimo sexto sæculo invectus, duplicem adhibendi pallam, unam ad cooperiendum calicem, et alteram super qua collocaretur hostia ante et post consecrationem, donec supponeretur patena, juxta rubricas. Hic usus adhuc viget apud Theatinos a Paulo IV institutos, ex privilegio a Clemente VII concesso.

Merati et alii non pauci, contra alios, censent, unumquemque sacerdotem posse hanc observantiam sequi, et refertur card. Baronium id alicui ad praxim suasisse.

III. De purificatorio. — 1° Purificatorium, sic vocatum quia ad tergendum calicem adhibetur, debet esse *ex pura et candida tela*, inquit Rituale Romanum; ex lino vel cannabe, ex decreto 15 maii 1819.

2° Benedictio purificatorii nullibi præscribitur, nec forma ejus in Rituali aut Missali reperitur : multi tamen volunt ut illud simul cum mappis ex decentia benedicatur ; et si seorsim benedicatur, assumenda sit forma benedictionis mapparum, mutando verbum *altare* in verbum *calix*. Sed communior praxis est ut non benedicatur, et sic definiit S. R. C. die 7 sept. 1816.

Quamvis benedictum non fuerit, statim ac inserviit, non magis illud quam corporale aut pallam tangere licet, donec lotum fuerit. Eo deficiente, loco ejus adhibere liceret strophiolum mundum, quod postea ad profanos usus non converteretur. S. Ligorius, l. VI, n. 389.

3° « Antequam corporalia, pallæ et purificatoria laicis » lavanda tradantur, prius ab aliquo in sacris constituto, in sacristia vel in ecclesia, in eodem vase seu » pelvi qua calices et patenæ abluuntur, aqua calida semel et iterum laventur, et deinde in cumulum torta, » ut aqua bene exprimatur, quæ tota in sacrarium projicienda est ; laicis, id est monialibus, vel certe aliis honestis et adultis matronis tandem lavanda offerantur. » Sunt verba Ritualis Romani. Idem habetur in Pontificali

Romano, allocutione ad subdiaconos ordinandos, et ibi præcipitur ut aqua lotionis in baptisterium, id est in piscinam vergatur. Eadem substantialiter reperitur dispositio in Decreto, part. III, dist. 1, can. 40, et universali observatione confirmatur. Non videmus igitur qua ratione nonnulli auctores dicant secundam lotionem a persona non sacra fieri posse absque peccato, cum primam et secundam a viro in Ordinibus sacris constituto fieri præcipiatur.

Plures affirmant laicum, qui primam lotionem faceret, mortaliter peccaturum; alii tamen communius censent peccatum fore solum veniale, secluso contemptu, et nullum si rationabilis adesset causa; quia non majus est peccatum sacra hæc objecta lavare cum debita reverentia, quam tangere : at communiter docetur ea sine causa excusanti tangere, esse duntaxat peccatum veniale. Ergo. Verum communis praxis est ut hæc a laicis prima et secunda vice non laventur sine licentia episcopi. Non tamen potest episcopus hanc licentiam concedere nisi ex indulto pontificio, ut recenter declaratum est S. R. Congr. decreto die 1 septemb. 1857.

Si sacra non existeret piscina, aut insufficiens esset, aqua lotionis in locum decentem projici posset, v. g., in cœmeterium, inter pavimenta ecclesiæ, etc.

§ IV. — Velum calicis, bursa, manutergium, etc.

1° Rubrica, parte II, tit. 4, n. 1, statuit ut sacerdos Missam celebraturus, calicem parva palla linea et *velo serico* tegat. Veli hujus mentionem faciunt antiqui auctores, ut ostendit Gavantus. Ordinarie ex eodem panno conficitur ac casula : at si casula non ex serico, sed ex crassiore conficeretur panno, velum nihilominus sericum esse deberet ex Rubrica, ut observat *Romsée*.

2° Super velo ponitur bursa coloris paramentorum, in qua est corporale plicatum : sic præscribit Rubrica citata. Cum ad ornamentum calicis pertineat, ex eadem materia ac velum fieri convenit, et ejusdem coloris esse debet ac ornamentum. Convenit insuper ut pars ejus interior panno serico simplicis et uniformis coloris, vel, ut fit

communius, tela linea alba tegatur, propter honorem corporali sacrato debitum.

Utrumque, scilicet velum et bursa, una cum sacerdotalibus ornamentis benedicuntur, et speciales pro ipsis non existunt benedictionis formæ.

Qui celebrant sine velo, et corporale deferunt sine bursa, non bene agunt, inquit *Gavantus*, attestans S. Pium V dispensasive cum Hispanis ut corporale extra bursam ferre possent : non tamen probabiliter peccant, quia velum et bursa ob solam decentiam requiri videntur. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 395.

3° Rubrica, parte I, tit. 20, præscribit insuper, ad præparationem altaris et ornamentorum ejus, ut sint ad cornu epistolæ « parva campanula, ampullæ vitreæ vini » et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo in feneS» tella, seu in parva mensa ad hoc præparata. » Objecta ista non benedicuntur; sed reverentia erga divinum Sacrificium exigit ea esse munda et nitida, ita ut ad mensam vulgarem decenter adhiberi possint.

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE VESTIBUS SACRIS.

Præter vestem talarem consuetam, gallice *soutane*, quæ ad celebrandam Missam necessaria est, vestes sacræ propriæ dictæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula et biretum : in Missa solemni requiruntur insuper pro ministris et officiariis dalmaticæ et cappæ.

§ I. — De vestium sacrarum origine et significatione.

1° *Amictus*, sic dictus a verbo *amicire* seu *cooperire*, in octavo sæculo introductus fuit, juxta communem sententiam, ad tegendum collum eorum qui altari serviebant; tunc enim omnes laici et clerici collo nudo incedebant, quod indecens visum est ad altare. Ratio mystica fuit ut vox castigata Deo consecraretur, ut dicit Pontifex in ordinatione subdiaconi, hanc vestem imponendo.

Paulo post amictus fuit habitus velut quoddam orna-

mentum ad instar veteris ephod, quia humeros et pectus involvebat. Romæ et in pluribus aliis ecclesiis capiti imponebatur, et ministri, eo velut galea contra diabolicos incursus muniti, ad altare procedebant : qui ritus adhuc viget apud quosdam religiosos et in nonnullis ecclesiis tempore hiemis. Idcirco eum sumendo dicimus : *Impone Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* Nunc ex Missali Romano capiti imponitur et mox ad collum declinatur, ut vestium collaria circumtegat : utraque igitur ratio mystica, castigatio vocis et sensuum custodia, memoranda est.

Debet autem fieri ex tela alba, linea vel cannabia, duas habere chordulas, et in medio crucem depictam, ut supponit Rubrica de sacerdote dicens : « Accipiens amic- » tum circa extremitates et chordulas deosculatur illud » in medio ubi est crux, et ponit super caput, etc. » Adverte eos qui amictum sibi imponunt se signare non debere manu et amictu simul, ut quidam immerito faciunt; ita *Gavantus*.

2° *Alba* ita vocatur a suo colore, quasi diceretur vestis alba. Apud Græcos dicitur poderis, a verbo ποῦς, *pes*, et apud Latinos *talaris*, quia ad talos descendit. Personæ honorabiliores inter Romanos hanc deferre solebant vestem, quæ communior facta est clericis sacras functiones suas exercentibus. Unde S. Hieron., Pelagianum arguens, l. 1 adversus Pelag. dicit : « Quæ sunt, rogo, inimicitiæ » contra Deum si tunicam habuero mundiorem? si epi- » scopus, presbyter, diaconus et reliquus ordo ecclesias- » ticus in administratione sacrificiorum candida veste » processerint? »

Imo clerici, eam deferebant etiam in usu civili, ut ex variis monumentis probant *Vicecomes*, card. *Bona* et *Romsée*. In concilio Carth. IV, can. 21, prohibetur ne diaconus extra tempus oblationis vel lectionis alba induatur.

Quidam eam, commoditatis causa, resecarunt, et factum est rochettum, quo canonici regulares semper induti erant : alii illud ampliarunt, et largas ei adaptarunt ma-

nicas, ut in frigore vestes pelliceas subtus induere possent, et inde venit superpelliceum.

Alba, propter albedinem, habetur ut symbolum innocentiæ qua ministrantes altari fulgere debent; idcirco eam induentes dicere tenentur : *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus*, etc.

Debet esse linea vel cannabia, non vero ex lana vel serico neque ex gossypio, quia tunc non esset ex tela simpliciter dicta. Ita expresse decretum S. R. Cong. diei 15 maii 1819, a Pio VII approbatum.

In albarum et aliarum vestium fimbriis et manicis non licet apponere fundum rubrum. S. C. R. die 17 augusti anni 1833. (*Gardell.*, t. VIII, p. 190.)

3° *Cingulum* est appendix albæ quam decenter aptare debet, ne diffluat, terram tangat, gressum impediat, etc.; semper enim singulum togas oblongas comitatum est. Cingulum autem mystice consideratum est signum castitatis. Hinc nos præcingendo dicimus : *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.*

« Sacerdotes in sacrificio Missæ congruentius utantur » cingulo lineo quam serico. S. Cong. Rit. 22 jan. 1701. Igitur cingulum sericum non prohibetur, sed lineum magis congruit.

Interrogata an cingulum necessario debeat esse album, S. Cong. respondit 8 junii 1708, « posse uti cingulo co- » lore paramentorum. »

4° *Manipulus*, ex antiquis monumentis, quoddam erat sudarium, sic dictum a sudore ope illius tergendo, seu mantile per quod sudor et narium sordes extergebantur. Ministri altaris illud primum manu sinistra tenebant, ut dextra liberius servirent : hinc vocatum est manipula et manipulus, nempe a manu in qua tenebatur : postea brachio sinistro affixum est ut manus esset libera, et a dextra facilius ad extersionem vultus et narium adhiberetur.

Contigit ut reverentiæ causa sudarium istud fimbriis

pretiosis ornaretur, et versus medium duodecimi sæculi verum fuerit ornamentum, sicut ostendit P. *Le Brun*.

In prima origine, cum extergendum sudorem destinaretur, fletum et dolorem naturaliter significabat, unde illud sumendo in sensu spirituali dicimus : *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Episcopus hanc vestem sumit tantum post confessionem, ad *Indulgentiam*, ut in Cæremoniali episc. l. I, cap. 10, habetur, et Durandus notat, l. IV, cap. 7, n. 4, exceptis Missis defunctorum, in quibus eum sumit cum aliis paramentis.

5° *Stola*, juxta vim nominis, idem significat ac longum vestimentum, ut patet pluribus Scripturæ locis. Communis sententia tenet stolam nostram primo fuisse linteum tenue quo circumdabatur collum, extremitatibus ejus ante pectus pendentibus ad abstergendum os et vultum. Dicebatur etiam orarium, ab ora vestium a qua pendebat; et, propter longitudinem, nomen stolæ accepisse videtur.

Usque ad octavum sæculum, propter solam utilitatem adhibita fuisse judicatur; sed versus illud tempus, et etiam prius, juxta plures, pretiosior facta, velut speciale ornamentum et signum auctoritatis cœpit haberi. Solis episcopis, presbyteris et diaconis fuit reservata, et, ad exprimendam inter eos distinctionem, mos invaluit ut episcopi eam haberent pendentem, presbyteri in forma crucis super pectus, et diaconi ab humero sinistro ad latus dextrum versantem. Extra Missam sacerdotes eam deferunt pendentem nisi alba induantur.

Quoniam beati in cœlo repræsentantur velut stolis induti, v. g., Apoc. VI, 11 ; VII, 9, Ecclesia vult ut stolam sumentes dicamus : *Redde mihi stolam immortalitatis*, etc.

6° *Casula*, seu planeta, olim erat magna vestis rotunda totum tegens corpus, et in usu civili laicis et clericis usque ad septimum vel octavum sæculum communis : ab eo tempore fuit ornamentum episcopis et presbyteris Missam celebrantibus proprium. Nomen habuit casulæ, quia

ob suam formam et amplitudinem, totum tegebat corpus sicut parva domus; et planetæ, quia, imisso capite per solam quam superius habebat aperturam, versatilis erat circa corpus cui non adhærebat.

Casulæ apud Græcos antiquam retinuerunt formam, et quæ destinantur episcopis, multis insigniuntur crucibus; quæ vero sunt presbyterorum, unicam habent crucem.

Latini, pro majori brachiorum commoditate, partes laterales earum paulatim resecarunt, donec ad formam hodiernam pervenerint : casula igitur nunc apud nos duabus constat partibus quæ anterius et posterius tegunt corpus a collo ad genua. Tempore quo exquisitus liber de Imitatione Christi scriptus est, scilicet circa initium decimi quinti sæculi, casulæ in Germania crucem ferebant in parte anteriori et posteriori; in Italia crucem habent tantum in anteriori; in Gallia autem nunc, in Germania et alibi communiter, crucem habent tantum in parte posteriori.

Cum olim necesse fuerit casulam hinc et inde elevare ad consecrationem, ut celebrans liberiora haberet brachia, mos permansit eam paululum sublevare, in testimonium antiquitatis.

Casula, totum corpus olim tegens, communiter habetur ut symbolum charitatis omnia cooperientis. Unde episcopus eam imponens, dicit : *Accipe vestem sacerdotalem per quam charitas intelligitur.* Et sacerdotes eam sumendo, vocant *jugum Domini suave et onus leve.*

Quantum fieri potest, ex pannis pretiosis, nempe aureis, argenteis aut sericis, vel saltem ex panno tenui, et quo plebii uti non solent, conficiendæ sunt casulæ, propter honorem cultui divino debitum; et ex eodem panno ordinarie conficiuntur velum calicis, manipulus et stola. Ad hunc usum converti possunt vestes mulierum pretiosæ, ut fert communis sententia, contra plures, apud *Ferraris,* v° *Paramenta,* n. 2.

§ II. — De necessitate, benedictione et colore vestium sacrarum.

I. De necessitate vestium sacrarum ad Missæ celebra-

TIONEM. — 1° Quamvis pleræque sacræ vestes olim communes fuerint quoad formam, ut docet Bened. XIV, de Missæ sacrif. l. I, cap. 7, tanquam probabilius tamen cum fere omnium eruditorum consensione, admittit ipsos Apostolos peculiaribus indutos fuisse vestibus a quotidianis distinctis quando divinam Eucharistiam conficiebant; atque plurimi censent penulam, quam B. Paulus, II Tim. IV, 13, memorat, unam ex his vestibus fuisse. Certum est ab immemoriali tempore seu ab ipsis Apostolis usum fuisse Missam absque specialibus illis vestibus non celebrandi. Omnes fatentur hanc legem esse sub gravi, et nullam concedi dispensationem ut Missa quacumque ex causa, sine ullis vestibus sacris celebretur : sic expresse docent card. *de Lugo*, Bened. XIV et S. Ligorius, l. VI, n. 289, etc. Unde Pius VI, die 26 julii 1794, concedens simplicibus presbyteris, ob acerbitatem persecutionis, facultatem consecrandi altaria portalitia, expresse denegat facultatem *celebrandi in habitu laicali*.

2° Celebrare sine casula aut sine alba est, juxta omnes, peccatum mortale ; sine stola, aut manipulo, aut cingulo, est probabilius adhuc peccatum mortale ; quia, una istarum vestium deficiente, deest cultus divino Sacrificio debitus : ita communiter auctores, idem dicentes de his objectis non benedictis. Communiter tamen concedunt licitum esse, in magna necessitate, v. g., si populus sit convocatus et dimitti non possit absque scandalo, celebrare sine manipulo aut sine singulo, vel uti stola pro cingulo, aut manipulo pro stola. Vide *Ferraris*, v° *Missa*, art. 10, n. 22, et S. Ligorium, l. VI, n. 376. *A fortiori* sine amictu celebrare liceret. Imo, ut probabile multi tradunt, per se veniale tantum esse peccatum celebrare sine amictu, aut manipulo, aut cingulo, vel uti non benedicto, secluso contemptu, quia gravis non videtur irreverentia.

II. De benedictione sacrarum vestium. — 1° Benedictio sacrarum vestium ad celebrationem Missæ requisitarum est episcopalis ; attamen prælati privilegiis pontificalibus utentes, eas pro ecclesiis sibi subditis benedicere

possunt : ita omnes, variis summorum Pontificum concessionibus innixi.

An autem episcopus facultatem sacras vestes benedicendi simplicibus presbyteris delegare possit, communiter negant theologi et canonistæ, et contendunt episcopos hanc facultatem concedere non posse, nisi ex pontificali indulto : sic Bened. XIV, Inst. 21, n. 9; S. Ligorius, l. VI, n. 377, dub. 4, etc. In Gallia, ex veteri consuetudine, omnes episcopi concedere solebant, per se vel per vicarios suos generales, simplicibus presbyteris facultatem vestes sacras et omnem supellectilem ecclesiæ, unctionem sancti chrismatis non requirentem, benedicendi. Sed multi jam a particulari consuetudine recedere incœperunt episcopi, ut quas per se ipsos decanis, parochis et aliis suam ecclesiam habentibus, concedebant facultates, nunc similiter concedant, sed virtute indulti apostolici, secundum praxim universalem.

Sacerdos qui, absque legitima delegatione, paramenta sacerdotalia benediceret, saltem venialiter peccaret; attamen valeret benedictio, quia ab ordine presbyterali pendet, et tantum jure ecclesiastico reservata est episcopo.

3° Paramenta sacra benedictionem suam amittunt si ita frangantur aut in tali statu ponantur, ut usui sacro ad quem erant destinata, amplius decenter inservire nequeant; quia suam identitatem moralem jam non habent. Hinc si formam suam retinentia reficiantur, aut aliquid novi eis in minori quantitate addatur, nova benedictione non indigent, quia accessorium naturam principalis sequi congruit. Secus si aliam induant formam, aut pars addita sit major, v. g., si ex planeta fiat stola, si manica albæ detrahatur etiam per modicum tempus, si cingulum ita frangatur, ut nulla pars formam cinguli convenientis habeat, etc.

Fragmenta paramentorum vetustorum semel benedictione consecratorum in usus profanos nunquam convertenda sunt, propter reverentiam eis debitam, ut in regula juris 54 expresse statuitur; sed comburenda, et ci-

neres in piscinam, vel in locum honestum projiciendi sunt; *Ferraris*, v° *Param.*, n. 8, et alii.

III. De color vestium sacrarum. — 1° « Paramenta » altaris, celebrantis, et ministrorum debent esse coloris » convenientis officio et Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ. » Rubric. 1ª part., tit. 18, n. 1. Quidam dicunt hanc rubricam esse tantum directivam, et non obligare sub peccato : alii vero communius et probabilius putant eam obligare sub peccato, quia enuntiatur modo præceptivo, et ita pii sacerdotes sentire videntur; sed fatentur eam non obligare sub gravi, nisi aliquod exoriretur scandalum, v. g., si in die magnæ solemnitatis color violaceus aut niger adhiberetur; et rationabilem causam ad omni peccato excusare, puta si vestes debiti coloris concursui sacerdotum non sufficerent. Unde concludunt ornamentum variis coloribus distinctum pro omni colore, excepto nigro, adhiberi posse in necessitate, ut ait *Merati*, id est, ubi rationabilis causa id postulat; secus peccatum esset veniale. S. R. C. statuit, die 19 decembris 1829, ut « serventur omnino rubricæ generales; » data tamen potestate episcopo indulgendi ut in ecclesiis » pauperibus permittat illis (scilicet paramentis in qui- » bus exstat colorum confusio) uti donec consumentur. » Si tamen unus color, v. g., albus, cæteris prævaleat, ornamentum pro eo colore adhiberi potest, ut videtur.

2° *Quarti* et *Merati* docent colorem flavum omni colori æquivalere, hincque in omni festo et officio vestibus ex panno aureo uti licere, exceptis diebus jejuniorum aliisque afflictionis, et officiis defunctorum, in quibus color violaceus aut niger præcipitur. Sed S. C. R., interrogata utrum liceat uti colore flavo vel cæruleo in sacrificio Missæ et expositione sanctissimi Sacramenti, respondit, die 16 martii 1833 : *Negative*. (*Gardell.*, t. VIII, p. 180 et 181.)

3° Petitur an paramenta aurea pro diversis coloribus haberi possint, nempe pro albo, rubro et viridi in solemnitatibus? Plures negant; alii vero affirmant, et eruditus *Merati* ait hanc sententiam sibi magis arridere.

Eam in praxi sequimur, ob pretium hujusmodi paramentorum.

§ III. — De birreto, seu biretto aut bireto.

1° Birreti nomine intelligitur quidam pileolus nigri coloris et quadratus, tria in summitate habens cornicula. Vulgo dicitur *barrette*.

Olim erat capitis tegumentum clericis proprium quo a laicis distinguerentur : in concilio Salisburgensi anni 1386, can. 6, et aliis ejusdem sæculi, prohibetur eis ne sine birreto incedant, cum hoc honestatem clericalem non deceat. Lapsu temporum pro solis functionibus sacris usus birreti reservatus est. Nulla tamen lege pro usu domestico prohibetur, et nunc communius recipitur in clericorum congregationibus et alibi ut in domo residentiæ omnes semper birretum deferant.

Ex Rubrica, part 2, tit. 2, quilibet sacerdos celebraturus, ad altare accedens vel rediens, birretum in capite habere tenetur : « Optandum foret, inquit *Romsée*, ut » adhuc adverterent multi in præsenti puncto deficien- » tes. » In Italia et præsertim Romæ non permittitur ut ipsi extranei ad altare sine birreto accedant.

Similiter in aliis partibus officii ecclesiastici, in sacramentorum administratione adhibendum est birretum ubi præscribitur. Canonici aliique clerici incedere debent detecto capite in ecclesia, cum birreto extra ecclesiam : nunquam uti possunt pileolo *calotte*, loco birreti.

2° Usum pileoli, vulgo *calotte*, in Missa celebranda, etiam extra Canonem, solus Papa concedere potest, ut decreverunt S. Cong. Episc. et Regul. 2 jan. 1590 et 17 jun. 1595, et S. Congr. conc. Trid. 16 feb. 1619. Nec eo uti potest episcopus sine Sedis Apostolicæ licentia, juxta decreta S. Rit. Congr. 25 april. 1626 et 13 aug. 1695. Testatur *Collet* in Gallia episcopos eo uti consuevisse usque ad secretas sine licentia summi Pontificis, illiusque usum pro opportunitate permittere. Sed Bened. XIV utrumque expressis verbis reprobandum docet in Inst. 96.

Usus Romæ receptus est pileolo sic uti usque ad finem

Præfationis, si quandoque a summo Pontifice permittatur.

S. Cong. Rit., juxta alia decreta, die 31 aug. 1839, respondens, dixit præpositum capituli et canonicos, dum episcopo Missam pontificalem aliasque sacras functiones exercenti assistunt, vel ipsimet Missas et sacras functiones ad altare celebrant, præsente vel absente episcopo, caput tectum cum pileolo tenere non posse. (*Gardell.*, t. VIII, p. 339.)

Usus pileoli prohibetur etiam in processionibus sanctissimi Sacramenti. In reliquis functionibus ex universali consuetudine permittitur iis qui assistunt, non vero exercentibus. (*Ibid.*, p. 295 et 442).

Cum apud Sinenses caput discooperire sit irreverentia, Paulus V permisit missionariis in eorum imperio degentibus intra Missam uti pileolo a vulgari tamen distincto, referente *Bened. XIV*, Inst. 96, n. 2.

Eo sine dispensatione legitima extra Canonem uti, absque scandalo, mortale non judicatur esse peccatum; et si rationabilis causa id suaderet, v. g., subitanea et gravis infirmitas quæ recursum ad episcopum non permitteret, nullum esset peccatum, ut ipse Bened. XIV agnoscit, de Missæ sacrif., l. 1, cap. 9, n. 3.

3° Idem Pontifex, in eadem Inst. 96, de coma fictitia, *perruque*, ex professo disserens, contendit : clericos sacris Ordinibus initiatos eam in nullo loco deferre posse; — nullum sacerdotem cum coma fictitia Missam celebrare posse, — et in Inst. 34, § 4, episcopos ab ea prohibitione dispensare non posse, et sententiam quæ talem potestatem eis attribuit, a Sede Apostolica nunquam fuisse probatam. Attamen in Gallia solent episcopi hanc dispensationem concedere; imo comæ fictitiæ ita communes evaserunt, ut clericis non videantur prohibitæ etiam in celebratione Missæ.

§ IV. — De dalmatica et tunica, nec non specialibus episcopi paramentis.

1° *Dalmatica*, olim tunica talaris, cum amplis manicis, nomen accepit a Dalmatia, quia in ea regione hujusmodi

vestis fuit communis; deinde facta est ornamentum quo reges, imperatores aliique viri in dignitate constituti, decorari consueverunt, ut ostendit *Grancolas*. Ad usum ecclesiasticum transiit. Anastasius Bibliothecarius, in nono sæculo scribens, dicit a S. Sylvestro institutum fuisse ut diaconi dalmatica uterentur in ecclesia (intellige Romana); papa Symmachus, in sexto sæculo, usum dalmaticarum concessit diaconis ecclesiæ Arelatensis, et S. Greg. Aregio, episcopo Vapincensi, idem privilegium sibi et suo archidiacono poscenti, respondit. Epist. l. IX, epist. 107 : « Te vel archidiaconum tuum dalmatica de» corandos esse concessimus. » Ille usus omnibus episcopis, presbyteris et diaconis factus est communis per Gallias in octavo vel nono sæculo : episcopi et presbyteri eam subtus casulam deferebant.

2° *Tunica* quæ erat vestis subdiaconis propria, a dalmatica in eo differebat quod strictior esset; nunc ad eamdem formam reducta est.

Nullibi simplices presbyteri dalmaticam subtus casulam nunc deferunt : verum episcopi solemniter celebraturi, tunicam seu tunicellam et dalmaticam, ex Ordine Romano XIV, § 48, induendi sunt. Episcopales illæ vestes ex tenui panno serico confici solent, et coloris officio respondentis esse debent.

3° Quædam sunt alia paramenta episcopis solemniter celebraturis ex Ordine et Pontificali Romano propria, nempe *compagi et sandalia* (*des bas et des souliers*) : quando statutum fuit ut ministri altaris, reverentiæ causa, speciales haberent vestes ut officiis suis recte fungerentur, mutabant etiam compagos et sandalia, quem usum soli episcopi et prælati pontificalia habentes in nonnullis circumstantiis retinuerunt. — *Chirothecæ* (*gants*) sic dictæ a verbo græco χειροθήκη, *manuum vagina*, quia manuum sunt ornamenta. Honorius Augustodunensis, Biblioth. Patrum, t. II, col. 1074, in duodecimo sæculo scribens, dicit earum usum ab Apostolis traditum fuisse, quod nullo quidem nititur fundamento; verumtamen sunt antiquæ. — Annulus cujus fit mentio apud

S. Isidorum Hispalensem, in septimo sæculo, tanquam signi honoris episcopalis, ad exprimendum episcopos eminenter debere esse discretos, et secretorum custodes. — *Baculus* (*crosse*), qui est velut sceptrum et virga episcopi, ac proinde signum ejus auctoritatis. Patet ex S. Isidoro, l. II, cap. 5, illius usum jam fuisse antiquum in septimo sæculo. Summus Pontifex hujusmodi non habet baculum, quia in solemnitatibus non ambulat pedibus, sed portatur. Abbates, e contra, eum habent ut symbolum suæ dignitatis. Alius est baculus, signum honoris, quem præcentor in quibusdam ecclesiis defert in choro, et cujus Honorius supra citatus meminit in Gemma animæ, l. I, cap. 24. — *Crux pectoralis* : primitus episcopi capsulam reliquias continentem e collo pendentem deferebant, ut videtur in vita S. Germani Antissiodorensis et S. Greg. Turon. Deinde cruces ligneas, argenteas vel aureas habuerunt, et ille usus factus est generalis. — *Mitra* : Euseb., Hist. l. III, cap. 31, refert S. Joannem, ad instar summi sacerdotis Judæorum, laminam in capite gestasse : idem legitur de S. Jacobo Hierosolym. apud Clementem Alexandrinum. Hinc juxta card. *Bona, Grancolas, Devoti* et alios, natus est mitræ episcopalis usus : hodierna tamen illius forma ultra decimum sæculum non ascendit ut ostendunt card. *Bona*, PP. *Ménard, Martène, Mabillon*, etc. Triplicis generis distinguuntur mitræ, videlicet simplex, auriphrygiata et pretiosa. Inter abbates alii habent annulum et baculum tantum ; alii vero habent etiam mitram cum cæteris ornamentis pontificalibus. Inter eos qui privilegio pontificalium gaudent, alii solam mitram simplicem deferunt, alii mitram auriphrygiatam, et nulli pretiosam.

§ IV. — De cappa seu pluviali, superpelliceo, etc.

1° *De cappa.* Durandus, l. III, cap. 1, n. 13, Honorius August. in Gemma animæ, l. I, cap. 227, cappam describunt ostenduntque eam tunc eamdem habuisse quam nunc habet formam. Primitus quoddam erat tugurium

contra pluviam, unde vocatur pluviale, et ideo habet caputium quo olim tegebatur caput. Ab usu communi ad conditionem specialis ornamenti transiit, sicut aliæ pleræque vestes sacræ.

Non solum episcopus et presbyter, sed et inferiores clerici, si quandoque officio cantorum fungantur, cappas seu pluvialia deferre possunt.

Pluviali utitur sacerdos, ex Rubrica, in processionibus sanctissimi Sacramenti et in quibusdam aliis, in benedictionibus quæ fiunt ad altare, in officio solemni Laudum et Vesperarum, quando assistit episcopo solemniter celebranti, post Missam defunctorum, ad faciendam absolutionem. Nunquam habendus est manipulus cum pluviali seu cappa.

Gavantus dicit cappas non esse benedicendas, quia omnibus ecclesiasticis sunt communes, et ad sacrificium non ordinantur. *Quarti* vero et *Merati* concedunt nullum dari præceptum eas benedicendi, sed volunt melius esse eas benedicere sub forma pro indumentis sacerdotalibus in genere assignata.

2° *Superpelliceum* sic dictum est, quia super tunicas pelliceas induebatur. Ita Durandus, l. III, cap. 1, n. 10. S. Hieron. l. I, adversus Pelag., supra citatus, meminit candidæ vestis ad usum episcopi, presbyteri, diaconi et reliqui ordinis ecclesiastici : hæc autem vestis erat tunica albæ similis, unde venit rochettum et superpelliceum, ut jam notavimus. Item et cotta, quæ formam habet tunicellæ rochetto contractioris. Superpelliceum, rochettum et cotta fieri debent ex lino tenui, vel ex cannabe, vel probabiliter ex xylino : ita passim fieri solent, et non videmus cur mos iste reprehenderetur. Illæ vestes quæ candidæ et mundæ semper esse debent, non benedicuntur, nec ideo reputantur sacræ.

ARTICULUS OCTAVUS.

DE RUBRICIS SERVANDIS.

Rubricæ sic dictæ, quia rubro colore olim scribi solebant, quædam sunt regulæ communes, continentes ritus in celebratione Missæ, in officii divini recitatione et sacramentorum administratione servandos. Aliæ sunt præceptivæ et aliæ directivæ. Præceptivæ eæ sunt quæ ad servandos ritus ab illis præscriptos obligant sub peccato : et directivæ illæ sunt quæ proprie dictam obligationem non imponunt, sed per modum consilii et instructionis statuuntur. Ita generaliter theologi, quamvis accuratam non tradant regulam qua præceptivæ ad directivis tuto secernantur.

Hic dicemus 1° de obligatione rubricarum ad Missam spectantium; 2° de modis quibus contra rubricas peccari possit in Missa; 3° quasdam exponemus observationes in cæremonias et ritus Missæ privatæ; 4° Item et Missæ solemnis.

§ I. — De obligatione rubricarum ad Missam spectantium.

1° Probabilius nobis videtur omnes rubricas intra Missam seu in actu celebrationis servandas, esse præceptivas, ac proinde sub peccato obligare — a) Nam concilium Trid., sess. 7, can. 13, anathemate percutit eos qui dixerint « approbatos Ecclesiæ ritus in solemni sacramento-» rum administratione adhiberi consuetos, aut sine pec-» cato a ministris omitti pro libitu, aut in alios novos » mutari posse. » Confectio autem sacræ Eucharistiæ ad præstantissimi Sacramenti administrationem pertinet, ut patet. — b) S. Pius V, bulla in fronte Missalis ejus apposita, ait : « Mandantes et omnibus districte præcipien-» tes, in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam, juxta ritum, » modum et normam in Missali præscriptam, decantent ac » legant... neque in Missæ celebratione alias cæremonias

» et preces addere vel recitare præsumant. » Certe tenor hujus bullæ strictum exprimit mandatum cæremonias et preces Missæ non mutandi nec illis addendi, et ex se sub gravi obligat, ut indicant verba *districte* et *in virtute sanctæ obedientiæ*. Ergo. Ita *Merati*, *Tournely*, *Quarti*, *Collet*, S. Ligorius, etc.

Unde notabilis infractio rubricarum intra Missam servandarum semper est materia ad peccatum mortale sufficiens, et peccatum non fit veniale nisi defectu advertentiæ aut consensus, vel ob levitatem materiæ.

2° Decisiones S. Rit. Congr. ut rubricarum Missalis supplementum haberi debent, et si in forma rigorosa exprimantur, v. g., in fine habeant, *ab omnibus servetur, servari ab omnibus mandavit*, etc., eodem modo ac ipsæ Missalis rubricæ obligant; Congregatio enim vi suæ institutionibus habet facultatem sic imperandi, ipsius igitur resolutiones in eo casu ut summi Pontificis oracula haberi debent, et multo magis quando, ut sæpe accidit, a regnante Pontifice expresse approbantur.

Si vero dubia circa ritus suborta solummodo per modum declarationis solvat, resolutiones ejus vim legis stricte non habent, sed velut sapientissimorum virorum responsa considerantur : attamen in eo casu opinionibus aliorum doctorum præferri, et ideo requiri ac sedulo nosci debent.

3° Cum in multis diœcesibus et in religiosis ordinibus vigeant in aliquibus punctis consuetudines Rubricis Romanis oppositæ, quæsitum est an licite observari possint. Respondet *Amor* apud S. Ligorium, l. VI, n. 401, qui eum minime improbat : « S. Congregatio Rituum con» stanter tolerat consuetudinem, saltem immemorialem, » contrariam rubricis. Itaque tuta conscientia licet se » conformare consuetudini diœcesanæ, præsertim in re» bus levioris momenti, quæ non cedunt in deformitatem » cultus publici. » — « Non rejicientur ergo consue» tudines, nisi, *ut addit S. Ligorius*, *ibid.*, contineant » positivam indecentiam, quæ nequeat decenter tole» rari. »

5° Communiter docent auctores rubricas extra Missam servandas sæpe esse directivas, ac consequenter per se sub peccato non obligare, quales sunt rubricæ signacula in Missali ad ea quæ dicenda sunt ordinandi, crucem in sacristia salutandi, etc. Frequenter tamen sunt præceptivæ, ut dicit *Collet*, si nempe expressis verbis præcipiantur, ex dogmate præsentiæ realis, vel ex natura divini sacrificii fluant, etc. Insuper communis doctorum sententia est, juxta *Ferraris*, v° *Rubricæ*, n° 13, rubricas etiam solum directivas absque rationabili causa negligi non posse quin admittatur culpa saltem venialis, propter inordinationem finis aut motivi ; rectus enim finis et rationi conformis ab observatione hujusmodi regularum ecclesiasticarum non retraheret.

§ II. — De modis quibus peccari possit contra rubricas in Missa servandas.

Peccari potest maxime per omisionem, additionem, mutationem, defectum pronuntiationis et confusionem.

I. Per omissionem. — 1° Omittere ritum vel partem Missæ essentialem, vel, sine causa sufficienti, accidentalem notabilem, est peccatum mortale : patet ex dictis, et est sententia communis. Hinc mortaliter peccaret qui voluntarie omitteret oblationem panis aut vini, consecrationem alterutrius speciei, elevationem hostiæ aut calicis, mixtionem aquæ cum vino aut particulæ hostiæ cum sanguine, confessionem et ea quæ sunt in principio Missæ, principales Collectas, Epistolam, Evangelium, Offertorium, Præfationem, Canonem vel quamlibet Canonis orationem, *Pater noster*, *Libera nos*, *Agnus Dei*, unam ex orationibus Communionem præcedentibus, *Domine non sum dignus*, *Quid retribuam*, patenæ et calicis purificationem, Postcommunionem, etc. Item tot modicas partes intra eamdem Missam omittere, ut integræ Epistolæ, vel integro Evangelio æquivaleant, vel, secundum nonnullos, minimam partem Canonis, peccatum est mortale, quia censetur materia notabilis. Item adhuc probabiliter

qui benedictiones, inclinationes aut genuflexiones, in notabili parte, sine causa sufficienter excusante, omitteret vel truncaret, mortaliter peccaret. Ita *Ferraris*, v° *Rubricæ*, n° 14; S. Ligorius, l. VI, n. 400 et 405. *Concina*, cum quibusdam aliis, putat omissionem unius vel alterius sancti esse peccatum mortale; alii tamen, ut *Quarti*, *Tournely* et S. Ligorius, a mortali excusant omissionem trium vel quatuor nominum sanctorum. S. Congr. Rit. declaravit, 12 nov. 1615, regulares qui nomen episcopi omittebant et nomen generalis sui ei substituebant, mortaliter peccare. Advertunt quidem doctores Congregationem supposuisse in regularibus id facientibus aut contemptum episcopi, aut animum introducendi novum ritum; sed indubium est hujusmodi mutationem vel aliam ei similem propria auctoritate factam, esse ad minus peccatum veniale.

2° Item veniale esset omittere *Kyrie, eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, unam Collectam vel Commemorationem, unam Prophetiam vel Epistolam in feriis Quatuor Temporum, quando plures legendæ sunt, Graduale, Tractum aut *Alleluia*, Prosam, etc. Item aliquas omittere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, aut eas usque ad terram non facere, altare non deosculari, aut simulate tantum deosculari, etc., quia hujusmodi omissiones sigillatim sumptæ, in hominum opinione non reputantur graves; secus, si plures notabilem quantitatem constituentes simul omitterentur; tunc enim materia fieret gravis. Sic *Ferraris* et S. Ligorius in locis citatis.

3° *Notandum* omissiones ex se leves gravia constituere posse delicta; — a) ratione pravi finis, ut si sacerdos nonnullas leves omittat rubricas, animo novum inducendi ritum; — b) ratione contemptus, ut si sacerdos aliquam omittat rubricam contemnendo papam vel episcopum qui eam præcepit; — c) ratione scandali, si nempe assistentes tali omissione ad irreverentiam erga sanctissimum Sacramentum notabiliter excitarentur; — d) ratione periculi, ut si quis absque Missali celebrare volens, periculo partes notabiles omittendi se exponat.

II. Per additionem. — 1° Aliquid valde notabile, præter ea quæ in rubricis statuuntur, addere Missæ, mortale esset peccatum, et quidem gravius quam similem partem præscriptam omittere; quia hoc in præcitata S. Pii V bulla expressius prohiberi videtur, et aliunde peccata commissionis graviora sunt in suo genere quam peccata omissionis, ob majus voluntarium. Hinc : — a) addere verba quæ sensum formæ consecrationis mutarent, grave esset sacrilegium, cum validitas sacramenti impediretur; — b) addere verba ritui sacro opposita, etsi sensum non mutent, v. g., dicere *Hoc est corpus meum de Virgine natum*, peccatum nihilominus esset mortale, quia talis mutatio reputaretur gravis; — c) aliquid addere etiam leve, intentione novum inducendi ritum, propter strictam concilii Trid. et S. Pii V prohibitionem; — d) aliquid addere in notabili quantitate, etiam sine animo novum inducendi ritum, circa ea quæ publice recitantur, et probabilius, inquit *Ferraris*, etiam circa ea quæ secreto dicuntur, quia talis additio est notabilis ritus præscripti mutatio.

2° E contra, aliquid parvi momenti et sine animo novum ritum introducendi, addere, v. g., quædam verba vel gesta, peccatum non esset mortale : *ita generaliter doctores*. Sic peccatum esset duntaxat veniale : — a) dicere *Adoro te, Jesu Christe*, elevando hostiam, pedem calicis deosculari statim post consecrationem, ob devotionem; — b) addere *Gloria in excelsis* vel *Credo*, cum omittendum sit, nisi id fiat cum magna deformitate aut scandalo, v. g., in Missa defunctorum; — c) addere unam aut alteram Collectam, præter solitas, ex sola devotione, non est peccatum. A peccato veniali tamen excusandus non videtur qui hanc facit additionem die festi solemnis vel alia in qua unica dicenda est oratio, vel solæ commemorationes privilegiatæ permittuntur.

III. Per mutationem. — Mutatio in ritu Missæ cum gravi deformitate, contemptu aut scandalo, peccatum est mortale; cum levi deformitate, esset peccatum veniale. *Ita omnes*. — a) Unde dicere Missam votivam aut *de Requiem* in festo duplici vel intra octavam privilegiatam, absque

rationabili causa in rubricis approbata, est peccatum saltem veniale, et mortale si adsit contemptus vel grave scandalum. — b) Propria auctoritate mutare preces præscriptas in alias, v. g., unam Epistolam in aliam, Evangelium in aliud, propriam Præfationem vel *communicantes* in communem, etc., peccatum est tantum veniale; mortale tamen esset, si hæc mutatio cum magna deformitate fieret, puta si Nativitatis Domini, Paschæ aut Pentecostes, diceretur Epistola vel Evangelium Missæ defunctorum. Item si gravis fieret inversio, v. g., si Evangelium diceretur ante Epistolam. — c) Mutare vel omittere aliquod verbum in Canone, si sensum mutet, est peccatum mortale; si sensum non mutet, est peccatum veniale. — d) Actiones præscriptas, v. g., cruces, inclinationes, genuflexiones, manuum junctiones vel elevationes imperfecte facere, aut preces leviter invertere, puta unam orationem ante aliam dicere, seclusis scandalo et contemptu, peccatum est tantum veniale. Ita pro his omnibus *Ferraris*, et passim S. Ligorius.

IV. Per defectum pronuntiationis. — 1° Rubrica enim, 1ª parte, tit. 16, plurima describit clara voce in Missa privata dicenda, monens sacerdotem « ut ea distincte et » apposite proferat: non admodum festinanter, ut ad- » vertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audien- » tes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne » perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc tem- » poris celebrant; neque tam submissa, ut a circum- » stantibus audiri non possit; sed mediocri et gravi quæ » et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommo- » data, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secrete di- » cenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipse se audiat, et a » circumstantibus non audiatur. »

Ponderanda sunt hæc verba, et unusquisque debet discere ex rubricis quæ alta, quæ mediocri, quæ submissa vel aliquantulum elevata voce pronuntiari debent; — quæ secreto dicenda sunt; — omnia distincte et devote pronuntiare, juxta regulas præscriptas.

2° Circa initium decimi octavi sæculi, graviter controver-

sum est qua voce celebrans Canonem Missæ pronuntiare deberet. Quidam fortiter contendebant illum pronuntiandum esse clara voce, et verba Rubricæ, *submissa voce*, per oppositionem ad cantum intelligenda esse. Anno 1709, *Ledieu*, canonicus, olim secretarius *Bossuet*, qui novæ editioni Missalis Meldensis præsidebat, propria auctoritate addidit *Amen* ad verba consecrationis, cum littera rubra *R.* quam aliis Ordinarii Missæ et Canonis orationibus pariter præfixit, ad indicandum quod, in his locis, populus vel minister, nomine populi, respondere deberet *Amen*, ac proinde totum Canonem clara voce pronuntiandum esse. Hinc magnus exortus est rumor. D. *de Bissy*, episcopus Meldensis, hanc innovationem per mandatum 22 januarii 1710 damnavit, et Missale statim reformandum curavit.

Card. *Bona*, l. II, cap. 13, n. 1, supponebat Canonem usque ad decimum sæculum alte voce pronuntiatum fuisse : hanc sententiam acriter tuitus est *de Vert*, in opere inscripto : *Explication des cérémonies de la Messe.* Hinc occasio prædictæ innovationis. Sed *Vallemont*, religiosus Cluniacensis, in erudito opere, *Du secret des Mystères*, etc., et P. *Le Brun*, in longa dissertatione. *Sur l'usage de réciter en silence une partie de la Messe dans toutes les églises du monde*, hoc systema diserte confutarunt.

Quidquid sit, constat morem tacite recitandi Canonem decimo sæculo longe antiquiorem esse ; formaliter enim talis recitatio præcipitur in Ordine Romano II, n. 20, qui est saltem septimi sæculi, juxta doctissimum *Mabillon* et *Merati;* igitur, qui totum Canonem vel magnam ejus partem clara voce recitaret, etiam sine animo novum inducendi ritum, mortaliter peccaret, quia stricto præcepto in materia gravi opponeretur ; qui vero passim quædam verba, secreto pronuntianda, altiori voce pronuntiat, ut sæpe accidit, graviter non peccat, sed a veniali difficile excusatur, propter expressum Rubricæ præceptum et antiquum Ecclesiæ morem, maxime si in Canone hoc sibi permittat.

3° Qui ita submisse pronuntiat verba consecrationis ut

seipsum non audiat, mortaliter peccat, quia contradicit Rubricæ in materia notabili, et sacramentum exponit nullitati : si alia verba secreto dicenda eo modo pronuntiaret, quidam dicunt eum mortaliter peccaturum, sed probabilius venialiter tantum peccaret, modo reipsa distincte articularet. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 414.

Item, qui omnia quidem debita voce recitaret, sed nimis festinanter, mortaliter aut leviter peccaret, prout major vel minor esset deformitas, indecentia vel scandalum; semper tamen aliquod existeret peccatum, tum propter irreverentiam, tum propter Rubricæ transgressionem. Similiter veniale esset peccatum in pronuntiatione nimis prolixa, et *a fortiori* in repetitionibus indiscretis; imo illæ repetitiones facile fieri possent objectum peccati mortalis, si nempe liturgiam graviter turbarent, præsertim si in forma consecrationis id contingeret.

V. Per confusionem. — Ob rubricarum dispositionem et sanctissimi Sacrificii reverentiam ceremoniæ et ritus suo ordine distincto et graviter observari debent : v. g., celebrans et minister non debent simul loqui, nec unus incipere priusquam alter finierit, aut versiculos truncare, aut balbutiendo pronuntiare; nec sacerdos dicere *Kyrie eleison*, eundo a cornu epistolæ ad medium altaris, nec alias res distincte præscriptas simul jungere; in ea enim agendi ratione esset confusio prohibita, ac proinde peccatum grave aut leve, juxta gradum indecentiæ et deformitatis. Hinc S. Ligorius, l. VI, n. 400, et multi cum illo, putant sacerdotem qui infra quadrantem absolveret Missam, etiam ex brevioribus, ut de B. Maria in sabbato, a peccato mortali probabiliter excusari non posse, quia impossibile est ut in tam brevi spatio Missam absolvat sine multis imperfectionibus contra rubricas, irreverentia erga sacramentum et scandalo erga populum. Unde Bened. XIV, Inst. 34, n. 39 et seq., optime docet Missam nec breviorem triente, nec longiorem dimidia hora esse debere, quia in breviori spatio omnia debita reverentia agi non possent et in prolixiori tædio afficerentur adstantes.

Episcopi igitur et regularium prælati tenentur sub gravi scandalosam celeritatem, quantum possunt, exstirpare, et a mortali excusari non possunt sacerdotes qui, ex negligentia, cæremonias addiscere non curant. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 400, et plures apud ipsum. Unde in statutis nostris diœcesanis anni 1851, sic habetur : « Precamur simul et jubemus ut omnes in nostra diœcesi » celebrantes, a regula modo exposita non recedentes, » saltem ad tertiam horæ partem pertingant. » (Tit. 3, cap. 6, n. 2.)

§ III. — Quædam observationes in cæremonias et ritus Missæ privatæ.

I. De prærequisitis ad Missam. — 1° Paramenta non debent poni in altari in quo celebranda est Missa, nisi pro solis episcopis et cardinalibus, ut S. Congr. Rit. decrevit, die 7 julii 1612 : id permittitur abbatibus, sed ubi duntaxat solemniter celebraturi sunt; secus, in sacristia, sicut alii quilibet sacerdotes, paramenta sumere debent. Deficiente sacristia, habenda est mensa ab altari separata. Si tandem ornamenta ex necessitate in altari ponenda sint, nunquam in medio, sed in cornu evangelii collocentur.

2° Sacerdos ad Missam celebrandam accedens, vestem nigram a collo ad talos demissam induatur; alioquin, in nostra diœcesi, suspensionem ipso facto incurreret : qui ergo aliter indutus ad celebrandum in aliqua ecclesia se præsentaret prohibendus esset.

3° Rubrica præscribit ut celebrans sit calceatus : non posset ergo celebrare nudis pedibus, saltem extra necessitatem. Communis sententia est tamen illum tunc, secluso contemptu, non peccaturum mortaliter. Gavantus laudat eos qui communes crepidas in sacristia deponunt, et alias ibi paratas ad majorem sacri ministerii splendorem induunt. A peccato certe excusari non possent qui cum calceis judicio hominum indecentibus, v. g., fractis, sordidis, ligneis, etc., celebrarent.

4° Lavat manus, dicens : *Da, Domine*, etc., ut spiritualiter actus mundet, et propter reverentiam tanti sacramenti : hæc lotio ante Missam est saltem sub veniali, et sub gravi, inquit S. Ligorius, l. VI, n. 409, si manus sint valde immundæ propter reverentiam Sacrificio debitam. Ita *Quarti*, *Roncaglia*, et *Tournely*. Lotionem vero post Missam omittere nullum est peccatum, juxta *La Croix*, *Quarti*, S. Ligorium.

5° Sacerdos accedens ad paramenta, quæ non debent esse lacera et scissa, sed integra et munda, induit se, si sit prælatus sæcularis, supra rochettum ; si sit prælatus regularis vel alius sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commode haberi possit ; alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula orationes determinatas; quæ quidem orationes, ex communi sententia, sub veniali recitandæ sunt.

Apud nos simplices sacerdotes communiter non induunt paramenta supra superpelliceum, sed super vestem talarem, gallice *soutane*.

6° Modos in rubricis determinatos pariter servare oportet, v. g., amictum in medio deosculari, illum super caput ponere et mox ad collum declinare, ac vestium collaria circumtegere; manicam albæ dexteram brachio dextro et deinde sinistram sinistro imponere ; manipulum et stolam in medio, ubi est crux, deosculari, partem dextram stolæ super sinistram in formam crucis ante pectus aptare, etc.

II. De Missali. — 1° Habendum est Missale ; *Tournely*, *Habert* aliique plures dicunt sacerdotem qui celebraret sine Missali, etiamsi memoria firmiter quæ dicenda sunt teneret, mortaliter peccaturum ; quia semper aliquod esset periculum in re tam gravi errandi. Alii tamen multi, ut *de Lugo*, *Layman*, *Suarez*, *Vasquez*, *La Croix*, *Gobat*, S. Ligorius, etc., docent, ut probabile, sacerdotem posse quandoque sine Missali celebrare, si facile habere non posset, et ob præteritam experientiam, morale periculum errandi abesset.

Hinc inferunt sacerdotem cæcum aut cæcutientem fa-

cultatem obtinere posse celebrandi Missam votivam de B. Maria in dominicis et duplicibus, et *de Requiem* in aliis diebus. Sed. S. Concil. Congr. hanc non concedit facultatem, teste Bened. XIV, Inst. 34, n. 5, nisi sub clausula *quod non sit omnino cæcus, et memoriter non recitet*. Refert tamen idem Pontifex dictam S. Concil. Congr. hujusmodi concessisse licentiam, 23 aug. 1727, cuidam parocho Florentino adeo pauperi ut pro vita sustentanda ei solum Missæ stipendium superesset, idque *pro gratia, cum assistentia alterius sacerdotis*.

2° Missale autem regulariter debet esse conforme Breviario recitato.

Sacerdos celebrans in ecclesia extranea ubi fit de duplici, tenetur se conformare colori hujus ecclesiæ. Unde habens officium patroni, v. g. martyris, et celebrans in alia ecclesia dominica colorem violaceum requirente utetur colore violaceo et dicet Missam de dominica cum commemoratione festi sui.

Si celebrat in ecclesia habente colorem suo officio conformem, sed ubi fit de alio festo solemni, dicere tenetur Missam festi in ea ecclesia celebrati, propter solemnitatem in loco existentem; contra vero si non esset hic solemnitas nec concursus populi, utendo colore ibi usitato, melius recitaret Missam suo officio conformem, eam sumendo in communi Missalis hujus loci, proprium non habentis. S. Cong. Rit. 12 nov. 1831, ad 31; *Gardell.*, t. XIII, p. 116.

Quando in una ecclesia Missæ votivæ aut *de Requiem* dici possunt, sacerdos extraneus ibi celebrans, et habens officium duplex, petere debet, si commode possit, colorem congruentem et dicere Missam suo officio conformem. Si non habeat officium duplex, Missam sui officii aut Missam votivam in colore requisito celebrare poterit. Ita ferme *Romsée*, tit. 1, art. *de Coloribus*, plures S. Congr. Rit. responsiones citans.

Qui celebrat in capella populo non aperta, semper celebrare debet juxta officium a se recitatum, sine respectu ad ritum hac die in ecclesia parochiali usitatum. *Gard.*, ibid.

Duo igitur sunt principia in memoriam semper revocanda, videlicet Missam cum officio ordinandam esse, et eumdem semper esse debere colorem in eadem ecclesia, præter semiduplicia, simplicia et ferias communes.

Sacerdos etiam regularis, administrans pro tempore parochiam, tenetur in omnibus externis actibus sequi ritum hujus loci.

Item quilibet sacerdos cantans Missam publicam in aliena ecclesia, sine ullo respectu ad proprium officium, sequi debet ritum illius ecclesiæ. *Romsée*, ibid.

Confessarii et Capellani monialium ecclesiis addicti dicere possunt Missas sanctorum de quibus illæ recitant officium, utendo Missali Romano, in Communi, non vero Missali ordini proprio, ut fert decretum S. Congr. Rit. a Clemente XI 1ª decembris 1717 approbatum, nisi ex speciali licentia, quæ quibusdam concessa fuit, v. g., Benedictinis SS. Sacramenti, etc.

3° Hic forte esset locus aliquid dicendi de Missali in lingua vernacula. Certum est Apostolos et proximos eorum successores in linguis tunc vernaculis celebrasse, in græca, in latina, etc.; sed non minus certo constat liturgias cum idiomatibus non mutatas fuisse, et a multis sæculis, tum in Occidente, tum in Oriente, in veteribus linguis jam mortuis exerceri. Lingua latina a septimo sæculo desiit esse vulgaris, et nihilominus ecclesia Catholica illius usum in sua liturgia constanter retinuit. In nono et in decimo sæculo, serio actum est Romæ de concedenda facultate episcopis et presbyteris, apud Moravas degentibus, adhibendi in liturgia linguam sclavonicam ibi vulgarem : quæ facultas, prius aliquo modo consensa vel tolerata, tandem fuit negata. Versionem Missalis Romani in linguam gallicam, anno 1660, auctore *Voisin*, doctore Sorbonico, editam reprobaverunt, anno sequenti, clerus Gallicanus, Facultas theologica Parisiensis et Alexander VII.

Paulus V decrevit, 25 januarii 1615, rogantibus missionariis e Societate Jesu, ut apud Sinas Missam et divina officia sinica lingua celebrari liceret. Missale in ea lingua

confectum missum est Innocentio XI, anno 1681 ; et procurator generalis missionum apud Sinas Romam se contulit, ut a Pontifice approbationem et facultatem eo utendi sollicitaret, quam tamen non obtinuit.

« Est autem Apostolicæ Sedis, inquit Bened. XIV de » Missæ sacrificio, l. II, cap. 2, n. 11, in recenti populo- » rum conversione ad fidem, pro variis circumstantiis, » vel permittere, vel prohibere vernaculæ linguæ usum » in divinis officiis celebrandis. » Sed monet idem Pontifex, constantem firmamque disciplinam esse, ne Missæ idioma mutetur, etsi mutetur lingua vernacula.

Non liceret ergo, etiam in casu necessitatis, uti Missali in linguam vernaculam converso, absque legitima Sedis Apostolicæ dispensatione.

Missale clausum ita ponendum est in altare, ut apertura ejus crucem vel tabernaculum semper respiciat.

III. De sacerdote ad altare accedente. — 1° Juxta Rubricam, sacerdos, omnibus paramentis indutus et capite cooperto (nisi ob legitimam causam calicem ipse non deferat), salutat crucem per inclinationem capitis; sic pariter salutat alium sacerdotem ex altari redeuntem et sibi occurrentem, cui dextram cedere debet, clerum in choro si per illum transeat, episcopum et magnates si ante illos transiturus sit. Si transeat ante altare majus ubi non est SS. Sacramentum, caput cruci inclinat. Si transeat ante altare ubi residet sanctissimum Sacramentum, flectit uno genu, capite semper tecto, si venerabile Sacramentum sit expositum, flectit duobus genibus, genuflexus tollit birretum, et posita dextra super bursam, profunda capitis inclinatione adorat Sacramentum ; deinde, capite cooperto et manu super bursam posita, surgit et procedit. Eodem modo se gerit si ante sacerdotem Eucharistiam ministrantem transeat, nec exspectandum est donec peracta sit communio, ex Decreto S. Congr. Rit. julii 1698.

2° Si vero transeat ante altare in quo celebratur Missa, ante consecrationem, eodem modo agit ac si non celebraretur ; in momento consecrationis, flectit utroque genu

et deposito birreto, adorat Sacramentum inclinatione capitis; completa consecratione, reponit birretum, surgit et procedit, inter consecrationem et communionem flectit uno tantum genu, capite cooperto, quia corpus Christi est in altari sicut in tabernaculo, ob corpus sacerdotis intermedium.

3° Si transeat ante reliquiam sanctæ Crucis expositam, unico genu flectet usque ad terram, eamque venerabitur. Sic, pro his omnibus, fere de verbo ad verbum *Romsée*.

4° Sacerdos ad altare procedendo nihil ore recitare debet, juxta eumdem auctorem, licet alii dicant laudabiliter recitari Ps. *Miserere*, vel hymnum *Veni, Creator* (*Merati*, part. 1, p. 184, opinioni neganti adhæret) nec sumere aquam benedictam, ecclesiam ingrediendo (quidam tamen, et ipsa S. Rit. Congr. 25 martii 1779, id suadere videntur, si commode possit), nec permittere ut alter coram se calicem deferat: tenetur vero ipse eum juxta Rubricam deferre, nisi ob senium, infirmitatem aliamve rationabilem causam, prævie paratus fuerit in altari, et tunc ad salutationes se discooperiet.

IV. De sacerdote celebrante. — 1° Cum sacerdos ad altare pervenerit, stans ante infimum illius gradum, caput discooperit, birretum dat ministro, profunde se inclinat ante crucem, vel genuflectit in plano, si sacrum Eucharistiæ Sacramentum ibi resideat. In omni genuflexione autem in plano genu dextrum in loco pedis ponitur, et corpus debet esse rectum, sine ulla capitis inclinatione; *Romsée*. Generaliter tamen caput leviter inclinatur et multo convenientius videtur. Si venerandum Sacramentum esset expositum, duo flecterentur genua et corpus profunde inclinaretur.

2° Quotiescumque sacerdos ad medium altaris accedit vel de medio illius discedit, crucem per capitis inclinationem semper debet salutare, nisi altare deosculari vel corpus inclinare debeat; nam illud osculum vel hæc inclinatio inclinationem capitis Rubrica præscriptam necessario includit.

3° Sacerdos e medio altaris ad unum cornu procedens,

semper incedere debet naturaliter, ante se, non ex latere, nec recedendo, more cancrorum, et quando se convertit ad descendendum, vitare debet ne tergum directe ad crucem vertat.

4° Sacerdos ad altare stans et aliquid legens vel recitans, sedulo vitare tenetur, in toto Sacrificii decursu, omnem capitis, pedum et corporis motum vel agitationem, et se tenere debet immobilem, nisi rubricæ quemdam motum corporis vel capitis exigant.

5° Notat *Romsée*, — a) quod sacerdos inclinatus et statim genuflexurus, vel ad populum se conversurus, debeat prius se totaliter erigere; — b) quod sub *Dominus vobiscum, Orate fratres*, etc., oculos ad terram figere debeat, ne aspectu curioso adstantes offendat; — c) quod manus disjungere et conjungere debeat dum habet faciem ad populum versam, non vero in ipso conversionis actu; — d) quod in elevatione oculorum, ubi est præscripta, caput indecore movere non debeat : unde si effigies crucifixi videri non possit absque indecora capitis erectione, sufficit oculos in altum elevare; — e) quod in inclinatione corporis, pedes ab antependio altaris uno circiter passu removendi sint, et ponendi juxta se invicem, absque extensione unius ultra alium; — f) quod signum crucis perficiendum sit sub verbis hac cruce † notatis, et vitandum ne abbrevientur lineæ, aut manus ita celeriter moveatur ut celebrans appareat potius pulveres ab oblatis excutere vel muscas abigere, quam cruces formare. — g) Dum dextra manus cruces format, sinistra nunquam manere debet suspensa, sed ponitur in pectus si celebrans seipsum signet, in altare si oblata vel sanctificata signet, in librum si de signando initio Evangelii agatur. Item dum celebrans sinistra utitur, v. g., ad volvenda folia libri, dextram statim deponit in altare vel in Missale. — h) In junctione manuum, manus manui totaliter approximatur, ita ut quilibet digitus suum similem tangat, pollex dexter super sinistrum ponatur, et extremitas manuum junctarum neque faciem celebrandis, neque terram respiciat, sed ante pectus teneantur manus junctæ, casulam, quantum fieri potest,

non tangentes. — i) In omni manuum extensione palma unius palmam alterius respiciat, digitis simul junctis, et eorum summitas humerorum altitudinem ac distantiam non excedat.—j) Cruces quæ fiunt super oblata non sunt faciendæ manu transversa seu incurvata, sed manu recta, ex decreto S. Congr. Rit. 4 aug. 1663, lineæ uniuscujusque crucis debent esse rectæ et habere longitudinem quæ est ab extremitate parvi digiti ad carpum. Ad faciendam lineam transversam, manus reducenda est recte ad medium. Ubi fit signum crucis super calicem aut super hostiam separatim, lineæ non debent excedere latitudinem pallæ et patenæ. Super urceolum, ad benedicendam aquam, sufficit ut sint duorum vel trium pollicum.

5° Qui ob infirmitatem celebrare non posset sine baculo vel nisi utroque brachio in altari innixo, licite celebraret privatim, et etiam publice si adesset necessitas, v. g., ut populus audiret Missam. Sic S. Ligorius l. vi, n. 402, cum aliis nonnullis. Arbitratur insuper eum qui non potest starę rectus, ab omni peccato excusari si ex devotione celebrare velit.

Supponimus tamen eum celebrare posse non sedentem, etiam ex necessitate, nisi cum dispensatione, quia omitterentur genuflexiones aliæquæ cæremoniæ. Bened. XIV, app. 21 ad lib. III de Sacr. Missæ, edit. Prat. anni 1843.

6° Finito Evangelio S. Joannis, et non ante, sacerdos manibus junctis accedit ad medium altaris, ubi inclinato cruci capite, accipit calicem manu sinistra, ad gradum infimum descendit, ad altare per suam sinistram se convertit, et salutat crucem vel facit genuflexionem aut prostrationem, etc. Erectus, accipit a ministro birretum, super caput ponit, incipiens antiphonam *Trium Iuerorum* et statim canticum *Benedicite* cui aliæ non substituendæ sunt preces, inquit *Romsée*. Vide infra art. XI.

§ IV. — Observationes ad Missam solemnem vel simpliciter cantatam spectantes.

1° Si adsint ministri, videlicet diaconi et subdiaconi, rubricas ad singulorum officia respicientes sedulo discere, et paramentis suo ordini propriis se induendo, præces assignatas recitare debent. An rubricæ ad indumenta respicientes sint, quoad ministros, præceptivæ vel directivæ, non liquet. Probabilius tamen videtur eas, utpote extra Missam servandas et nullibi positive præscriptas, esse tantum directivas. Quæ autem intra Missam occurrunt, licet non ab omnibus habeantur ut præceptivæ, vix extra culpam negligi possunt.

2° Omnia quæ in Missa privata secreto dicuntur, eodem modo in Missa cantata dicenda sunt. Attamen quæ in choro cantantur, voce quasi submissa seu media recitantur a celebrante, eo modo quo a solis ministris audiatur. Antiquitus celebrans Epistolam et Evangelium non legebat, sed illa a ministris cantata audiebat. Difficultas ea audiendi dum in ambone vel in alio loco dissito cantabantur, nonnullos induxit ad illa legenda, et inde nata est Rubrica nunc existens. *Romsée.*

3° Celebrans confessionem faciens, in sola Missa cantata ad hæc verba : *Et vobis, fratres, et vos, fratres,* aliquantulum se ad ministros sacros inclinat, dicendo *vobis* et *vos* ad diaconum, et dicendo *fratres* ad subdiaconum, Idem facit dicendo *Misereatur vestri*, absque pedum motione et capitis inclinatione. *Romsée*, t. II, 3ª part., n. 3.

4° Si episcopus in propria diœcesi Missæ majori assistat, ipse facit confessionem ab initio *In nomine Patris*, usque ad *Indulgentiam* inclusive, et celebrans ei respondere debet, non vero simul cum illo dicere, ex decreto S. Congr. Rit. 4 aug. 1663. *Merati.*

5° Celebrans sedere debet, præterquam in Missa coram SS. Sacramento exposito celebrata, cum diacono et subdiacono in scamno ad cornu epistolæ posito dum cantantur

Gloria et *Credo*, etc., non vero in sedibus sibi paratis et distinctis, gallice *fauteuils :* ille honor reservatur prælatis. S. Congr. Rit. 19 maii 1614, et 12 junii 1627.

Ad Missam majorem pertinent processiones, cantus et thurificatio.

P. I. *Processiones.*

Ante Missam majorem diebus dominicis et festivis fit processio in ecclesia vel circa ecclesiam parochialem. Processiones fuerunt in usu etiam apud Judæos, ut patet pluribus exemplis, v. g., translatione arcæ de Cariathiarim in domum Obededom et e domo Obededom in Hebron, dedicatione murorum Jerusalem, post captivitatem Babylonicam ædificatorum, ut in lib. II Esdræ, cap. XII, narratur. Gavantus, *Merati*, *Ferraris*, putant eas apud Christianos ortum duxisse a turbis in die Palmarum obviam Christo euntibus.

Certum est illas esse antiquissimas. Tempore Juliani Apostatæ, solemnis facta est processio Antiochiæ, ad translationem reliquiarum S. Babylæ martyris; item Mediolani, sub S. Ambrosio, ad deferenda corpora SS. Gervasii et Protasii. Postea institutæ sunt processiones aliæ ordinariæ et aliæ extraordinariæ; modo in signum lætitiæ, v. g., in honorem B. Mariæ Virginis vel alicujus sancti; modo in signum luctus et pœnitentiæ, ut processiones S. Marci et Rogationum. Aliæ denique fieri solebant certis diebus in claustris monasteriorum, ad benedicendas vel purificandas cellas monachorum, ante Missam : idem factum est in parochiis, percurrendo habitationes ecclesiæ proximiores, et in solemnioribus festis habitationes remotiores : hinc firmata est consuetudo aliquam processionem Missæ parochiali præmittendi, juxta morem ecclesiarum.

Non præmittuntur autem processiones Missis votivis absque speciali episcopi concessione, nec Missæ coram SS. Sacramento exposito celebratæ.

P. II. *Cantus, musica, organum.*

I. De cantu ecclesiastico. — Certum est apud Judæos magnam exstitisse cantorum et musicorum multitudinem, ad laudes Dei decantandas atque celebrandas. In primordiis Ecclesiæ psalmos et hymnos in conventu fidelium decantatos fuisse constat ex verbis Apostoli, Eph. v, 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Quæ verba de mutuo et alterno cantu intelligenda esse interpretes docent, ait Card. *Bona, de Rebus liturgicis*, l. I, cap. 25, n. 19.

« De hymnis et psalmis canendis ipsius Domini et » Apostolorum habemus documenta, et exempla, et præ» cepta, » inquit S. August., Epist. 55, n. 38, tom. II, col. 142. S. Ambr. ad consolationem fidelium in ecclesia excubantium, hymnos et psalmos secundum morem ecclesiarum orientalium cantari præcepit, quem morem ecclesiæ occidentales ab ecclesia Mediolanensi mutuaverunt, non quod antea non canerent, sed quia modus erat novus : ille cantus dictus est Ambrosianus. S. Gregorius Magnus aliam excogitavit cantandi methodum qua omnes plane et unisono canebant : unde cantus iste appellatus fuit *planus cantus*, et cantus Gregorianus. Per totam ecclesiam Latinam fuit adoptatus ; sed erat difficillimus.

Anno 1022, Guido Aretanus, monachus S. Benedicti, novam cantus et musicæ rationem cum omnium admiratione edocuit : ope enim sex notarum quibus sonos exprimi posse monstravit, sicut sermo scriptura pingitur, puer balbutiens, sine ullo negotio, intra paucos menses ediscit quod homo grandævus et multo ingenio pollens pluribus annis vix addiscere potuisset.

Concil. Trid., sess. 23, cap. 18 de Reform., agendo de seminariis instituendis, inter ea alumnos docenda recenset cantum. Omnes igitur clerici regulas cantus ecclesiastici addiscere tenentur. Bened. XIV, Const. *Annus qui*, 19 februarii 1749, ostendit *moteta* vulgaria ab officiis ecclesiasticis esse repellenda. S. Congr. Rit. 24 martii

1657 resolvit omnino prohibendas esse ab episcopo in ecclesiis, sive SS. Sacramentum sit expositum, sive non, *cantiones vel quorumvis verborum cantum materno idiomate :* quod tamen intelligendum est intra divina officia, ut supponit resolutio diei 12 aug. 1833. *Gardell.*, t. VIII, p. 339.

II. De musica et organo. — Musica est scientia sonorum, seu ars commensurandi quantitatem quoad sonos. Musica igitur habet pro objecto audibile, sicut mechanica tangibile, et optica visibile. Duplex est, vocalis et instrumentalis; vocalis continet concentum, id est, harmoniam, seu melodiam, rythmum, et poesim; instrumentalis vero complectitur *euchordicam*, quæ fit ope nervorum aliarumve chordarum; *pneumaticam*, quæ fit flatu, v. g., cum buccina, tuba, etc.; et *crusticam*, quæ fit pulsando, ut cum typanis.

In Extrav. Commun. l. III, de Vita et Honestate cleric., capite unico, musica planum cantum depravans, mutans, derelinquens, reprehenditur, ac prohibetur a Joanne XXII, qui tamen prohibere non intendit ne diebus festis in solemnibus Missis aliisve officiis fiant consonantiæ melodiam sapientes. Episcopus igitur præcipere potest ut musica sit honesta, devota et ecclesiastica; non vero eam omnino prohibere posset in ecclesia, nisi apud moniales, inquit *Ferraris*, v° *Musica*, n. 2. Unde musica tum vocalis, tum instrumentalis, licita est in divinis officiis, modo nihil immodestum aut nimis profanum sapiat.

Juxta communiorem sententiam, organa cœperunt adhiberi in ecclesiis tempore Vitaliani papæ, anno 672 defuncti.

Organa et alia quælibet instrumenta musica prohibita fuerunt in Missis defunctorum a Bened. XIII, in concilio Romano, tit. 15, cap. 6. Responsio S. Congr. Rit. 31 martii 1629 supponit tamen permitti posse sono lugubri.

Organa non permittuntur dominicis Adventus et Quadragesimæ, exceptis 3ª dominica Adventus et 4ª Quadr.

ad Missam tantum ex Cærem. Episc. l. I, c. 28, n. 10, ad Missam et Vesperas, ex decisione S. Congr. Rit. 2 aprilis 1718; nunquam autem ad *Credo* quocumque tempore.

Quædam sunt ecclesiæ antiquæ in quibus nec organa, nec ulla instrumenta musica unquam fuerunt admissa.

P. III. *Thurificatio.*

1° Thus est species gummi odoriferi ex arbusto Palestinæ vel Arabiæ fluentis : nomen habet a verbo græco θυειν, *sacrificare*, quia in sacrificiis adhibetur, et quædam sacrificia ex ipso thure olim diis offerebantur. Latine dicitur incensum, a verbo *incendere*, quia incenditur seu concrematur. Semper in usu fuit pro cultu divino apud paganos, Judæos et Christianos, et si Tertullianus dixerit, in Apolog. cap. 30, nos puram precem Deo offerre, *non grana thuris*; et Athenagoras, Deum, patrem universorum, sanguine, nidore, floribus et suffimentis fragantibus non egere : hæc aliaque similia non probant thus in Ecclesiæ primordiis non fuisse usitatum, sed duntaxat Christianos illud non offerre velut sacrificium, aut quasi Deus eo indigeret, more ethnicorum.

2° Thus ordinarie non adhibetur in Missa privata : in Missa solemni, celebrans, accepto cochleari a diacono, ter injicit thus de navicula super prunas ardentes in medio thuribuli, dicens : *Ab illo benedicaris*, et in latere dextro, subjungens, *in cujus honore*, et in latere sinistro, addens, *cremaberis*. Reddito cochleari, facit signum crucis nihil proferens. Hæc benedictionis forma semper usurpatur quoties thus benedicendum est, excepta benedictione quæ fit ante thurificationem Offertorii. Incensum autem non benedicitur quando immittitur ad incensandum solum sanctissimum Sacramentum, et ante oblata feria sexta in Parasceve : his casibus exceptis, semper benedicitur, etiam ubi incensandi sunt defuncti, ut probat *Merati*.

Bis totum incensatur altare in Missis solemnibus ante Introitum, et factis oblatis, ante manuum ablutionem :

in prima incensatione sacerdos nihil dicit; in secunda utitur forma benedictionis speciali, et incensando pronuntiat orationem cujus verba ita distribuit, ut singulis thuribuli motibus respondeat. In Missa solemni defunctorum, prior incensatio omittitur; posterior fit more consueto.

3° In Missis majoribus, quæ propter defectum ministrorum, non sunt stricte solemnes, nihilominus fiunt pluribus in locis more consueto incensationes, omissis quæ spectant ad diaconum et subdiaconum. Plures autem decisiones S. Rit. Congregationis id fieri prohibent (13 aug. 1651, 22 janv. 1701).

4° Si venerabile Sacramentum in tabernaculo sit occlusum, celebrans illud adorat genuflectendo, juxta Rubricam Romanam, sed non thurificat; adoratur enim quod latet, sed id solum incensatur quod manifeste patet. Ita Gavantus, *Quarti*, *Merati*, *Romsée*, et alii. Consueta igitur thurificatio ad crucem refertur, velut si in altari non adesset tabernaculum.

Ubi sanctissimum Sacramentum est expositum celebrans, post immissionem et benedictionem thuris, genuflectit, et postea in planum descendens, super infimum gradum utroque genu flexus, accepto thuribulo, triplici ductu Sacramentum incensat. Mos est tamen in basilicis almæ Urbis ut genuflexio hæc fiat super ipso suppedaneo, referente *Merati*, dicente hunc morem decenter servari posse in omnibus ecclesiis.

5° Incensatione altaris completa, diaconus a parte epistolæ stans in plano, facta inclinatione capitis profunda celebranti, eum triplici ductu incensat : deinde incensat chorum, id est, duplici ductu dignitates ecclesiasticas et laicas, juxta rubricas et consuetudines, alios vero unico ductu, demum duplici subdiaconum tenentem patenam. Postea thuriferarius, accepto thuribulo, duplici ductu incensat diaconum, item acolythos, et ter populum.

In Missis defunctorum solus incensatur celebrans, et episcopus si adsit.

Non probatur usus duorum thuribulorum in incensa-

tione personarum, sed tota thurificatio facienda est unico thuribulo, nisi, ex immemorabili consuetudine, canonici et magistratus simul thurificandi sint. S. Congr. Rit. 15 maii 1608 et 25 julii 1568, apud *Merati*, in indice, n. 87, 168 et 173.

Eadem S. Congr. declaravit, 4 maii 1713, in Indice, n. 136, canonicos et dignitates genu flectere non teneri, quando episcopum celebrantem thurificant, nec ad benedictionem ejus suscipiendam; sed tantum caput inclinare.

ARTICULUS NONUS.

DE DEFECTIBUS IN MISSA OCCURRENTIBUS.

1° Inter defectus qui in celebratione Missæ occurrere possunt, alii sunt substantiales qui sacramentum redderent nullum, et in materia, forma aut intentione ministri contingunt; alii vero dicuntur accidentales, quia ad substantiam sacramenti non pertinent, nec ejus validitatem impediunt. Multi esse possunt, nec ad certum numerum reducuntur.

Unusquisque sacerdos Rubricas, tit. de Defectibus, attente legat, discat, memoria retineat, ut, casu adveniente, statim sciat quid sibi agendum sit. Nonnullas tantum communiores difficultates hic exponemus ac solvemus.

2° Si ante consecrationem advertat sacerdos hostiam esse corruptam, vel non triticeam, ea remota, aliam ponat, et facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desiit. Non igitur necesse est eam ante oculos elevare super patenam, neque facere super ea aut cum ea signum crucis.

Si post consecrationem id adverterit, posita alia, faciat oblationem ut supra, et a consecratione incipiat, nempe a verbis, *Qui pridie*, etc., et illam priorem, si non sumpserit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis Domini; si sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit; præceptum enim de perfectione Sacri-

ficii majus est quam præceptum de servando jejunio. Eodem modo procedendum est si hostia consecrata casu aliquo dispareat, puta si vento rapiatur, si ab animali comedatur, etc., et reperiri nequeat.

Si post sumptionem sanguinis tantum hoc contingat, Rubrica præcipit ut novus panis et vinum cum aqua iterum ponantur, saltem in mente offerantur, consecrentur, incipiendo a verbis, *Qui pridie*, et statim sumantur, ne Sacrificium maneat imperfectum, et debitus servetur ordo.

3° Celebrans qui ante consecrationem advertit aquam, siceram aliumve liquorem pro vino adhibitum fuisse, aut vinum esse corruptum, hunc liquorem insufficientem deponere debet in vas aliquod, vinum cum aqua statim apponere, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo a verbis, *Simili modo*. Si post consecrationem id advertat, eodem modo agat. Si post sumptionem corporis vel hujusmodi aquæ, novam hostiam et novum vinum cum aqua mixtum offerat, consecret et sumat, vel ad vitandum scandalum, si plures sint adstantes, vinum tantum cum aqua consecret, sumat et statim prosequatur. Ita expresse Rubrica Romana, quæ non facile intelligitur : non videtur enim cur nova hostia sit consecranda, cum prima valide fuerit consecrata.

4° Si materia apponenda, ratione defectus, haberi non posset, et id celebrans ante consecrationem adverteret, ulterius progredi non deberet ; si, post alterius speciei consecrationem, Missa absolvenda foret, ita tamen ut verba et signa ad speciem deficientem pertinentia omitterentur. Si aliquandiu exspectando haberi posset, exspectandum esset, ne Sacrificium maneret imperfectum.

De aliis defectibus materiæ, formæ et intentionis ministri sufficienter diximus in secunda parte hujus Tractatus, agendo de pane, de vino, de aqua, etc.

Quoad alios defectus, præter multa quæ in decursu Tractatus jam præcavimus, vel solvimus, videatur Rubrica.

ARTICULUS DECIMUS.

DE INTERRUPTIONE MISSÆ.

1° Nunquam licet Missam post consecrationem unius speciei directe abrumpere, etiam ad vitandam mortem, quia ipsius essentia est de jure divino : unde nec episcopus nec ipse Papa ab illa integritate dispensare potest.

Eam vero abrumpere vel mutilare indirecte, seu præter voluntatem, aliquando licet : v. g., furente incendio, irruente hoste ad necandum, etc., posset sacerdos hostiam jam consecratam sumere, vel secum deferre, calice non consecrato, ea intentione ut Sacrificium serius compleat si possit; si non possit, excusatur a peccato. *Est sententia communis.*

Si excommunicatus denuntiatus Sacro assistere vellet et expelli non posset, aut si tempore Sacrificii ecclesia pollueretur, ante Canonem, Missa statim abrumpenda esset : incœpto Canone, prosequenda foret usque ad communionem inclusive, populo dimisso soloque ministro remanente cum presbytero, et, communione facta, omnia asportanda essent in sacristiam vel in alium locum vicinum, ut ibi compleretur liturgia. *Confér. d'Angers, Censures.*

2° Missam per aliquod breve tempus interrumpere licet, ob rationabilem causam : v. g. : — a) ob concionem post Evangelium, vel ob processionem excipiendam ; — b) in gratiam alicujus principis supervenientis, aut turbæ peregrinorum in die festo qui alias Missam audire non possent : idem fieri posset in adventu episcopi, aut cardinalis, aut processionis populi : ita S. Ligorius et plures apud ipsum. — c) Si gravis urgeret necessitas, vel propria, v. g., morbus; vel proximi, ut si moribundus, in propinquo positus, baptizandus aut absolvendus esset, et vestes sacras exuere opus non foret; secus, celeriter et tamen reverenter absolvenda esset Missa, et statim properandum ad periclitantem. Vide Coll. Andeg. et S. Ligorium, l. VI, n. 354. Sacerdos ad Sacrificium revertens, incipiet ubi de-

sierat : si ante consecrationem interrupisset et mora plus quam unius horæ fuisset, ab initio ordiri deberet, quia, post talem interruptionem, idem non censeretur Sacrificium. Ita S. Ligorius et plures alii. Supponitur quod interruptio non provenerit ex concione vel ex aliqua cæremonia juncta cum ipsa Missa, quia tunc unitas moralis servatur.

3° Si celebrans ante consecrationem deficiat, alius sacerdos Missam continuare non debet, juxta communem sententiam ; si post consecrationem, sive utriusque, sive unius speciei, et ante sumptionem utriusque, alius sacerdos etiam non jejunus, et, defectu aliorum excommunicatus, interdictus, irregularis, supplere debet, si absque gravissimo incommodo possit et intra spatium unius horæ accersiri valeat. Post horam non supplendus est celebrans deficiens, quia idem non censeretur Sacrificium. S. Ligorius, l. VI, n. 355.

ARTICULUS UNDECIMUS.

DE HORA QUA CELEBRARE LICEAT.

I. QUANAM HORA MISSAM CELEBRARE LICEAT. — 1° *Missa ab aurora ad meridiem dici potest*, inquit Rubrica, part. I, tit. 15, n. 1. Non licet ergo, absque legitima causa, celebrare ante auroram, nec post meridiem. Sed nomine auroræ non intelligendus est ortus solis, bene vero tempus illud quod medium est inter noctem et diem. Initium habet in mense junii, fere duabus horis cum quadrante ante ortum solis ; mensibus februarii et septembris, hora cum dimidia ; in mense martii, hora cum quadrante ; in reliquis mensibus, hora cum tribus circiter quadrantibus. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 341.

2° Communiter docent auctores, ut card. *de Lugo*, *Suarez*, *Bonacina*, *Tournely*, S. Ligorius, etc., quod nulla sit culpa Missam terminare in aurora et eam incipere parum ante meridiem, quia tempus auroræ et meridiei non mathematice, sed moraliter intelligendum est. Imo

Benedictus XIII declaravit, referente Bened. XIV, Inst. 12, n. 3 et 4, latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem, tolerari posse.

3° Graviter peccat, juxta *Busembaum*, qui sine justa causa citius mane, vel serius post meridiem celebrat; *Azor* tertiam horæ partem, *Leyman* dimidiam horam, *Bonacina* tres quadrantes, Sylvius horam requirit ut peccatum sit mortale.

II. De causis excusantibus ab ista regula. — Nullum autem est peccatum quando adest causa sufficienter excusans : ita omnes. Porro ut causæ sufficienter excusantes habentur : — funus principis vel alterius magnatis; — si sacerdos propter iter fuit impeditus, integra hora post meridiem Missam inchoare potest, juxta *Layman* et alios; — necessitas habendi hostiam consecratam ad dandum viaticum moribundo, quo casu media nocte celebrare liceret, ut communiter docent auctores, teste S. Ligorio, l. vi, n. 343; — mos rationabilis jam existens Missam ante auroram dicendi, ut opifices et famuli summo mane eam audire possint; ita S. Ligorius et plures cum illo, qui nolunt tamen hanc rationem esse sufficientem, ut Missa post meridiem celebretur; — causa itineris est sufficiens Missam una hora ante auroram vel post meridiem dicendi; ita *Busembaum*, *Concina*, et communissime alii : unde inferimus causam studii saltem perutilis, vel ordinem alicujus communitatis pro tali anticipatione sufficienter excusare; — Missa solemnis licite protrahitur ad horam et amplius post meridiem, ut multi dicunt, propter processionem, solemnitatem festi, concionem, etc., et post hanc Missam solemnem permittitur Missa privata in gratiarum actionem; — privilegia quibus nonnulli regulares potiuntur Missam celebrandi usque ad tertiam horam post meridiem; — dispensatio episcopi qui, ob causam rationabilem, permittere potest ut hora Missæ anticipetur vel usque ad duas horas protrahatur. Sic multi apud S. Ligorium, n. 334. Eamdem habent facultatem superiores religiosi respectu subditorum suorum.

ARTICULUS DUODECIMUS.

DE PRÆPARATIONE ET GRATIARUM ACTIONE CELEBRANTIS.

I. De præparatione celebrantis ad Missam. — Ad præparationem sacerdotis celebraturi præcipue referuntur dispositiones tum animæ, tum corporis, de quibus in secunda parte egimus : quæ enim præcipiuntur fidelibus ad sacram Eucharistiam digne suscipiendam, requiruntur *a fortiori* in sacerdotibus ut sanctissima convenienter pertractent.

Rubrica habet insuper ut « sacerdos celebraturus..... » saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi ali- » quantulum vacet, et orationes inferius positas pro tem- » poris opportunitate dicat. » Unde non necesse est primam ante Missam dicere ; nec psalmos ac orationes in Missali pro præparatione ad Missam posita recitare, cum Rubrica his utatur verbis, *pro temporis opportunitate*. Necesse est, e contra, ut Matutinum et Laudes præmittantur Missæ, et quidem sub peccato, quia præceptiva est Rubrica. Ita omnes moraliter, paucis scilicet exceptis.

Barbosa viginti numerat auctores qui dicunt hoc præceptum esse tantum sub veniali, et viginti qui contendunt esse sub mortali, inter quos S. Antoninus et S. Raymundus *de Peñafort*, quorum sententiæ adhæret Gavantus; nituntur præcipue auctoritate Innoc. IV qui, Epist. 5, n. 11, apud *Labbe*, ait : « sacerdotes Missam celebrare » priusquam officium matutinale compleverint, non præ- » sumant ; » et S. Pii V, qui hunc inter graviores defectus collocavit, Rubr. de Defect., tit. 10, n. 1.

Attamen communior et probabilior sententia est peccatum non esse mortale, quia talis obligatio non exprimitur in Rubrica, nec communiter recipitur sub gravi. Sic inter multos, Benedict. XIV, de Missæ sacrif., l. III, cap. 13 ; S. Ligorius, l. V, n. 347, etc.

Hinc illi auctores concludunt quamlibet rationabilem causam ab omni peccato excusare, v. g., « si dans elee-

» mosynam postulet ut statim celebretur, si exspectet po-
» pulus aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat,
» si tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas
» studii, itineris et similia. » Hæc sunt verba S. Ligorii, n. 348.

Quoad orationem cui aliquantulum vacandum est, omnes fatentur eam non esse de gravi præcepto, et tamen ab omni culpa non excusari qui sine præparatione saltem domi facta ad sacrificandum accedunt. Pii sacerdotes convenientem præparationem mentalem aut vocalem nunquam omittunt, nisi hora improviso capti fuerint et tempus ipsis deficiat : tunc, ne populus exspectet, gementes et fervore animi supplentes, Missam statim celebrant, curantes ne alia vice in tali angustia constituantur.

II. De gratiarum actione post Missam agenda. — De gratiarum actione supra sufficienter diximus. Qui autem exercitio mentalis orationis immediate ante vel post Missam vacant, aliam præparationem vel gratiarum actionem facere non tenentur, et talis est consuetudo piorum sacerdotum.

Attamen canticum *Trium puerorum*, psalmus CXL et aliæ preces quæ in Missali indicantur ut post Missam in gratiarum actionem dicendæ, videntur simpliciter præceptæ sicut orationes singulis paramentis correspondentes, quod tamen plures negant. Missale Romanum (*Ritus celeb. Miss. in fine*) loquitur tantum de antiphona *Trium Puerorum* et cantico *Benedicite* dicendis a celebrante redeundo ad sacristiam vel sese exuendo, si paramenta dimissurus sit apud altare in quo celebravit. Postea nihilominus indicat psalmum et preces cum cantico dicenda.

Durandus, l. IV, cap. 59, n. 9, indicat *Benedicite*, *Laudate* et *Confiteantur tibi*, etc. In sæculo XIV eædem quas nunc recitamus præscribebantur gratiarum actiones, et sæculo XVI Pius V eas confirmavit. Plures nihilhominus æstimant rubricam ad has preces respicientem esse tantum directivam, nec ideo obligare sub peccato.

Petitur an celebrare Missam cum notabili distractione voluntaria, sit peccatum mortale. *Quidam negant*, etiamsi

distractio esset sub consecratione vel sumptione, quia, inquiunt, attentio interna non præcipitur sub gravi. *Alii vero affirmant* quoad ea quæ sunt in Canone, et præsertim quoad consecrationem et communionem, quia voluntarie se distrahens in re tanti momenti, gravem irreverentiam Deo irrogat. Ita *Concina*, de Sacrif. Missæ, ad finem; S. Ligorius, l. VI, n. 410, dub. 5, et plures alii.

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS

DE PŒNITENTIA.

Morbus universalis quo omnes humanæ mentes in prima origine inficiuntur, curatur quidem ope remedii Baptismatis, sed non ita radicitus ut quædam non adhuc inhæreant naturæ nostræ vitii reliquiæ ad malum impellentes. Certe, iis non obstantibus, immensum regenerationis beneficium perpetuo servare possemus; verum, proh dolor! ubi sunt qui illud non lædant, qui vel semel in decursu vitæ non amittant? Si ergo Deus limites misericordiæ suæ imposuisset, et aliud nobis non suppeditasset medium e lapsu assurgendi et ad eum redeundi, quid nobis sperandum foret? Utquid cœlitus vocati, illuminati et gratiæ participes effecti fuissemus, cum nihilominus, veste nuptiali denudati, in tenebris exterioribus æternaliter flere deberemus? At Deus, cujus bonitatis infinitus est thesaurus et misericordiæ non est numerus, nobis naufragantibus manum porrexit et secundam exhibuit tabulam, qua apprehensa et fortiter tenta, iterum salvaremur. Hæc est Pœnitentia.

I. De nomine pœnitentiæ. — Vox ista venit a *pœna* et *tenere*, quasi diceretur, *pœna teneri* aut *pœnam tenere*, quia juxta vulgarem sensum huic voci annexum, peccator vere pœnitens, non solum de actu præterito resipiscit, sed illum odit, detestatur et pro illo expiando pœnam exsolvit. Eo sensu Christus ait apud S. Lucam, x, **13** : *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.*

Multis testimoniis probat doctissimus P. Morinus, in

magno opere de Administratione sacramenti Pœnitentiæ. l. VI, c. 1 et 2, non solum apud Græcos, sed apud Syros et Chaldæos, imo apud Hebræos et Rabbinos, verbum voci Latinorum *pœnitentia* correspondens, eodem sensu usurpari, nempe quo significetur mutatio consilii et simul odium vitæ anteactæ, et pœna ad eam expiandam exsoluta.

Male igitur Protestantes, necessitatem operum satisfactionis negantes, originem vocis *pœnitentia* a duobus verbis *pone* et *tenere* deducunt, quasi sola displicentia peccati cum proposito non peccandi, ad justificationem sufficeret : frustra ad vocem græcam μετάνοιαν recurrunt, dicentes illam juxta etymon, mutationem tantum voluntatis exprimere : non enim præcise ad etymologiam, sed ad sensum vocis usitatum attendendum est.

Varia in operibus SS Patrum et auctorum asceticorum pœnitentia sortitur nomina : vocatur a Græci Ἐξομολόγησις, quo nomine non sola confessio, sed omnes actus pœnitentiæ laboriosæ intelliguntur. Appellatur a Latinis *manuum impositio*, quia olim publici pœnitentes per manuum impositionem reconciliabantur, et quia nunc confessarius absolutionem pronuntiando dextram versus pœnitentem tènet extensam. Dicitur adhuc ab effectibus suis, *Sacramentum reconciliationis*, *Baptismus laboriosus secunda post naufragium Tabula*, etc.

II. Definitur pœnitentia et dividitur tractatus. — Pœnitentia considerari potest ut virtus et ut sacramentum ; ut virtus definiri potest : *Virtus moralis inclinans ad dolorosam detestationem peccati, quatenus est offensa Dei, cum firmo emendationis ac satisfactionis proposito.* De illius necessitate et qualitatibus ubi de contritione et satisfactione dicemus.

Ut sacramentum vero, recte definitur : *Sacramentum novæ Legis, quo peccata post Baptismum commissa, homini contrito, confesso et satisfactionem spondenti, per judicialem sacerdotis sententiam remittuntur.*

De pœnitentia, prout est sacramentum, nobis tractandum est, et dicemus 1° de existentia hujus sacramen-

ti ; 2° de illius efficacia seu effectibus ; 3° de ejus materia in genera ; 4° de singulis partibus proximæ materiæ ; 5° de forma hujus sacramenti seu de absolutione, 6° de ejus ministro ; duo addemus capita in appendice, unum de purgatorio, alterum de indulgentiis.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

I. Annumerantur errores circa existentiam sacramenti pœnitentiæ. — A nemine Christiano inficiatur remissionem peccatorum post Baptismum commissorum in vera Ecclesia obtineri posse : at multi, variis in temporibus, circa modum remissionem istam obtinendi erraruut.

Duplex potissimum notandus est error ; primus est Lutheranorum et Calvinistarum qui contendunt pœnitentiam non esse verum et proprium sacramentum a Baptismo distinctum, solamque Baptismi memoriam fide apprehensam, peccata post illius susceptionem admissa delere. Sic Luth., lib. de Captiv. Babylon. ; Calv. lib. IV Inst., cap. 19, § 17.

Secundus error est eorumdem, docentium absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium quo simpliciter declaratur dimissa esse peccata pœnitenti, modo se credat esse absolutum.

II. Errores confutantur et comprobatur dogma catholicum circa existentiam sacramenti pœnitentiæ. — Ad confutandos istos errores, et comprobandum dogma Catholicum circa existentiam et naturam sacramenti Pœnitentiæ, tria stabilienda sunt, videlicet 1° Pœnitentiam verum esse novæ Legis sacramentum ; 2° a Baptismo esse distinctum ; 3° sententiam absolutionis esse actum

judicialem peccata remittentem, non vero tantum declarantem ea esse remissa.

PROPOSITIO PRIMA.

Pœnitentia est verum novæ legis sacramentum.

Prob. Illa tenenda est propositio quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus et argumento præscriptionis : atqui, etc.

Est de fide, ut pote definita in concilio Trid., sess. 14, can. 1, his verbis : « Si quis dixerit in catholica Ecclesia » Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, » pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata la» buntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino » nostro institutum; anathema sit. » Idem habetur in concil. Florent., Decreto ad Armenos : « Quartum sacra» mentum est Pœnitentia. » Ergo.

Probatur 1° *ex Script. sacra.* Matth., XVI, 19, Christus dixit Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* XVIII, 18, ait omnibus Apostolis : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Apud Joan., XX, 22, sic, post resurrectionem, promissionem suam implens, loquitur : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde sic : Pœnitentia est sacramentum novæ Legis, modo in ea reperiantur signum sensibile, institutio Christi modo permanenti et promissio gratiæ : at, ex textibus citatis, tres illæ conditiones reperiuntur in Pœnitentia.—a) Signum sensibile; peccata siquidem sunt remittenda vel retinenda : causa igitur est instruenda et sententia proferenda : porro hæc absque signo sensibili fieri non possunt. — b) Institutio Christi modo permanenti; ex evidentia enim contextus et confesso adversariorum constat præfata Christi verba, non

ad solas Apostolorum personas respicere, sed ad ipsam Ecclesiæ constitutionem : agitur ergo de potestate in Ecclesia jugiter perseveratura. — c) Promissio gratiæ, cum peccata sine gratiæ effusione remitti nequeant. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de Pœnit., cap. 12 : « Igitur, cum scias adversus gehennam, post » prima illa institutionis dominicæ munimenta, esse » adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem » tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi » tibi? » S. Cypr., lib. de Lapsis : « Confiteantur singuli, » quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum : dum » adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio » ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacer- » dotes apud Dominum grata est. » S. Ambr., lib. I de Pœnit., c. 8 : « Cur baptizatis, si per hominem peccata » dimitti non licet? In Baptismo utique remissio omnium » peccatorum est; neque interest utrum per Pœnitentiam, » an per lavacrum hoc jus sibi datum vindicent (sacer- » dotes) : idem in utroque mysterio est. »

S. Aug., l. II de Conjugiis adult., c. 28, ubi docet Baptismum conferendum esse catechumenis in adulterio viventibus, *si desperati jacuerint*, id est, si morti sint proximi, addit : « Quæ autem Baptismatis, eadem re- » conciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ » vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac » vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ec- » clesia. »

Unde sic : Qui agnoverunt in Ecclesia externum ministerium per quod peccata etiam occulta confitentibus remittuntur, mentes a sordibus mundantur, peccatores Deo reconciliantur, ministerium vero solis presbyteris concreditum, eos supra principes et angelos constituens, eamdem vim habens ac Baptismus, agnoverunt necessario sacramentum. At talis est Pœnitentia, juxta sanctos Patres. Ergo, etc.

Prob. 3° *argumento præscriptionis.* Ecclesia catholica a Christo et ab apostolis suam fidem circa existentiam Sacramenti Pœnitentiæ recepit, si nullo tempore hanc fidem

adinvenire potuerit, vel illam ab aliis acceptam inter veritates catholicas immerito reponere; atqui res ita se habet : etenim, quando Lutherus et Calvinus inficiati sunt hoc dogma, Ecclesia catholica jam a longo tempore illud profitebatur; non potuit vero illud fabricare a tempore Græcorum schismatis, nam Græci schismatici, Ecclesiæ Romanæ infensissimi, septem habent sacramenta, inter quæ numeratur Pœnitentia, quam ab Ecclesia Romana benevole non accepissent : pro temporibus anterioribus semper eadem difficultas obvia venit; nam quædam sectæ orientales separatæ a quinto sæculo hanc retinent doctrinam. Aliunde ubi Novatianorum et Montanistarum errores prodierunt, undique adversus illos conclamatum est, ex eo quod Ecclesiæ potestatem limitarent : ergo tunc firmiter credebatur inesse Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa; proindeque Pœnitentiam esse sacramentum novæ legis; ergo fides sacramenti Pœnitentiæ ad ipsos Apostolos ascendit, juxta axioma : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis fuit institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum rectissime creditur.* Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. B. Paulus, Hebr. VI, 4, 6, ait : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Ergo.

R. 1°. Si hæc verba ad rigorem sumerentur, probarent nulla peccata mortalia post Baptismum commissa remitti posse : hoc autem Protestantes cæterique hæretici nobiscum negant. Ergo.

R. 2°. *Nego conseq.* In verbis enim Apostoli nobis objectis, de pœnitentia sacramentali non agitur, sed de ea quæ ad regenerationem per Baptismum ab adultis exigebatur : *id patet ex contextu.* Apostolus namque, in fine capitis præcedentis, exprobrat Hebræis quod sint adhuc imbecilles ad audiendum, cum magistri esse deberent

propter tempus, et indigeant exordio ut doceantur *quæ sint elementa sermonum Dei* : affirmat tamen se ea prætermissurum et ad perfectiora transiturum, quia impossibile est eos qui post Baptismum semel prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, id est ad pœnitentiam baptismalem, seu de novo per Baptismum renovari. Cum Baptismus novas creaturas nos efficiat per applicationem mortis Christi, dicitur sacramentum regenerationis et renovationis ; voces *rursus renovari* aperte indicant Apostolum de iteratione ejusdem sacramenti, seu ejusdem renovatione agere, quod per hæc altera verba, *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, confirmat, quasi diceret : hæc renovatio fieri non potest nisi per mortem Christi ; Christus autem rursus crucifigi non potest : ergo impossibile est, etc. Ita fere omnes interpretes. Vide Estium in hunc locum.

Quidam tamen concedentes præfata verba de renovatione per sacramentum Pœnitentiæ intelligi posse, contendunt ea veram non exprimere impossibilitatem, sed ad summum magnam difficultatem, quod Protestantes non negant.

Obj. 2°. Idem Apost. ibid. x, 26, ait : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia : terribilis autem quædam exspectatio judicii.* Ergo.

R. 1°. Nota iterum hæc verba stricte sumpta probare nulla peccata post Baptismum remitti posse, quod prorsus negant omnes adversarii. Ergo.

R. 2°. *Distinguo textum.* Voluntarie peccantibus per apostasiam, Christum deserendo, non relinquitur hostia, *concedo ;* secus, *nego.* Etenim Apostolus hortatur Hebræos ad tenendam *spei nostræ confessionem indeclinabilem, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Quidam igitur fidem christianam abnegantes et cœtus Christianorum deserentes, ad Judaismum redibant : ut alios a tali apostasia removeat, declarat Apostolus sic peccantibus et in eo statu perseverantibus nullam jam relinqui pro peccatis hostiam : hoc quidem manifes-

tum est : porro nihil inde contra thesim nostram erui potest. Ergo.

Præcipua Protestantium argumenta solvemus, ubi de necessitate confessionis tractabimus.

PROPOSITIO SECUNDA.

Pœnitentia est sacramentum a Baptismate prorsus distinctum.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, traditione et rationibus theologicis : atqui nostra propositio est de fide, probatur, etc.

Est de fide. Definitur enim in concilio Trid., sess. 14, can. 2, his verbis : « Si quis, sacramenta confundens, » ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixe- » rit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque » ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium » tabulam appellari; anathema sit. »

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Textus enim supra citati, *Quæcumque alligaveritis*, etc.; *Quorum remiseritis*, etc.; significant peccata remittenda aut retinenda esse per modum judicii : atqui peccata non remittuntur in Baptismate per modum judicii, sed per modum regenerationis : ergo prædicta verba designant sacramentum a Baptismate distinctum.

Prob. 2° *Traditione.* Ubique enim in Ecclesia, tum occidentali, tum orientali, et in variis sectis hæreticis et schismaticis in Oriente adhuc existentibus, septem habentur sacramenta, et numeratur Pœnitentia tanquam sacramentum a Baptismate distinctum.

Prob. 3° *Rationibus theologicis.* — a) Protestantes, quos hic impugnamus, nihil admittere volunt nisi quod in Scriptura continetur : porro Scriptura non docet Pœnitentiam a Baptismate non differre, imo contrarium evidenter supponit; non enim ad Baptismum aut ad recordationem ejus B. Paulus remittit incestuosum Corinthium, et B. Petrus Simonem Magum, sed ad Pœnitentiæ lamenta. — b) Apostoli eorumque successores acceperunt

his verbis : *Quorum retinueritis*, etc., potestatem retinendi peccata : atqui frustra retinentur peccata, si sola Baptismi recordatio ea delere posset. — c) Vel Baptismus remitteret peccata post ipsum commissa, ex opere operato, vel ex opere operantis : atqui neutrum dici potest. Non prius, cum illud sacramentum iterum non conferatur. Non posterius; nam tunc eo sensu peccata remittere censeretur, quod recordatio ejus per fidem operans, actus pœnitentis excitaret, ut ait Calvinus, Inst. cap. 18, n. 4; atqui recordatio Baptismi non aptior est ad hujusmodi actus excitandos quam memoria aliorum sacramentorum, et præsertim passionis ac mortis Christi. — d) Ea sacramenta sunt distincta quorum subditi, ministri, institutio, materia, forma et effectus discrepant : atqui sic respective se habent Baptismus et Pœnitentia. Ergo.

Dices 1° : Christus ait apud S. Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; et B. Paulus, Eph. v, 26, dicit Christum mundare Ecclesiam *lavacro aquæ, in verbo vitæ*. Ergo sola fides cum Baptismo sufficit ad salutem.

R. Nego conseq. Illi enim textus probant quidem necessitatem fidei et Baptismi ad primam regenerationem, proindeque ad salutem ; non vero probant peccata postea commissa sola Baptismi recordatione delenda esse. Ergo.

Dices 2° : S. Aug., l. I de Nuptiis et Concup., cap. 33, citans verba B. Pauli ad Eph., dicit : « Non ut Baptisma, » quoties peccatur, toties repetatur ; sed quia eo ipso quod » semel datur, fit non solum antea, verum etiam postea » quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. » Unde sic : S. Aug. tribuit Baptismo remissionem peccatorum post illum commissorum : ergo æstimavit Pœnitentiam a Baptismo non differre.

R. Dist. ant. Tribuit Baptismo, etc., tanquam causæ remotæ, *conc.* ; tanquam causæ proximæ, *nego ant.* Mens sancti Doctoris est ostendere Baptismum adeo necessarium esse, ut sine ipso nulla peccata remitti possint ; nam cum illud sacramentum sit janua aliorum sacramento-

rum, ipsa Pœnitentia nullam haberet efficaciam, nisi vel sequeretur Baptismus, vel præcessisset, quod quidem apud omnes certum est. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Sententia absolutionis non tantum declarat peccata esse remissa sed ea vere remittit.

Nostra propositio est de fide. Fuit enim definita in concil. Trid., sess. 14, can. 9 : « Si quis dixerit absolu» tionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judi» cialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et de» clarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum » credat se esse absolutum... anathema sit.

Prob. 1° *Script. sacra.* Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata*, etc. Hæc verba accipi debent sensu obvio et naturali : porro sensu obvio et naturali accepta, non significant potestatem declarandi peccata esse remissa, *ut patet.* Insuper, eodem modo, ex textu, peccata remittuntur in cœlo, quo remittuntur per absolutionem : atqui vere remittuntur in cœlo, non vero declarantur remissa. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* S. Cyprianus supra citatus : « Confiteantur singuli... dum remissio facta per sacer» dotes apud Dominum grata est. » S. Chrysost., de Sacerdotio, l. III : « Corporis lepram purgare, imo potius » nullatenus purgare, sed purgatam probare, tantum Ju» dæorum sacerdotibus licebat ; et tamen nosti quanta » tunc esset, pro sacerdotali dignitate, concertatio ! Hi » vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, » non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potesta» tem acceperunt. » *Neque dici potest* S. Doctorem hæc verba ad remissionem peccatorum per Baptismum referre, cum tunc peccata non secernantur a peccatis, sicut lepra a lepra.

Si absolutio esset mere declaratoria, SS. Patres non docerent — a) peccatorum remissionem fieri per sa-

cerdotes; — b) prius solvi in terra quam in cœlo, — c) aliter remitti per claves quam per Baptismum, etc. Ergo.

Prob. 3° *Ratione.* — a) Sacramenta novæ legis gratiam sacramentalem producunt ex opere operato; verum, in hypothesi adversariorum, Pœnitentia non produceret gratiam sacramentalem ex opere operato, bene vero ex opere operantis, siquidem peccata vi dispositionum pœnitentis remitterentur. — b) Si finis absolutionis sit tantum dispositiones pœnitentis excitare, et notum ei facere peccata ejus per fidem esse remissa, inde sequeretur sententiam alta voce et lingua vulgari proferendam esse sub pœna nullitatis; in multitudinem fidelium prolatam, v. g., in concione publica, validam, imo sæpe meliorem esse: atqui hæc consectaria admitti nequeunt. Ergo.

Verus igitur sensus absolutionis est: *Ego, nomine Dei, tanquam ipsius minister, et ex potestate ab ipso mihi concessa, remitto peccata tua, seu tibi confero gratiam peccatorum tuorum remissivam.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Luc. v, 21: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Ergo ministri sacramenti Pœnitentiæ declarant tantum peccata esse remissa.

R. Nego conseq. Etenim solus Deus potest, tanquam causa primaria, peccata dimittere; at procul dubio ministerio hominis uti potest ad ea dimittenda: porro in sacramento Pœnitentiæ sacerdos dimittit peccata, non ut causa primaria, sed ut minister Dei. Ergo nihilominus solus Deus dimittit peccata. Unde S. Pacianus, Epist. 1 ad Sympronianum donatistam: « Solus hoc Deus poterit, » verum est; sed et quod per suos sacerdotes facit, ipsius » potestas est. » Ergo.

Obj. 2°. SS. Patres pluribus in locis comparant sacerdotem pœnitentes absolventem, sacerdotibus Judaicis quibus leprosi a Christo sanati jussi sunt se ostendere,

et Apostolis qui Lazarum e monumento jam egressum a vinculis solverunt : vide S. Hieron. in XVI Matth., S. Aug. Serm. 57, de verbis Evang., S. Greg. Mag., Homil. 26 in Matth. At in his casibus nec sacerdotes sanant lepram, nec Apostoli resuscitant Lazarum : ergo similiter, etc.

R. Dist. maj. SS. Patres comparant, etc., quoad aliqua, *conc.* ; quoad omnia, *nego maj.* Etenim 1° S. Hieron. hoc solum probare sibi proponit, nempe omnes peccatores non indiscriminatim reconciliandos esse, sed probandos, ut discernantur, quod exemplo sacerdotum Judaicorum confirmat his verbis : « Legimus in Levitico de leprosis, » ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus... non quod » sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod ha- » beant notitiam leprosi et non leprosi, et possint dis- » cernere qui mundus quive immundus sit... sic et al- » ligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui in- » sontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccato- » rum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive » solvendus, » id est, qui absolutione dignus, quive indignus. Talis est sensus S. Hieronymi toti traditioni congruens : porro in ea doctrina nihil est quod systemati adversariorum faveat.

2° S. Aug. et S. Greg. exemplum Lazari afferunt, ut ostendant peccatores a sacerdotibus solvi non posse, nisi prius gratia divina excitati vivere incipiant, videlicet, per displicentiam peccati, propositum non peccandi et sincerum veræ conversionis desiderium : non vero docuerunt eos non esse absolvendos, nisi plene per gratiam sanctificantem viverent ; imo contrarium expresse dixerunt. Sic S. Aug., Serm. 2 in Psal. CI : « Remissio pecca- » torum solutio est ; quid enim prodesset Lazaro quia » processit de monumento, nisi diceretur : Solvite eum » et sinite abire?... Fit hoc in corde pœnitentis : cum » audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam re- » vixit ; cum audis hominem confitendo proferre con- » scientiam, jam de sepulcro eductus est, sed non- » dum solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur?

» Quæ solveritis, inquit, in terra, et in cœlo erunt so-» luta. »

Duplex igitur distinguenda est vita peccatoris : una inchoata per gratiam excitantem, et altera perfecta per gratiam sanctificantem : peccator frustra obsolveretur, nisi priori modo jam viveret ; sic vero dispositus, vitam perfectam per absolutionem obtinet.

Hanc doctrinam duplicis vitæ peccatoris confirmarunt summi Pontifices Pius V et Gregorius XIII, damnando sequentem propositionem Baii, quæ est numero 64 : « Illa » distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur » peccator, dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ propositum » et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua » vivificatur qui vere justificatur et palmes vivus in vite » Christi efficitur, pariter commentita est et Scripturis » minime congruens. »

Quæritur 1° an sententia veterum theologorum qui docebant absolutionem sacerdotis esse tantum declaratoriam, quia supponebant peccatorem vi contritionis perfectæ, cujus necessitatem in sacramento docebant, jam esse justificatum, sit hæretica.

R. Est temeraria, erronea, principiis concilii Tridentini minime congruens, non tamen formaliter hæretica. Nam multum differt ab errore pseudoreformatorum qui negant Pœnitentiam esse sacramentum et ullam producere gratiam. Theologi enim de quibus agitur, admittebant Pœnitentiam esse sacramentum novæ Legis, gratiam sanctificantem producere, et contritionem quantumvis perfectam peccata non delere nisi in ordine ad claves Ecclesiæ. — Directe non fuit damnata hæc sententia ; concilium enim Tridentinum anathemate percussit eos qui dicerent, sicut hæretici, absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium : at rigorose dici posset absolutionem esse actum judicialem, licet duntaxat declararet peccata esse remissa, quia, videlicet, sacerdos tanquam minister Christi, prius audita confessione, juridice pronuntiaret peccata esse remissa, sicque ritum sacramentalem, vi cujus peccata a Deo remitte-

rentur, applicaret. Certe hæc explicatio est subtilis et menti concilii Tridentini parum conformis; igitur ab omnibus catholicis nunc rejicitur : attamen sufficit ut sententia theologorum ei adhærentium non sit hæretica. Unde *Soto* et *Salmeron,* qui concilio Tridentino adfuerant, hanc sententiam refellentes, non dicunt illam a concilio fuisse damnatam.

Quæritur 2° quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ sacramentum.

R. Christus illud promiserat dicendo Petro : *Dabo tibi claves*, etc., et omnibus Apostolis : *Quæcumque alligaveritis*, etc. Illud vero instituit post resurrectionem suam, quando insufflans super Apostolos, dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis*, etc. Ita propriis verbis docet concil. Trid., sess. 14, cap. 1 : « Dominus » autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue insti- » tuit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos » suos, dicens : *Accipite*, » etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE EFFICACIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Hujus capitis tres erunt articuli in quibus tota exhibebitur sacramenti Pœnitentiæ efficacia : primus erit de remissione omnium peccatorum per Pœnitentiam ; secundus de collatione gratiæ specialis ; tertius de reviviscentia meritorum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE REMISSIONE OMNIUM PECCATORUM PER POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

I. HETERODOXORUM SENTENTIA CIRCA HANC EFFICACIAM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ. — 1° Montanistæ in secundo

sæculo, inter peccata alia distinguebant remissibilia et alia irremissibilia, referente Tertulliano, Montanistarum erroribus addicto, lib. de Pudicitia, cap. 2. Remissibilia vocabant venialia, non quod mortalia non essent, sed quia aliis leviora, ab Ecclesia venia donari poterant; irremissibilia vero ea dicebant quæ, cum sint « graviora » et exitiosa, veniam non capiunt, ut homicidium, ido» lolatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia, » et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei : » sunt verba Tertulliani, ibid., cap. 12. Non ideo negabant pœnitentiam pro eis agendam, sed contendebant veniam a solo Deo exspectandam esse : igitur potestatem Ecclesiæ non tollebant, sed limitabant.

2° In tertio sæculo Novatus, presbyter Carthaginensis, a S. Cypriano graviter reprehensus, fugit Romam, ibique Novatiano primo antipapæ junctus, docuit cum illo fideles in persecutione lapsos nunquam ab Ecclesia reconciliandos esse : hinc orti sunt Novatiani quorum alii existentiam sacramenti Pœnitentiæ negare videbantur, et alii, sicut Montanistæ, inter peccata distinguebant remissibilia et irremissibilia. Sic se habet S. Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum, n. 1, doctrinam primorum Novatianorum exhibens : « Quod post Baptismum pœ» nitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia do» nare non possit; imo quod ipsa pereat recipiendo pec» cantes. »

II. Defenditur efficacia sacramenti Pœnitentiæ circa remissionem peccatorum. — Juxta fidem catholicam, præcipuus sacramenti Pœnitentiæ effectus est remissio peccatorum mortalium et venialium sive quoad culpam, sive quoad reatum pœnæ æternæ; quam veritatem exprimit tuendam sequens propositio; in altera probabimus hanc efficaciam esse permanentem pro peccatis semel remissis, ita ut hæc peccata semel remissa nunquam reviviscantur.

PROPOSITIO PRIMA.

Sacramentum pœnitentiæ habet vim remittendi omnia peccata etiam graviora post Baptismum commissa.

Propositio est de fide ut pote definita in concilio Tridentino, sess. 14, can. 1.

Prob. 1° *Scrip. sacra.* In textibus Evangelii supra citatis, Christus inter peccata non distinguit, sed verbis generalibus utens, dicit : *Quæcumque alligaveritis, quæcumque solveritis* : ergo nec nos distinguere debemus. Aliunde nullum citatur principium quo talis distinctio nitatur, nec ulla datur regula ad separationem tuto faciendam inter peccata remittenda et peccata non remittenda. Ergo.— Aliunde amplissimam acceptionem horum verborum suadent Dei misericordia, Christi meritorum efficacia, Ecclesiæ dignitas, utilitas fidelium. Ergo.

2° *Ex SS. Patribus.* S. Ambr., l. I, de Pœnit., cap. 3, n. 10, loquens Novatianis, ait : « Distinctionem peccato» rum facitis quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine » remedio arbitremini ; sed Deus distinctionem non facit, » qui... relaxandi licentiam sacerdotibus suis, sine ulla » exceptione, concessit. »

S. Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum : « Dominus » dicendo : *Quæcumque solveritis,* omnino nihil excipit ; » *quæcumque*, inquit, vel magna, vel modica. » Bibliotheca Patrum.

S. Aug., lib. de Agone christiano, cap. 31, de Novatianis ait : « Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei » omnia peccata posse dimittere. »

Hæc testimonia aliaque non pauca quæ citari possent, simul ostendunt Pœnitentiam esse sacramentum, et vim habere omnia remittendi peccata. Ergo.

3° *Traditione.* Ecclesia peccata etiam graviora quovis tempore remisit ; sic S. Paulus incestuosum absolvit. Statim atque prodiere Montanistæ, undique catholici adversus illos clamaverunt ; episcopi eos velut hæreticos dam-

naverunt. Novatiani eis succedentes similiter proscripti sunt in pluribus conciliis, et præsertim in concilio Romano, anno 255, in quo sexaginta aderant episcopi sub præsidentia summi pontificis Cornelii, qui doctrinam Novati declaravit *inhumanissimam et a fraterna charitate alienam*. Ergo tunc omnes persuasum habebant nulla esse peccata irremissibilia; idem semper creditum fuit. Ergo.

Solvuntur objectiones

Cum nulli erroribus Montanistarum et Novatianorum nunc adhærent, non est causa cur in solvendis eorum argumentis diu immoremur : ea tantum percurremus, principia solutionis breviter indicantes.

Obj. 1°. In I Reg. II, 25, legitur : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccatum in Dominum remitti non potest, cum non sit orandum pro eo.

R. 1°. Verba hic nobis objecta, aliaque ex Veteri Testamento desumpta, nihil adversum nos probare possunt; nam propositio nostra libera Christi concessione in Novo Testamento expressa nititur : ergo hujusmodi argumenta proprio pondere ruunt.

R. 2°. *Nego conseq.* Non enim prohibetur oratio pro hujusmodi peccato, ut recte notat S. Ambr., lib. I de Pœnit., cap. 9, n. 40 ; sed asseritur *singularis vitæ* esse debere aliquem, ut orare præsumat pro eo qui peccavit directe in Dominum : « Quo enim major est culpa, eo » majora quærenda sunt suffragia, » inquit S. Doctor. Aliunde Novatiani et Montanistæ non tenebant dari peccata apud Deum irremissibilia, pro quibus frustra oraretur : ergo hæc difficultas adversariis solvenda est.

Obj. 2°. Christus dicit apud Matth. XII, 31 : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc*

sæculo, neque in futuro. Idem habetur apud Marc. III, 29, et Luc. XII, 10. Ergo datur peccatum irremissibile.

R. 1° Hæc verba adhuc probarent dari peccata apud Deum irremissibilia, non vero tantum ex parte Ecclesiæ : ergo in causam adversariorum male allegantur.

R. 2° *Si omne peccatum et blasphemia* remittatur hominibus, præter blasphemiam *in Spiritum sanctum*, ut fert textus citatus, eo ipso refelluntur adversarii qui homicidium, idololatriam, fraudem, negationem, blasphemiam in genere, mœchiam, fornicationem, aliaque gravissima peccata excipiunt.

R. 3° Christus non dicit blasphemiam in Spiritum sanctum remitti non posse, sed non remittendam esse : porro non repugnat Christum annuntiare animo prophetico quoddam genus peccati non remittendum esse, quamvis Ecclesia habeat potestatem omnia relexandi peccata; quia fieri potest ut peccator excæcatus et obduratus, de peccato sufficienter non doleat, ad Ecclesiam non recurrat, vel, Deo summe justo id ex terribili judicio permittente, tempus pœnitentiam agendi non habeat.

R. 4° *Distinguo consequens.* Datur peccatum irremissibile, id est quod difficile remittitur, *conc.;* quod Ecclesia pœnitenti remittere non potest, *nego conseq.* Etenim blasphemia in Spiritum sanctum, juxta communem Patrum et Scripturæ sacræ interpretum sententiam, ea est animi perversitas quæ contra veritatem evidenter cognitam obduratur, et ipsa Dei opera., v. g., miracula quæ Spiritui sancto appropriantur, tribuit diabolo, sicut faciebant Judæi, dicentes de Christo : *Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Porro certum est tale peccatum difficile remitti posse; nam difficile est hominem cum tanta malitia peccantem, sicque obduratum, sincere ad Deum reverti : conversio quippe ad Deum fit per humile obsequium veritati cognitæ : porro qui contra veritatem cognitam sic obdurescit, viam ad Deum redeundi voluntarie sibi præcludit : ergo, etc. Ita S. Chrysost. et plerique recentiores.

Cæterum præfatus Evangelii textus adeo difficilis est,

ut S. Augustinus dicere non dubitaverit, Serm. 71 de verbis Evangelii, nullum alium in omnibus Scripturis sacris reperiri difficiliorem : sed ipse sanctus Doctor dixit, ibid., se nescire unde hoc procedat, *cum pœnitentiæ quorumdam criminum locus in Ecclesia non negetur.* Ergo.

Obj. 3°. I Joan. v, 16 : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ergo est peccatum ad mortem seu irremissibile.

R. 1° Multi per illud peccatum ad mortem intelligunt impœnitentiam finalem, quæ quidem est irremissibilis, et vana est oratio pro illa : at nihil inde contra propositionem nostram sequitur, *ut patet.*

R. 2° *Nego conseq.* Quanquam enim hæc B. Apostoli verba : *Est peccatum ad mortem,* sint intellectu difficillima, ut omnes fatentur, non probant dari peccatum irremissibile ad sensum Novatianorum : nulla quippe fit mentio de potestate Ecclesiæ. Nec S. Joannes dicit pro tali peccato non esse orandum : « Non scriptum est : Nullus » orabit pro eo; sed : Quis orabit pro eo; hoc est, quis » ille sit qui in tali causa orare possit quæritur, non ex» cluditur, » inquit S. Ambros., l. v de Pœnit., cap. 9, n. 40. Unde probabilius est Apostolum hic intelligere per peccatum ad mortem peccatum mortale cui peccator adhæret : non prohibet ne fideles pro tali peccato orent, sed non audet illos hortari ad orandum cum ea fiducia de qua locutus est in versibus 14 et 15 ejusdem capitis, dicendo : *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum : quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Et sane cum eadem fiducia orare non possumus pro homine obdurato ac pro eo qui de peccato jam dolet. Ergo.

Obj. 4° Plures alii objici possunt textus, ut II Machab. IX, 13, ubi de Antiochio legitur : *Orabat Dominum a quo non esset misericordiam consecuturus;* Epist. ad Hebr. XII, 17, ubi dicitur de Esaü : *non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Verum Antiochus Deum ex corde contrito et vere converso non quærebat,

ideo misericordiam non consecutus est ; Esaü veniam non petebat a Deo, sed precibus et lacrymis frustra quæsivit a patre ut de benedictione data pœnitens, eam revocaret.

Dicit Deus in Proverb. I, 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam eos ;* et Christus apud Joan. VIII, 21 : *Quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Sed in locis his agitur de peccatoribus qui viventes Deum contempserunt, et morientes illum ex metu quodam modo invocant, et non exaudiuntur, quia sincere et efficaciter non sunt pœnitentes : manifestum est autem unicuique attendenti hos textus aliosque similes a Novatianis inaniter allegari.

Objicitur adhuc 5° sanctos Patres pluries affirmare pœnitentiam semel tantum imponendam esse : verum tunc de pœnitentia publica et solemni, de qua aliquid infra dicemus, loquuntur, non vero de absolutione sacramentali quæ semper iterari potest.

Objicitur 6° facilitatem veniæ incentivum esse peccandi ; sed antiqua illa objectio, a *Sismondi* renovata, grave sustinere non potest examen ; venia enim non conceditur nisi vere contritis et sincere confessis.

PROPOSITIO SECUNDA.

Peccata semel remissa per lapsum in novum peccatum non redeunt simpliciter.

Prob. Scriptura sacra. Ezech. XVIII, 21 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor ;* Rom. XI, 29 ; *Sine pœnitentia sunt dona Dei :* at si peccata reviviscerent, Deus recordaretur iniquitatum, et ipsius dona non essent sine pœnitentia : ergo. Aliunde peccata olim condonata de novo subjici deberent clavibus Ecclesiæ, quod repugnat S. Scripturæ et praxi Ecclesiæ.

Si autem mulier vidua de Sarepta dicat Eliæ, III Reg. XVII, 18 : *Quid mihi et tibi, vir Dei : ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ... ?* si Tobias dicat Deo. Tob. III, 3 : *Domine, ne reminiscaris delicta mea, vel pa-*

rentum meorum; si Psalmista oret, dicens, Ps. LXXVIII, 9, *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum :* hæc aliaque similia intelligenda sunt de pœnis temporalibus quæ pro peccato jam remisso infligi possunt; minime vero ostendunt peccata, sive quoad maculam, sive quoad reatum pœnæ æternæ redire.

Diximus *non redeunt simpliciter,* quia redeunt secundum quid, eo sensu quod peccatum, post obtentam justificationem admissum, sit majus et magis a Deo puniendum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE COLLATIONE GRATIÆ PER SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

PROPOSITIO.

Gratia specialis producitur in sacramento Pœnitentiæ.

Hæc propositio constat, tum ex dictis in præsenti tractatu; peccata enim remitti non possunt nisi per effusionem gratiæ sanctificantis in animam; tunc ex eo quod sacramentum Pœnitentiæ, sicut et alia sacramenta, gratiam sibi specialem producere debeat.

Quæ sit vero ista gratia? videtur quod ea sit quæ, peccatis remissis, proprie sanctificat animam pœnitentem, et aliunde præstet gratias speciales ad perseverandum necessarias.

ARTICULUS TERTIUS.

DE REVIVISCENTIA MERITORUM.

Notandum est quadruplicis generis distingui opera, scilicet : viva, mortua, mortifera et mortificata.

Opera viva ea sunt quæ fiunt in statu gratiæ cum debitis conditionibus ut gloriam æternam mereantur; mortua, sunt illa quæ, licet bona et supernaturalia, præmium cœleste non merentur, quia fiunt ab homine gratia

sanctificante destituto; mortifera, sunt peccata quælibet mortalia; denique opera mortificata, sunt opera bona, supernaturalia et in statu gratiæ facta, sed quæ desinunt esse meritoria coram Deo, propter lapsum in peccatum mortale.

Certum est quæstionem moveri non posse de operibus mortuis quæ, cum vitam non habuerint, reviviscere non possunt, neque de operibus vivis quæ meritoria esse non desierunt, sed de solis operibus mortificatis.

PROPOSITIO.

Bona opera, per peccatum mortificata, efficacia Pœnitentiæ sacramenti reviviscunt.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Ezech., XVIII, 22 : *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est, vivet;* et XXXIII, 12 : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua :* at si bona opera per peccatum mortificata non reviviscerent, Deus iniquitatum recordaretur, impietas noceret impio converso. Ergo.

Prob. 2° *SS. Patribus.* S. Hieronymus, in Epist. ad Galatas, cap. 3, sic ait : « Quicumque ob fidem Christi » laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut » priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic » rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem et ad an» tiquum studium revertatur. » Eodem sensu locutus est S. Ambr., lib. II in Luc., et plures alii. Ergo.

Prob. 3° *Conc. Trid.* Sess. 6, cap. 16, docet tres requiri conditiones ut bona opera præmium æternum consequantur : — a) videlicet, ut facta fuerint ab hominibus justificatis; — b) in Deo seu supernaturaliter; — c) et ut qui ea fecerint, in statu gratiæ decedant : atqui opera mortificata facta sunt in statu gratiæ ab homine justificato, qui moriens post justificationem, in statu gratiæ decedit : ergo.

Dices : Non reviviscunt peccata : ergo nec merita.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod peccatum per remissionem omnino deleatur, quoad culpam et quoad pœnam saltem æternam; merita vero per peccatum non destruantur, sed tantum obex illis ponatur : per justificationem autem obex tollitur : ergo reviviscunt.

Quæritur quo gradu reviviscant merita.

R. Tres sunt theologorum opiniones, quarum communior et probabilior tenet ea reviviscere gradu proportionato intensitati pœnitentiæ : unde si quis ante peccatum habuerit justitiam ad quatuor gradus, et ipsius conversio sit tantum ad duos, dimidiam habebit partem meritorum; si conversio sit ad quatuor gradus, tota habebit merita, cum gratia sanctificante et virtutibus annexis; si dispositio ejus ad sex gradus ascendat, merita ultra quatuor non resurgent, siquidem nunquam fuerunt majora. Ita, post S. Thomam, *Billuart, Dens* et multi alii. Attamen ex Suarez, merita reviviscunt per pœnitentiam etiam debilem juxta gradum quem ante peccatum habebat pœnitens, quia peccata commissa in merita anteriora non influunt et tantum illis ut obex ponuntur.

CAPUT TERTIUM.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Duplex distinguitur materia sacramenti Pœnitentiæ : una remota circa quam versatur, et altera proxima ex qua componitur sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Nulla in eo puncto est controversia inter theologos, qui omnes fatentur materiam remotam, seu potius remo-

vendam, sacramenti Pœnitentiæ, esse peccata post Baptismum commissa. Sunt enim objectum circa quod delendum versatur sacramentum.

Hæc materia potest esse necessaria, vel tantum sufficiens et non necessaria.

PROPOSITIO PRIMA.

Omnia peccata mortalia, post Baptismum commissa et nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ, sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. Omnia peccata mortalia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ necessaria, si omnes homines peccati mortalis rei ad illud sacramentum recurrere teneantur : atqui probabimus infra, demonstrando necessitatem confessionis, omnes reos peccati mortalis ad sacramentum Pœnitentiæ recurrere teneri : ergo.

Diximus 1° *post Baptismum commissa*, quia peccatum originale et etiam peccata actualia ante Baptismum commissa, clavibus Ecclesiæ subjici non possunt; Ecclesia enim de iis qui foris sunt non judicat, et tamen sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii administratur. Ergo.

Susceptio Baptismi peccaminosa est materia sacramenti Pœnitentiæ, quia licet istud peccatum committatur simul cum Baptismo, est tamen natura sua posterius Baptismo, eo quod solummodo gratiam non vero valorem Baptismi impediat. In hoc casu peccata commissa ante Baptismum remittuntur vi Baptismi postea reviviscentis.

Diximus 2° *nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ;* probabimus enim infra strictam dari obligationem confitendi peccata aliter remissa, v. g., vi contritionis perfectæ, ante sacramentum, aut indirecte, vi absolutionis in ipso sacramento, si bona fide oblivioni data fuissent.

PROPOSITIO SECUNDA.

Peccata venialia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, sed non necessaria.

Prob. prima pars, videlicet peccata venialia esse materiam sufficientem. Etenim verba Christi : *Quæcumque solveritis,* etc., *Quorum remiseritis,* etc., sunt generalia et ad omnia vincula spiritualia extendenda sunt : porro peccatum veniale etiam minimum aliquod est vinculum spirituale : ergo.

Prob. secunda pars ex concilio Trid., sess. 14, cap. 5 : « Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in » quæ frequentius labimur, quanquam recte et utiliter, » citraque omnem præsumptionem, in confessione di- » cantur, quod piorum hominum usus demonstrat, ta- » ceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis » expiari possunt. » Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Peccata jam directe remissa sunt materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. 1° verbis Christi, *Quorum remiseritis,* etc. Christus enim non dicit, *Quorum* semel *remiseritis;* non vetat igitur condonationem iterare. 2° Qui alterum offendit, potest iterum atque iterum culpam confiteri, veniam petendo ; et offensus recte dicit iterum : *Veniam concedo, tibi parco :* ergo *a pari,* etc. 3° Denique id constat ex praxi Ecclesiæ et usu piorum hominum ; quæ ratio sola est validissima et sufficit. Ergo.

Dices 1° : Peccata remissa jam non sunt peccata : ergo non possunt esse, etc.

R. Dist. ant. Non sunt peccata, actu, *conc.;* non possunt revocari in mentem ut peccata præterita, *nego ant.* Quoties autem sic rememorantur, peccator de illis do-

lere debet; ea confiteri et pro illis de novo satisfacere potest : cur ergo repugnaret absolutionem super iisdem iterari?

Inst. 1° Verba absolutionis vera esse debent : atqui non essent vera, siquidem peccata reipsa non remitterentur : ergo.

R. Nego min. Sensus enim verborum absolutionis est : *Confero tibi gratiam sanctificantem, peccatorum remissivam :* porro ille sensus verus est, licet peccata jam fuerint remissa.

Inst. 2° Qui super vinctum a corporalibus vinculis jam solutum diceret, *Solvo te,* falsum pronuntiaret : ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod solutio a vinculis corporalibus effectum positivum sibi annexum non habeat, et in dicto casu jam fieri nequit; e contra Pœnitentiæ sacramentum gratiam sanctificantem secum portat, eamque pœnitenti recte disposito confert. Ergo.

Inst. 3° Qui verba consecrationis super hostiam jam consecratam pronuntiaret, sacramentum non conficeret : ergo similiter et qui verba absolutionis, etc.

R. Nego iterum conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est quod in hostia consecrata non existat panis, materia essentialis Eucharistiæ; contra vero, peccata remissa possunt esse objectum doloris, confessionis et satisfactionis : hi autem actus pœnitentis sunt materia sacramenti Pœnitentiæ. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MATERIA PROXIMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

I. ERRORES, VEL OPINIONES DIVERSÆ CIRCA MATERIAM PROXIMAM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ. — 1° Lutherani, qui hoc sacramentum retinent, assignant pro ejus materia terrores conscientiæ ex agnito peccato incussos, et fidem ex Evangelio vel absolutione conceptam *qua credit quis*

sibi per Christum esse remissa peccata ; Palav. Hist. concil. Trid., l. XII, cap. 10, n. 3.

Moehler doctrinam Protestantium in hoc puncto sic exprimit : « L'effroi de la conscience seul nous rend » dignes des mérites de Jésus-Christ ; puis la foi, comme » organe, délivrant l'homme de ses terreurs, le rend juste » et saint aux yeux de Dieu. Ensuite, quand le fidèle est » justifié, le dessein de changer de vie et l'amour de Dieu » naissent de la foi ; en sorte que ces deux sentiments ne » contribuent en rien à la justification, et n'entrent point, » par conséquent, dans l'idée de la pénitence. » (*Symbolique*, liv. I, ch. 4, § 33).

Error iste damnatus est in concil. Trid., sess. 14, cap. 3, his verbis : « Sancta synodus eorum sententias » damnat qui Pœnitentiæ partes incussos conscientiæ ter- » rores et fidem esse contendunt. » Idem habetur can. 4 ejusdem sess.

Et sane terrores conscientiæ possunt ad pœnitentiam disponere, at non ipsam constituunt ; hi enim terrores incuti possunt quin adsit vera Pœnitentia, ut constat exemplo Dæmonum qui *credunt* et *contremiscunt*, Jac. II, 19 ; et vice versa, vera esse potest Pœnitentia sine his terroribus, ut probatur exemplo Magdalenæ, quæ solo divini amoris impulsu egit pœnitentiam.

Fides vero seu fiducia qua quis se credit infallibiliter justificatum, peccatorum remissionem subsequeretur, si non esset merum figmentum, ut probatur in Tract. de Gratia.

2° Calvinus Pœnitentiam habens tantum ut virtutem, duas ipsi partes essentiales assignat, nempe mortificationem et vivificationem, id est, abnegationem sui et interiorem animi renovationem ; Inst. de Pœnit., n. 2. Quæ duo omnium hominum sunt, etiam justorum, dum Pœnitentia est peccatorum duntaxat ; ergo in his non consistit Pœnitentia.

3° Inter catholicos variæ sunt opiniones quæ ab Ecclesia non fuerunt damnatæ. — a) Scotus totam sacramenti Pœnitentiæ essentiam in sola absolutione reponit, contritionem vero, confessionem et satisfactionem tradit ut

dispositiones necessarias ; et non ut partes sacramenti : plures recentiores huic opinioni subscripserunt, inter quos *Maldonat.* — b) Durandus volebat totam sacramenti pœnitentiæ materiam in sola confessione pœnitentis consistere, contritionem vero esse dispositionem, et satisfactionem fructum Pœnitentiæ. — c) Paludanus tres actus pœnitentis, contritionem, confessionem et satisfactionem pariter necessarios esse contendit, cui consentire videtur Petrus Osmensis, dicens absolutionem datam ante satisfactionem, esse nullam. — d) Melchior Canus docet contritionem non esse partem essentialem sacramenti, sed integralem duntaxat. — e) Eruditus P. Morinus, l. VIII, cap. 8 et 15, probare intendit manus impositionem ad reconciliandum peccatorem etiam private semper fuisse in usu, eamque necessariam esse ; *Witasse* et plures alii volunt eam esse materiam hujus sacramenti.

II. SENTENTIA COMMUNISSIMA DE MATERIA PROXIMA PŒNITENTIÆ APERITUR ET PROBATUR. — Communissime theologi catholici pro materia sacramenti Pœnitentiæ proxima assignant, post S. Thomam in tertia parte, q. 84, art. 2, tres actus pœnitentis, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem in *principio* suo, id est in dispositione mentis, et aliquo modo inchoatam per ipsam confessionem, et in voto de cæteris : satisfactio enim in re et in actibus suis, est pars sacramenti integralis ; non autem essentialis, ut ostendemus infra.

PROPOSITIO.

Tres actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. 1° Decreto Eugenii IV ad Armenos : « Quartum » sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt » actus pœnitentis. »

Prob. 2° concil. Trid., sess. 14, cap. 3, et can. 4 : « Si » quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum » remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi ma-

» teriam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, » confessionem et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ » partes dicuntur... anathema sit. » Unde sic : Quamvis concilium Trid. controversiam inter Scotistas et Thomistas definire noluerit, referente Palavic., l. XII, cap. 12, attamen in sententiam Thomistarum, quæ est nostra, multo magis propendere videtur. — a) Etenim loquitur de materia hujus sacramenti et aliam præter actus pœnitentis non assignat. — b) Dicit hos actus esse *partes Pœnitentiæ* : concurrunt ergo ad conficiendum sacramentum. — c) Eodem modo synodus Trid. loquitur de forma absolutionis ac de actibus pœnitentis, cap. 3 : at forma est pars essentialis sacramenti : ergo et actus pœnitentis : porro si sint partes essentiales, tenent locum materiæ. — d) Catechismus concilii Trid., cap. 17, de actibus pœnitentis, sic se habet : « Neque vero hi actus, quasi materia a sancta » synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non » habent; sed quia ejus generis materia non sint, quæ » extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma » in Confirmatione. » Ergo.

Prob. 3° ratione. Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii administrari debet, ut patet ex ipsius institutione et ex infra dicendis : in judicio autem cognitio causæ est materia : ergo confessio est materia sacramenti Pœnitentiæ : at cum fieri debeat in ordine ad reconciliationem, oportet eam esse cum dolore et satisfactione saltem in proposito. Ergo.

Dices 1° : Concil. Trid. docet, sess. 14, cap. 4, contritionem præparare *ad remissionem peccatorum* : ergo est dispositio ad sacramentum, non vero pars ejus.

R. Nego conseq. et dico contritionem esse simul dispositionem, quatenus ex parte pœnitentis consideratur, et partem sacramenti in quantum a Christo ad hanc dignitatem fuit elevata. Idem de aliis actibus pœnitentis dici potest. Ergo.

Dices 2° : In sacramentis minister simul applicat materiam et formam ; at supposito actus pœnitentis esse materiam sacramenti Pœnitentiæ, pœnitens unam partem

sacramenti applicaret et sacerdos alteram, et sic uterque foret minister. Ergo.

R. Nego maj. In pluribus quidem sacramentis minister applicat materiam et formam, ut in Baptismo, in Confirmatione, in Ordine, in Extrema-Unctione. At in sacramentis quæ a sola voluntate Christi pendent, argumentum *a pari* est vitiosum. Et revera, quædam sunt sacramenta in quibus minister non simul applicat materiam et formam, sed tantum formam super materiam sibi oblatam pronuntiat, et sacramentum efficitur, scilicet, in Eucharistia et probabiliter in Matrimonio; cur non in Pœnitentia? Pœnitens autem non magis est comminister sacramenti quam sacrista qui panem eucharisticum ante Missam ponit in altare : ergo.

Dices 3° : Materia alicujus sacramenti debet esse sensibilis : atqui contritio non est sensibilis : ergo.

R. Dist. min. Non est sensibilis in se, *conc.*; in actibus externis eam manifestantibus, *nego min.* Etenim contritio, quæ est actus cordis, manifestatur per nonnullos actus quibus judicatur hominem esse contritum. Ergo.

Cum impositio manus in cunctis Ritualibus simpliciter præscribatur, et aliunde graves auctores arbitrentur eam esse necessariam, nunquam omittenda est; et si ob infirmitatem sacerdos manum dexteram extendere non posset, sinistram protendere deberet.

CAPUT QUARTUM.

DE SINGULIS MATERIÆ PROXIMÆ POENITENTIÆ PARTIBUS.

Ut nuper indicavimus, partes materiæ proximæ in sacramento Pœnitentiæ sunt tres actus pœnitentis, de quibus agendum in triplici articulo.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CONTRITIONE.

QUID SIT CONTRITIO ET QUOTUPLEX. — Vox *contritio*, a verbo *conterere* veniens, denotat in sensu grammatico actionem aliquid durum in partes minutas disrumpendi, et per metaphoram exprimit actum internum quo duritia cordis frangitur. Definitur a concilio Trid., sess. 14, cap. 4 : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur 1° *animi dolor;* id est, interna voluntatis tristitia, non vero affectio exterior in parte sensitiva : aliquando hæc affectio ex vehementi dolore interno nascitur, et est laudabilis, non autem necessaria, cum ab homine non pendeat.

Dicitur 2° *detestatio de peccato commisso*; id est odium peccati, efficiens ut quis valde exoptaret non peccasse.

Dicitur 3° *cum proposito non peccandi de cætero* : detestatio enim peccati, si sit efficax, omnem voluntatem peccandi excludit : importat igitur firmum propositum amplius non peccandi.

Duplex distinguitur contritio, scilicet perfecta et imperfecta. Dicemus 1° de contritione in genere; 2° de contritione perfecta, et 3° de contritione imperfecta.

§ I. — De contritione in genere.

Hic expendere licet 1° an contritio in genere, prout eam definivimus, necessaria sit ad justificationem; 2° quas dotes habere debeat : hinc duplex erit sectio.

SECTIO PRIMA. — *De necessitate contritionis in genere ad justificationem.*

I. DE NECESSITATE CONTRITIONIS IN GENERE. — Theologi distinguunt contritionem formalem, qua quis directe

dolet de peccatis, et contritionem virtualem, seu implicitam, quæ continetur in aliquo actu conversionem ad Deum includente; ut si quis, de peccato admisso non cogitans, actum perfectæ charitatis eliciat, vel martyrium subeat.

Necessitas autem contritionis spectari potest quoad peccata mortalia et quoad peccata venialia.

PROPOSITIO PRIMA.

Omni tempore contritio saltem implicita fuit necessaria ad remissionem peccatorum mortalium tum necessitate medii, tum necessitate præcepti divini aut ecclesiastici.

Prob. 1ª *Pars.* Illud est necessarium necessitate medii, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, homo salvari non potest; atqui sine contritione peccator justificari ac proinde salvari nequit : nulla enim obtineri potest justificatio sine sincera conversione cordis; vera autem conversio esse non potest sine dolore de præterito, et proposito non peccandi de cætero.

Unde S. Augustinus, lib. de Duabus animabus, cap. 14 : « Potest aliquis dicere non se peccare : non autem sibi » esse, si peccaverit, pœnitendum, nulla barbaries dicere » audebit. »

Concilium Tridentinum, sess. 14, c. 4 : « Fuit... quo- » vis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic » contritionis motus necessarius. »

Diximus *saltem implicita*, quia contritio quæ in amore Dei super omnia dilecti virtualiter continetur, sufficit ad justificationem; supponit enim plenam aversionem a peccato et conversionem ad Deum.

Prob. 2ª *pars, nempe necessariam esse contritionem necessitate præcepti*, et quidem multiplicis : — a) scilicet naturalis; exigit enim naturalis ratio compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ; atqui per contritionem hæc injuria compensatur,— b) Præcepti divini, ut patet ex multis S. Scripturæ textibus : Ezech. XVIII, 30 : *Con-*

vertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; Joel. II, 12; *Convertimini ad me in toto corde vestro* ; Ps. L, 19 : *Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies* ; Luc. XIII, 3 : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Hi omnes textus pœnitentiam cordis, seu veram contritionem, supponunt. — c) Præcepti ecclesiastici, cum Ecclesia præcipiat confessionem annualem quæ sine contritione esse nequit.

Contritio autem requisita, tum necessitate medii, tum necessitate triplicis præcepti, ea est quæ hominem Deo reconciliat ; proinde, extra sacramentum, debet esse perfecta, et cum sacramento saltem imperfecta sensu infra explicando. Ad implendum præceptum debet esse formalis.

PROPOSITIO SECUNDA.

Peccatum veniale non remittitur sine aliqua contritione.

Prob. 1° ex testimoniis in præcedenti propositione allatis, quæ generalia sunt, præsertim testimonia Concil. Trid. et S. Augustini.

2° *Auctoritate* S. Thomæ, dicentis, 3ª p., q. 87, art. 1, concl. : « Sicut peccatum mortale remitti non potest » quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec » peccatum veniale, quia, remanente causa, remanet » effectus. »

3° *Ratione.* Nonne maxime convenit Deum non remittere peccatum etiam veniale ei qui de illo non dolet, nec illi renuntiat? Ergo.

Communius docetur hic etiam sufficere contritionem virtualem quæ continetur in affectu incompatibili cum affectione ad peccatum, vi cujus homo suum detestaretur peccatum si de illo cogitaret.

Notandum hanc propositionem intelligendam esse de peccato veniali in homine justificato ; nam in peccatore peccatum veniale non remittitur quin remittatur peccatum mortale.

II. De tempore quo urget necessitas contritionis. — Quæstio de eo tantum movetur qui in peccato mortali constituitur; non datur quippe obligatio iterandi contritionem de peccatis jam remissis. In statu justificationis existit contritio habitualis, quæ procul dubio sufficit. Hoc præceptum contritionis urgere potest *per se*, id est motivo ipsi proprio, *vel per accidens*, seu ratione alterius præcepti quod sine contritione impleri non potest.

1° Præceptum contritionis eum qui in peccato mortali constituitur obligat *per accidens :* — a) Quoties aliquid faciendum est statum gratiæ requirens; v. g., aliquod sacramentum suscipiendum vel administrandum. — b) Quoties eliciendus est actus perfectæ charitatis, qui actus conciliari non potest cum statu peccati perseverante : porro existit præceptum eliciendi actum charitatis saltem singulis quinquenniis, siquidem sequens propositio ab Innocentio XI damnata est, die 2 martii anni 1679, n. 6, Curs. compl. t. VI, col. 701 : *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Juxta multos, hoc præceptum obligat semel aut pluries in anno; alii, ut S. Ligorius, l. VI, n. 437, volunt illud obligare singulis mensibus. — c) Cum violenta ingravescit tentatio, quæ vinci non potest nisi omnis affectus ad peccatum sincere deponatur. — d) Obligat singulis annis ratione confessionis annuæ præscriptæ, quæ sacrilega esse non potest. — e) Plures contendunt hoc præceptum obligare *per accidens* singulis diebus dominicis et festivis, quia hi dies sanctificari nequeunt a peccatore de peccato suo non dolente. Sed hæc sententia cum sua probatione communiter rejicitur; homo enim in peccato mortali constitutus, modo actualem ad illud non habeat affectionem, religiose ac valide interesse potest Sacro.

2° Præceptum istud obligat *per se*, juxta omnes, saltem — a) in articulo et in probabili periculo mortis, quia peccator in tali periculo constitutus, justificationem sibi procurare tenetur. — b) Aliquoties in vita, quia ita obligant præcepta affirmativa,

At valde inter auctores controvertitur an qui Pœnitentiæ sacramentum cum contritione solum imperfecta suscepit, actum contritionis perfectæ nihilominus elicere teneatur. Valde optanda est contritio perfecta, et tamen cum ejus necessitas, si existat, sit tantum de præcepto, caute de ea loquendum est, præsertim cum simplicibus, qui actum contritionis perfectæ habent ut difficillimum.

Extra mortis articulum aut periculum, quidam dicunt præceptum contritionis nunquam *per se* obligare; multi alii, e contra, censent illud obligare moraliter statim post admissum peccatum mortale, id est, ubi peccatum memoriæ occurrit, et sequentibus fulciuntur momentis :

A) *Script. sacra.* Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem;* et Marc. XIII, 35 : *Vigilate ergo; nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.* Porro reus peccati mortalis, qui actum contritionis statim non elicit, hæc divina præcepta non implet.

B) *Ratione.* — a) Namque qui periculo salutem suam amittendi se exponit, peccat : porro qui voluntarie manet in peccato mortali, tali periculo se exponit : ergo. — b) Qui de peccato admisso cogitans, non dolet, eo ipso illud approbat : ergo de novo peccat. — c) Qui voluntarie remanet Deo oppositus, injuriam ipsi facit. Ergo.

Verumtamen communius docent theologi non dari obligationem, saltem sub gravi, actum contritionis justificantis eliciendi statim post admissum peccatum, nec ubi memoriæ occurrit. — a) Quia illud præceptum est affirmativum : ergo non magis obligat pro semper quam præcepta actus fidei, spei, charitatis, confessionis, etc. — b) Quia peccata multiplicarentur pro numero instantium dilationis, quod praxi confessariorum et communi sensui fidelium adversatur. — c) Quia fieri potest ut quis in peccato memoriæ occurrente non complaceat, nec tamen de illo sincere doleat : tunc autem nihil probat um tali dispositione mentis peccatum approbare, volun-

tarie Deo manere oppositum saltem positive, novum admittere peccatum, gravi et proximo periculo salutem suam exponere.

Probabilius nobis videtur dari præceptum, sed tantum sub veniali, actum contritionis statim eliciendi, et peccatum istud fieri mortale per gravem negligentiam. Quanta autem hæc debeat esse negligentia ut peccatum sit mortale solus Deus novit; quapropter sæpe monendi sunt peccatores ut conversionem suam non differant, nec tamen multum sollicitus esse debet confessarius ut numerum peccatorum ex hujusmodi negligentia provenientium cognoscat; ea enim ex dilatione confessionis, ex modo confitendi et ex interrogationibus alias necessariis sufficienter advertere potest.

SECTIO SECUNDA. — *De dotibus seu qualitatibus contritionis.*

QUID CONSTITUAT CONTRITIONEM. — Contritio talis esse debet qualem concil. Trid., sess. 14, cap. 4, eam definit et cujus astruimus necessitatem ad obtinendam justificationem, sive cum sacramento Pœnitentiæ, sive extra illud sacramentum. Unde non sufficit voluntas peccata confitendi et absolutionem recipiendi, nisi positivus existat actus doloris; — nec propositum pœnitendi et desiderium ad Deum revertendi; — nec dolor quem quis habet ex eo quod non doleat, licet, in conscientiis timoratis, possit esse signum veri doloris de peccatis; — nec, juxta communissimam sententiam, dolor fictus aut falso, licet bona fide et invincibiliter, existimatus : ignorantia enim in eo casu, a novo peccato excusare potest, non vero sufficere ut peccator *avertatur ab impietate sua, convertatur ad Deum,* et justificationem obtineat.

Quatuor numerantur qualitates contritioni essentiales : nempe contritio debet esse interna, supernaturalis, universalis et summa. Eas seorsim expendemus in quatuor sectionibus, quibus addemus quintam de proposito non peccandi in futurum, et sextam de modo quo adesse debeat contritio in Pœnitentiæ sacramento.

Punctum primum. — An contritio debeat esse interna.

PROPOSITIO.

Necesse est ad justificationem ut contritio sit interna.

Probatur omnibus momentis quibus necessitatem ejus ostendimus. Etenim est *animi dolor*; conversionem cordis operari et voluntatem peccandi excludere debet : unde propheta Joel, II, 13, ait: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Ergo.

Hinc sufficiens non esset dolor mere externus, qui scilicet voce, lacrymis, tunsionibus pectoris aliisque signis foras prodiret, dum in mente non esset : patet ex dictis. Oportet tamen ut in sacramento Pœnitentiæ dolor interior, cum sit materia ejus, aliquo signo exterius manifestetur, v. g., affirmatione, modo confitendi, et proposito expresso cessandi a peccato; sed non requiritur ut in parte sensitiva appareat, v. g., gemitibus, lacrymis, etc. Quot enim siccis oculis vere dolent de peccato, et flent amare audiendo patrem aut amicum esse mortuum!

Punctum secundum. — An contritio debeat esse supernaturalis.

Duplici modo potest esse supernaturalis, scilicet, ratione principii, id est, gratiæ eam producentis, et ratione motivi quo pœnitens innititur dolendo. Motivum supernaturale est illud quod per fidem subministratur.

PROPOSITIO.

Contritio ad justificationem necessaria debet esse supernaturalis, tum ratione principii, tum ratione motivi.

Prob. prima pars. 1° Homo per contritionem disponitur ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam : at de fide est illum solis naturæ viribus sufficienter

pœnitere non posse, ut patet concil. Trid., sess. 6, can. 3 : « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti « inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, » sperare aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justifica- » tionis gratia conferatur; anathema sit. » Ergo. 2° Idem habetur sess. 14, cap. 4, ubi dicitur attritionem, quæ ad justificationem disponit, *donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum*. 3° De fide est, contra Semipelagianos, initium salutis et justificationis a Deo esse, non ab homine. 4° Innocentius XI sequentem damnavit propositionem, n. 57, Curs. compl., t. VI, col. 712 : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam*. Clerus Gallicanus notam hæreseos eidem propositioni annexuit, in comitiis generalibus anni 1700. Ergo, etc.

Sed quum Deus non recuset gratiam suam concedere peccatoribus aliunde recte dispositis, in praxi non curandum est an contritio quæ est supernaturalis ratione motivi, item sit supernaturalis ratione principii.

Prob. secunda pars. Necesse est, ex modo dictis, ut contritio simpliciter dici possit supernaturalis; atqui contritio solo motivo naturali innixa, simpliciter dici non posset supernaturalis : v. g., fur deprehensus, vehementer dolet de furto, propter pœnas ab ipso luendas; libidinosus gemit de turpitudinibus suis, ob infamiam, ob detrimentum sanitatis, etc. : quis talem contritionem supernaturalem appellabit? Si a Deo proveniat, est tantummodo donum naturale. Ergo.

Hinc colligendum est peccatorem qui ad justificationem se præparare intendit, contritionem requisitam a Deo expostulare, eamque consideratione alicujus motivi fide cogniti in mente sua excitare teneri.

Punctum tertium. — An contritio debeat esse universalis.

Ea contritio dicitur universalis quæ ad omnia extenditur peccata, sive explicite, sive saltem implicite, id est ex motivo omnibus communi.

PROPOSITIO.

Contritio ad justificationem necessaria debet esse universalis quoad peccata mortalia.

Prob. 1° concil. Lateran. II, sub Innocent. II, can. 22, ubi dicitur falsam esse pœnitentiam, « cum spretis plu» ribus, de uno solo pœnitentia agitur; aut cum sic agi» tur de uno, ut non discedatur ab alio. » 2° Contritio præparare debet ad justificationem; sed contritio quæ non esset universalis ad justificationem non præpararet; nam justificatio cum uno peccato mortali subsistere non potest, et aliunde peccatum mortale sine contritione remitti nequit : ergo.

Hinc, qui de uno peccato, v. g., de homicidio vel de adulterio doleret, propter specialem ejus turpitudinem, non ideo de aliis sufficienter contereretur. Non tamen necesse est ut tot eliciantur actus contritionis quot sunt peccata commissa; unicus actus ex motivo omnibus peccatis communi elicitus, ad justificationem sufficit. Sed requiritur ut motivum si non sit generale in se, saltem ad omnia peccata commissa referatur.

Diximus *quoad peccata mortalia.* Cum enim mortalia sine venialibus remitti possint, non necesse est ut dolor ad venialia extendatur. At si unum peccatum falso putaretur veniale, dum esset mortale, et de illo verus non existeret dolor, absolutio foret nulla : verus autem existit dolor si pœnitens, motivo generali ductus, de omnibus mortalibus sincere et supernaturaliter doleat, et tunc peccatum mortale bona fide habitum ut veniale, reputandum est oblitum in quantum est mortale, ac consequenter indirecte remissum.

Unum veniale sine aliis remitti potest. Si ergo venialia duntaxat declarentur, non requiritur ut contritio sit universalis, quamvis id valde exoptandum et pro viribus ab iis qui ad perfectionem tendunt procurandum sit.

Si quis venialia tantum declarans de nullo vere doleret,

sacramentum eo ipso redderet nullum, quod de sua natura esset grave peccatum. Nec tamen, sub hoc respectu, anxii sint timorati, quia facile sufficientem habent contritionem de peccatis etiam venialibus, saltem de uno, et aliunde periculo obviare possunt declarando, saltem in genere, peccata antea commissa de quibus habitualem habent contritionem quam sic reddunt actualem.

Secundum communissimam theologorum sententiam, qui in confessione quædam declararet peccata venialia absque contritione, inter alia de quibus contereretur, non mortaliter, sed venialiter tantum peccaret, ob quamdam irreverentiam erga sacramentum; imo quandoque nullatenus, si videlicet haberet legitimam causam, v. g., ut consilia exquireret, etc.

Punctum quartum. — An contritio debeat esse summa.

Triplici modo contritio dici potest summa, scilicet 1° *appretiative*, si Deus supra omne bonum æstimetur et peccatum supra omne malum odio habeatur ac timeatur; 2° *intensive*, si dolor sit vehementissimus; 3° *extensive*, si per tempus perseveret; vel si ad omnia extendatur peccata, quo sensu esset universalis.

PROPOSITIO.

Contritio ad justificationem necessaria, debet esse summa appretiative, *non vero* intensive, *nec* extensive.

Prob. prima pars. 1° Matth. x, 37 : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Ergo Deus plus diligi debet quam res aliæ quælibet. 2° Contritio ad justificationem sufficiens debet excludere omnem voluntatem peccandi : necesse est ergo ut sit detestatio peccati super omne detestabile, ita ut quis paratus sit quodvis aliud malum pati potius quam peccare. 3° Peccatum mortale separat a Deo et ad æterna supplicia inducit; ergo præ cæteris malis detestandum est. Ergo.

Prob. secunda pars. 1° Gradus intensitatis nullibi præscribitur in Scriptura, nec in monumentis traditionis, nec in conciliorum definitionibus. 2° S. Chrysost., epist. 5 ad Theodorum lapsum, ait : « Nunquam spernit pœniten» tiam (Deus), si ei sincere et simpliciter offeratur..... » Quantulamcumque et quamlibet brevi tempore gestam » non respuit... » 3° Contritio in quolibet gradu simpliciter est contritio; ergo sufficit. 4° In actu credendi et sperandi non requiritur intensitas : ergo nec in actu pœnitendi. Ad peccatum mortale gradus intensitatis non exigitur : cur ergo ad pœnitendum exigeretur? 5° Si summus gradus intensitatis in contritione necessarius foret ad justificationem, semper anxii essent et confessarius et pœnitens, quia nunquam cognosci posset an gradus requisitus existeret, præsertim cum sæpe intensior sit dolor de re una quam quis minus odit, quam de altera a qua tamen magis abhorret. Sic, v. g., licet quis magis afficiatur dolore dentium quam lenta febri, magis tamen odit febrim lentam quam dolorem dentium. Ergo.

Prob. tertia pars. 1° Ezech. xxxiii, 12 : *Et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* 2° Auctoritate S. Chrysost. supra citati : *Quamlibet brevi tempore gestam non respuit.* 3° Exemplis Davidis; cui dicenti : *Peccavi,* Propheta extemplo respondit : *Dominus transtulit peccatum tuum,* II Reg. xii, 13 : et pii latronis qui, statim ac dixit : *Memento mei, Domine,* confestim veniam et vitæ æternæ promissionem obtinuit. 4° Praxi Ecclesiæ, quæ peccatores in extremis positos ad reconciliationem admittit, modo signa contritionis exhibeant. Ergo.

Verum, quamvis contritio uno instanti perfici queat, ordinarie peccatores qui in consuetudine peccati torpescunt, non nisi, ut plurimum, longiore tempore sufficienter disponuntur ad beneficium absolutionis percipiendum, et ordinarie probandi sunt. Hoc expresse docent S. Cyp., lib. de Lapsis; S. Chrysost., Homil. 2 in Epist. ad Hebr.; S. Aug., l. viii, Confess., c. 5.

Post justificationem autem, qui sincere sunt conversi,

quasi continuam habere debent contritionem, ita ut dicere possint cum Psalmista : *Peccatum meum contra me est semper.* Attamen præceptum contritionis quoad peccata remissa non urget.

Obj. 1° *contra primam partem.* Qui metu gehennæ detestatur peccatum, justificationem obtinere potest in sacramento Pœnitentiæ, *ut ex infra dicendis patebit* : atqui tamen contritio ejus non est summa, siquidem plus timet gehennam quam peccatum : ergo.

R. Nego minorem ejusque probationem. Non enim plus timet gehennam quam peccatum si vere doleat, sed utrumque simul, primo gehennam, deinde peccatum tanquam gehennæ causam. Ergo.

Aliunde, nunquam contingere potest ut quis in tali extremitate sit constitutus quod vel peccare, vel æterna gehennæ supplicia subire teneatur : non igitur pœnam æternam, sed quaslibet pœnas temporales in una lance cum peccato ponere licet, ut judicetur an contritio sit appretiative summa.

Notare juvat cum S. Thom., Suppl., quæst. 3, art. 1, ad 4um, infirmos homines non esse tentandos in particulari de malo improbabili, ab illis quærendo, v. g., an mallent crucifigi excoriari, frustratim comminui, vel etiam mori, quam fornicari, inebriari, mentiri, etc. Probabile est quippe eos in hujusmodi periculo nunquam fore constitutos : cur ergo talis animi præparatio ab illis exigeretur? Sufficit igitur ut firmum habeant propositum omnia mala in genere potius subeundi quam peccare, et credant Deum non esse passurum eos supra id quod possunt tentari, vel eos a tentatione mediis incognitis liberaturum.

Si de peccatis venialibus agatur, multo minus necesse est tales fingere hypotheses : sufficit quod pœnitens dicat se pœnitere et sibi proponat vitare eadem peccata, quantum vitari possunt, habita ratione fragilitatis nostræ.

Obj. 2° *contra secundam partem.* Apud Joelem, II, 12, dicit Deus : *Convertimine ad me in toto corde vestro :* ergo dolor debet esse summus intensive.

R. Nego conseq. Hæc verba enim, *in toto corde vestro,*

summum voluntatis conatum non significant; saltem nihil ostendit ea talem habere sensum : optime intelliguntur de integritate cordis, ita ut Deus illud exigat totum et non divisum : sic dicimur aliquid tota manu tangere aut tenere, quamvis non tota intensione nec magno conatu.

Optandum est tamen contritionem pro gravitate criminum augescere in animo, et ad hoc tendere debent rei peccati mortalis. Talis est sensus verborum S. Cypriani, l. de Lapsis : « Quam magna deliquimus, tam granditer » defleamus... Pœnitentia crimine minor non sit. »

Punctum quintum. — De proposito non peccandi de cætero.

PROPOSITIO.

Contritio ad justificationem requisita necessario includit propositum non peccandi, saltem mortaliter, de cætero.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Is. I, 16 : *Lavamini... quiescite agere perverse, discite benefacere;* Ezech., XVIII, 21 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur.* Ergo propositum abstinendi a malis operibus et benefaciendi, inseparabile est a dolore de peccatis commissis.

2° *Conciliis.* Conc. Florent., in Decreto ad Armenos, dicit quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ esse actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, *quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Concil. Trid., sess. 14, cap. 4, definit contritionem : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Declarat *hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum ac inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Infra, in eodem capite, *illam* ait *contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, si voluntatem peccandi excludat...* Ergo.

3° *Ratione.* Talis debet esse contritio ut peccatorem cum Deo reconciliet : at repugnat peccatorem non habentem propositum abstinendi a peccato, Deo vere reconciliari ; imo, repugnat eum de peccato commisso sinceriter dolore, nisi firmum habeat propositum illud deinceps non committendi. Ergo.

Hinc istud propositum debet esse 1° *universale* quoad peccata mortalia; qui enim retineret voluntatem aliquod iterandi vel committendi peccatum mortale, ad Deum non esset sinceriter conversus. Cum venialia justificationem non impediant, non necesse est, quamvis valde optandum, ut adsit propositum ea devitandi. Qui tamen sola confiteretur venialia, sibi proponere deberet ea, aut saltem quædam ex iis devitare, alioquin sufficientem non haberet contritionem. 2° *Efficax*, id est verum propositum et non simplex *velleitas :* unde importat media ad vitandum peccatum necessaria, puta destructionem causarum peccati, fugam occasionis proximæ. Propositum non consendum est tamen fuisse inefficax quoties pœnitens relabitur in peccatum ; nam relapsus, ait S. Ligorius, l. VI, n, 451, sæpius est signum mutatæ voluntatis quam infirmi propositi.

Disputatur an propositum non peccandi debeat esse formale, an vero sufficiat virtuale, quod in sincero dolore de præteritis implicite continetur. Plures volunt hoc posterius sufficere, quia omnem voluntatem non peccandi reipsa includit. Cum alii multi propositum formale requirant, sollicite curare debet confessarius ut illud non desit.

Punctum sextum. — De modo quo contritio in sacramento Pœnitentiæ adesse debeat.

1° Optimum quidem est contritionem ante confessionem elicere, non tamen necessarium ; nam contritio post confessionem vel in fine confessionis elicita, totum morale cum confessione efficit; in eam influit eamque dolorosam reddit : ergo tunc adest materia sacramenti Pœnitentiæ cui forma applicatur.

2° Contritio post absolutionem elicita, evidenter non sufficeret.

3° Cum sacramentum sit totum morale, sufficit contritionem cum absolutione moraliter uniri. Hinc colliges eum qui mane conscientiam examinat, actum veræ contritionis elicit in ordine ad confessionem eadem die faciendam confitetur vespere et absolvitur, de contritione actualiter non cogitans, valide absolvi, quia contritio mane elicita adhuc moraliter perseverat, modo non fuerit retractata. *Ita communiter theologi.*

4° Contritio autem sine ullo ordine ad absolutionem elicita et ante ipsam non renovata, materia sacramenti Pœnitentiæ sufficiens esse non potest : *id clare patet, et ita sentiunt theologi.*

5° Qui ante confessionem vere contritus fuit, et post confessionem, sed ante absolutionem, peccatum oblitum declarat, novum actum contritionis elicere non tenetur; quia prior actus moraliter perseverat et ad peccatum istud extenditur.

6° Si vero post absolutionem peccatum oblitum confiteretur, novum actum contritionis elicere deberet, juxta tutiorem sententiam, ut iterum absolveretur, alioquin materia essentialis deesset.

7° Item si quis peccata jam remissa de quibus habitualiter dolet, confiteatur, super his valide absolvi non potest, nisi actualem eliciat contritionem, quia materia sacramenti debet esse actualis, saltem moraliter.

§ II. — De contritione perfecta.

Contritio dicitur perfecta quando nititur amore Dei summe boni et propter se dilecti; id est, vocatur perfecta, quia perfecta charitate informatur, et tunc simpliciter dicitur contritio. Omnes fatentur saltem aliquando contingere contritionem charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Tria hic expendenda sunt : 1° an contritio perfecta, non tantum aliquando, sed semper Deo

per seipsam reconciliet; 2° an contritio perfecta votum sacramenti requirat ad operandam justificationem; 3° an necessaria sit ad sacramentum Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA. — *An contritio perfecta hominem Deo semper reconciliet ante sacramentum.*

Plures theologi negarunt, ante concil. Trid., referente Palavicino, l. XII, cap. 10, n. 37, contritionem perfectam ex se hominem Deo reconciliare. Estius, in lib. IV Sent., dist. 17, s. 2, docet contritionem perfectam in casu necessitatis tantum id efficere; alii vero contendunt eam nunquam justificare, nisi sit in gradu intenso.

PROPOSITIO.

Contritio perfecta hominem semper Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur, quamvis sit in gradu infimo.

Prob. Scriptura sacra, concil. Trid., auctoritate SS. Pontificum, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Ezech. XXXIII, 12 : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit;* I Epist. S. Joan. IV, 16 : *Deus charitas est; qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Unde sic : Qui habet charitatem perfectam, etiam in gradu infimo, vere est conversus et Deus manet in eo : ergo tunc nullum habet peccatum mortale.

2° *Concil. Trid.*, sess. 14, cap. 4 : «Et si contritionem » hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, » hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacra- » mentum actu suscipiatur...» Si verbum *aliquando* effectum contritionis perfectæ ad aliquos casus non restringat, ut contendit Estius, in mente patrum Tridentinorum, contritio charitate perfecta semper justificat : at verbum istud effectum, etc.; non enim dicunt patres contritionem charitate perfectam aliquando hominem Deo reconciliare, sed aliquando contingere contritionem charitate esse perfectam eamque tunc hominem Deo recon-

ciliare. Nonne sensus est : Modo sit perfecta, quod aliquando contingit, hominem semper Deo reconciliat? Et vero, juxta Palav., loco citato, patres Concilii decretum jam paraverant quo « damnabatur quisquis negaret con» tritione qua pœnitens, divina gratia per Christum » cooperante, dolet de peccatis propter Deum, cum pro» posito confitendi et satisfaciendi, remitti peccata; » et ab illo abstinuerunt, ne Adrianum et Cajetanum sententiæ oppositæ adhærentes damnarent. Ergo.

3° *Auctoritate SS. Pontificum*, videlicet Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, qui diversis bullis damnaverunt sequentem propositionem Baii, n. 68 : « Per contritionem » etiam cum charitate perfecta et voto suscipiendi sacra» mentum conjunctam, non remittitur crimen extra ca» sum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione » sacramenti. » His condemnationibus accedit censura Facultatis Parisiensis quæ, die 27 januarii anni 1560, plures propositiones eumdem sensum habentes damnavit ut hæreticas. Ergo.

Notandum autem in textu Concilii et in censuris citatis nullam fieri mentionem de aliquo gradu intensitatis : ergo species etiam in gradu infimo sufficit.

4° *Ratione* — a) Aversio a Deo tanquam fine ultimo etiam in infimo gradu, peccatum mortale constituit : ergo, e contra, conversio ad Deum, etiam in infimo gradu, modo sit vera, seu charitate perfecta, justificationem operatur. — b) Contritio perfecta remittit peccata in casu necessitatis, v. g., in articulo mortis, aiunt adversarii; at virtutem suam in eo casu non desumit ex necessitate quæ potius eam imminueret, nec ex promissione Dei, ut opinari videtur Estius, siquidem nullus citari potest textus quo talis promissio innitatur : ergo ex natura sua hunc effectum producit, Deo ita ordinante : porro contritio perfecta ejusdem est naturæ in infimo et in summo gradu : ergo. — c) Contritio perfecta statim et in omni casu justificabat in veteri lege; atqui sub nova lege non deterior evasit. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Mulier peccatrix, cujus fit mentio apud Luc. VII, 47, perfecte erat contrita, cum accessit ad Jesum, pedes ejus lacrymis irrigavit et capillis suis extersit; attamen Christus remittit ei peccata. Ergo.

R. Nego min. Christus dixit quidem mulieri: *Remittuntur ei peccata*, sed nihil ostendit eum peccata post contritionem remisisse, potius quam declarasse coram hominibus ea jam remissa esse: imo posteriorem hunc sensum non dubie manifestat; prius quippe dixerat Simoni: *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo.

Obj. 2. B. Paulus in via Damasci perculsus, veram habuit contritionem, quando dixit, Act. IX, 6: *Domine, quid me vis facere?* et tamen Ananias dicit illi, Act. XXII, 16: *Exurge, baptizare, et ablue peccata tua.* Ergo.

R. Nego conseq. Nam peccata vi contritionis perfectæ non remittuntur ante Baptismum sine voto Baptismi qui est de præcepto divino: non mirum est ergo si Ananias remiserit Paulum ad Baptismum. Dixit autem ei: *Ablue peccata tua*, vel quia Baptismus erat complementum justificationis ejus, siquidem illum sine gravi peccato omittere non potuisset; vel quia non sciebat peccata ejus vi contritionis perfectæ fuisse remissa. Ergo. Eodem sensu Cornelius centurio, qui vocatur vir justus, et acceperat Spiritum sanctum, debuit baptizari; Act. X, 22, 44 et 48.

Obj. 3° SS. Patres pluribus in locis docent prius absolvi pœnitentes in terris quam in cœlis; v. g., S. Bernardus, Serm. 1 de sanctis Petro et Paulo, dicens de Petro: « Qui claves regni cœlorum tam singulariter » accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli. » At si contritio perfecta per se justificaret, pœnitentes non prius absolverentur, etc. Ergo.

R. Dist. min. Pœnitentes non prius absolverentur, etc.,

quando adest contritio perfecta, *transeat*; non prius absolverentur communiter, *nego min.* Etenim cum raro habeatur contritio per se justificans, optime SS. Patres dicere potuerunt pœnitentes prius absolvi in terris quam in cœlis et sententiam Petri præcedere sententiam cœli. Ergo.

Eo sensu intelligendus est textus S. Aug. Tractat. 13 in S. Joan. cap. 3 : « Quantumcumque catechumenus » proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec » illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum, » supposito eum contritionem perfectam non habere, vel Baptismum negligere.

Diximus *transeat*, quia contritio perfecta non justificat, nisi votum sacramenti includat, ut dicendum est.

SECTIO SECUNDA. — *An contritio perfecta votum sacramenti requirat ad operandam justificationem.*

Quæstio hæc duo complectitur, scilicet 1° an votum sacramenti requiratur; 2° quale esse debeat.

1° Votum sacramenti requiri patet : — a) ex concilio Tridentino expresse dicente, sess. 14, cap. 4, « ipsam ni- » hilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacra- » menti voto, quod in illa includitur, non esse adscri- » bendam. » — b) Ratione. Perfectus amor Dei necessario includit voluntatem cuncta ipsius mandata observandi : porro Deus præcepit susceptionem sacramenti Pœnitentiæ ad obtinendam remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, *ut ex mox dicendis patebit*. Ergo.

2° Disputatur an requiratur votum explicitum, an vero sufficiat implicitum. Probabilius est votum implicitum sufficere, idque insinuare videtur concil. Trid. dicens, *quod in ea* (contritione perfecta) *includitur;* quod enim includitur in alio, est implicitum.

Ex hac necessitate voti confessionis non est inferendum, cum nonnullis antiquis theologis, peccata vi contritionis perfectæ non remitti nisi conditionaliter, quod in se repugnat, sed dari obligationem ea, per confessio-

nem sacramentalem, clavibus Ecclesiæ quam primum moraliter submittendi.

Cum autem ex institutione divina sacramentum pro solis peccatis mortalibus remittendis necessarium sit, contritio delere potest venialia sine illius voto.

SECTIO TERTIA. — *An contritio perfecta sit dispositio necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ.*

Magister Sententiarum aliique theologi, sive ante concilium Tridentinum, sive post concilium, sed in minori numero, partem affirmantem tenuerunt : alii vero omnes negant, eorumque sententia nunc communis est et certa.

PROPOSITIO.

Contritio perfecta, ex se justificans, non necessaria est ad sacramentum Pœnitentiæ.

Prob. 1° omnibus momentis quibus demonstravimus sententiam absolutionis non tantum declarare peccata esse remissa, sed ea remittere. 2° Concil. Trid.; dicitur enim in capite 4, sess. 14, *aliquando* contingere contritionem charitate esse perfectam hominemque Deo reconciliare; ergo non semper nec communiter est perfecta, proindeque non requiritur tanquam dispositio necessaria ad sacramentum quod ordinarie suscipiendum est. 3° Auctoritate cleri Gallicani qui, in comitiis anni 1700, damnavit propositionem in qua asserebatur « requiri ut præ» viam contritionem illam quæ sit charitate perfecta, et » quæ cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, » hominem Deo reconciliat. 4° Ratione. Sacramentum Pœnitentiæ est sacramentum mortuorum : at, in hypothesi adversariorum, non esset sacramentum mortuorum, cum ad illud fructuose recipiendum peccatores jam justificati esse deberent. Ergo.

Igitur remissio peccatorum in sacramento Pœnitentiæ fieri potest sine contritione perfecta. Aliunde tamen, ut

supra ostendimus, aliqua contritio semper est necessaria. Superest ut requiratur et sufficiat contritio imperfecta, de qua nunc agendum est.

§ III. — De contritione imperfecta.

Quid constituat contritionem imperfectam. — Contritio imperfecta est animi dolor et detestatio peccati propter motivum supernaturale, sed a charitate perfecta diversum, et dicitur attritio; quæ vox cœpit usurpari in decimo tertio sæculo, ut probat P. Morinus, l. VIII, cap. 12, n. 14. Apud omnes in confesso est eam per se non justificare: an vero specie vel gradu intensitatis tantum a contritione perfecta differat, disputant inter se theologi; judicabitur ex dicendis.

Concipi potest vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum timore, vel ex desiderio recuperandæ beatitudinis amissæ. Duas conditiones necessarias in ipsa postulat concil. Trid., scilicet, *ut voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ.*

Mirum est quot exstiterint opiniones theologorum circa naturam hujusce contritionis; sed his tanquam implicatis obscuris et ad praxim minime pertinentibus, maxima ex parte sepositis, duo investigabimus, scilicet 1° an attritio ex consideratione pœnarum gehennæ concepta, sit honesta; 2° qualis attritio requiratur et sufficiat ad justificationem cum sacramento Pœnitentiæ.

Sectio prima. — *An attritio ex consideratione pœnarum gehennæ concepta, sit honesta.*

Quadruplex distinguitur timor, scilicet mundanus, servilis, serviliter servilis et filialis. Mundanus ille est quo temporale incommodum magis timetur quam offensa Dei; servilis, quo pœna timetur, et peccatum ut causa pœnæ excluditur; serviliter servilis ille est quo quis ita fugit peccatum, ut illud committere vellet si pœna non

esset; filialis ille est quo non pœna, sed amicitiæ Dei jactura metuitur.

Certum est 1° metum filialem esse bonum et honestum.

Certum est 2° metum mundanum esse vitiosum; non minus vitiosus est metus serviliter servilis. *Ita omnes.*

Circa metum simpliciter servilem varii prodierunt errores. 1° Lutherus affirmavit illum esse malum, et attritionem ex illo ortam facere hominem hypocritam et magis peccatorem : ab ea sententia postea recesserunt Lutherani, dixeruntque timorem pœnæ esse utilem, atque inde pœnitentiam inchoari. 2° Baius, Jansenius et *Quesnel*, tenentes charitatem, non solum habitualem sed et actualem, necessariam esse ad omnem actum ut non sit peccaminosus, docent timorem simpliciter servilem in se bonum esse, quia gehenna vere timenda est; sed malum fieri eo quod non procedat ex charitate saltem initiali; ideoque naturalem esse et voluntatem peccandi includere, quia licet manum cohibeat, non tollit affectum ad peccatum intimo cordis latitantem.

PROPOSITIO.

Attritio ex metu servili gehennæ concepta, honesta est; supernaturalis esse potest et voluntatem peccandi non includit.

Prob. 1° Honesta est. — a) Christus enim variis in locis eam commendat, v. g., Matth. III, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur;* et ibid, X, 28 : *Sed potius timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.* — b) S. Aug., Tract. 9 in S. Joan., n. 4 : *Timor quasi locum præparat charitati :* ergo non est malus in se. — c) Concil. Trid. quod, sess. 6, can. 8, anathemate percussit eos qui dicerent « gehennæ metum, per quem ad misericordiam » Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando » abstinemus, peccatum esse, aut pejores facere. » Ergo.

2° Supernaturalis esse potest. Nam a Deo inspirari po-

test, ut patet : — a) ex oratione Psalmistæ, Ps. CXVIII, 120 : *Confige timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui.* — b) Ex verbis Christi apud Luc. XII, 5 : *Ostendam autem vobis quem timeatis ; timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* — c) Ex concil. Trid. dicente, sess. 14, c. 4, eam esse *donum Dei et Spiritus sancti impulsum.* Aliunde motivo fide cognito innititur. Ergo 2°.

3° Voluntatem peccandi non includit, ut constat : — a) Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum ;* — b) ex canone concil. Trid. superius citati ; — c) S. Aug., Serm. 161 de Verbis Apostoli : « Timor iste quo gehennam ti» mes et ideo mala non facis, continet te et sic volentem » peccare animum interiorem non sinit. » — d) Timor gehennæ efficax expellit id omne quod ducit ad gehennam : ergo et ipsam voluntatem peccandi, quantumvis latitantem in corde.

Unde S. Th. 22, q. 19, art. 4, concl. : « Timor servilis » secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas » ejus mala est. » Ergo.

Constat igitur attritionem ex metu servili gehennæ esse honestam, supernaturalem esse posse, atque voluntatem peccandi non includere ; *a fortiori* talis est attritio ex consideratione turpitudinis peccati vel ex amore spei, seu Dei propter nos quæsiti concepta ; ac proinde nulla est ratio cur in his probandis immoremur.

Quinimo idem probabiliter dicendum est de metu malorum temporalium quatenus a Deo in pœnam peccati infliguntur, ut supponere videtur concil. Trid. dicendo attritionem concipi *ex metu gehennæ et pœnarum* (sess. 14, cap. 4).

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° B. Paulus ait, II Tim. I, 7 : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis.* Ergo in nova Lege timor est malus.

R. Nego conseq. Ibi enim Apostolus monet discipulum ut resuscitet gratiam Dei in se, et officiis episcopi recte

fungatur : vult igitur ut sciat se non accepisse a Deo spiritum timoris, id est timiditatis, ut fert textus græcus, sed spiritum seu donum dilectionis et sobrietatis, scilicet, ad opus ministerii sui fortiter sustinendum; hic ergo minime agitur de timore gehennæ.

Obj. 2° B. Paulus, Rom. VIII, 15 : *Non accepistis*, inquit, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ibi Apostolus timorem charitati opponit : Ergo malus est timor.

R. Dist. ant. Opponit timorem charitati, ut minus perfectum perfectiori, *conc.;* ut malum bono, *nego ant.* Etenim Apostolus, volens ostendere legem Evangelicam multo præstare veteri Lege, dicit donum timoris datum fuisse Hebræis tanquam servis, et adoptionem, seu gratiam sanctificantem, Christianis qui facti sunt filii : porro ex verbis B. Pauli sic intellectis non sequitur timorem esse malum, *ut patet :* ergo.

Inst. I Joan. IV, 18, hæc habet : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Unde sic : Timor manere non potest in charitate, et pœnam habet seu meretur : ergo malus est.

R. Nego conseq. Ideo quippe timor in perfecta charitate manere non potest, quia non habet objectum; qui enim ex fide considerat gehennam, eam valde reformidat, presertim si nondum sit justificatus; at charitate perfecta accedente, jam non timet damnari, sed fiduciam habet salutis : sic fides, adveniente visione beatifica, evanescet, et tamen est bona : ergo, licet timor per charitatem foras mittatur, non sequitur illum esse malum. Dicitur autem habere pœnam, vel quia cruciat animum, vel quia mala quæ timentur semper exhibet.

Obj. 3° Qui timet culpam ob pœnam, plus timet pœnam quam culpam : atqui malum est plus timere pœnam quam culpam : ergo.

R. Nego maj. et dico illum simul timere gehennam et culpam, gehennam primarie et culpam tanquam ipsius causam : vult efficaciter vitare gehennam; propterea

omnem deponit affectum ad culpam : igitur comparationem inter utrumque non instituit, nec dicit intra se : Peccarem si gehenna non esset. Ergo.

Inst. 1° *Propter quod unumquodque tale, et illud magis,* est axioma receptum ; atqui pœnitens propter pœnam detestatur culpam ; ergo magis detestatur pœnam quam culpam.

R. Dist. axioma : si in eo constituatur finis actus, *conc.;* si in eo non constituatur finis actus, *neg.* ax. Eodem sensu distincta minore, *neg. conseq.* et *cons.* Qui enim detestatur culpam propter gehennam non magis detestatur gehennam quam culpam, cum non comparet unum cum alio, sed solum unum detestatur propter aliud, quod non est inordinatum ; timor de quo agitur non est nisi medium ad fugiendum peccatum. Si non adesset, forte mens non moveretur ad hoc peccatum fugiendum. Sed exinde timor ille non vitiatur, nec quærendum est quid in aliis circumstantiis locum haberet. Res illustratur exemplis : aliquis sumit medicinam exclusive ob sanitatem, vel merces projicit in mare unice ad salvandam vitam ; evidens est illum pluris facere sanitatem quam medicinam, et vitam quam merces : sed alter diligit herum simpliciter propter mercedem, vel Deum ob felicitatem quam ab illo exspectat ; non sequitur illum pluris æstimare mercedem quam herum, aut felicitatem quam Deum : porro ita est qui fugit peccatum simpliciter ob metum gehennæ ; non sequitur illum plus timere gehennam quam peccatum. Ergo.

Inst. 2° Timor gehennæ, teste passim S. Aug., cohibet manum, non voluntatem : ergo voluntatem peccandi non excludit, proindeque malus est.

R. Dist. ant. Timor serviliter servilis non cohibet voluntatem, *conc.* ; timor simpliciter servilis, *subdist.* Non cohibet voluntatem habitualem, cum sola contritio perfecta per se justificet, *conc.;* non cohibet voluntatem actualem peccandi, *nego*, innixus conc. Trid., sess. 14, cap. 4 ; — S. Aug. in Ps. CXXVII : « Cum per timorem » continent se a peccato, fit justitiæ consuetudo ; » — ra-

tione; quia timor sincerus gehennæ debet excludere quidquid gehennam meretur, proinde actualem voluntatem peccandi. Voluntas habitualis, quam fatemur timorem non excludere, solum afficit subjectum, non vero actum timoris; nec igitur illum vitiat. Ergo.

SECTIO SECUNDA. — *Qualis attritio requiratur et sufficiat ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ.*

Multi, maxime post concilium Trid., æstimaverunt attritionem, ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu gehennæ conceptam, modo voluntatem peccandi excludat, ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ percipiendam sufficere. Dominicus *Soto* et Andreas *Vega* exigebant, ut conditionem essentialem, attritionem istam bona fide æstimari contritionem; Melchior Canus vero contendit eam cognitam ut simplicem attritionem, nihilominus sufficere. Qui huic opinioni subscripserunt vocati sunt *Attritionistæ*. Alexander VII stricte prohibuit, anno 1667, ne hæc opinio, quæ tunc sat communis erat, aliqua afficeretur nota. Vide Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VII, cap. 14, n. 9.

Alii vero multo plures, et nunc communissime, docent attritionem, sive ex consideratione turpitudinis peccati, sive ex metu gehennæ conceptam, sine ullo amore Dei saltem inchoato, insufficientem esse.

Res itaque ad duplicem quæstionem reducitur, scilicet utrum amor Dei requiratur in attritione, et qualis amor requiratur.

I. DE AMORE DEI REQUISITO IN ATTRITIONE. — Si simpliciter requiratur an amor Dei necessarius sit in contritione imperfecta, hoc quæsitum non magnam pati videtur difficultatem, unde sic statuimus propositionem.

PROPOSITIO.

Ad obtinendam in sacramento Pœnitentiæ justificationem requiritur Dei amor.

Prob. 1° *Concil. Trid.*, sess. 6, cap. 6, ubi exponens dispositiones ad abtinendam justitificationem in sacramento Baptismatis necessarias, exigit ut peccatores Deum, *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.* Porro eædem dispositiones certe requiruntur ad obtinendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ : ergo.

Prob. 2° *SS. Patribus.* S. Aug., Exposit. Epist. ad Galatas, n. 1 : « Non aufert peccata nisi gratia fidei, quæ » per dilectionem operatur. » Ergo sine dilectione justificatio obtineri non potest.

Prob. 3° *auctoritate cleri Gallicani* qui, in comitiis anni 1700, sequentem damnavit propositionem : « Attri- » tio ex metu gehennæ sufficit, etiam sine ulla Dei dilec- » tione, sine ullo ad Deum offensum respectu. » — « Quæ » propositio, inquit clerus Gallicanus, temeraria est, » scandalosa, perniciosa et in hæresim inducit. »

Prob. 4° *ratione.* — a) Justificatio obtineri non potest, nisi vera sit conversio ad Deum : at non intelligitur quomodo vera esset conversio ad Deum sine ullo ipsius amore, ne quidem inchoato. — b) Sententia quæ tenet attritionem sine amore sufficientem esse cum sacramento, nullo nititur fundamento alicujus ponderis; præcipuum enim argumentum suum desumunt adversarii ex cap. 4 sess. 14, conc. Trid., ubi dicitur de attritione quæ per se sine sacramento Pœnitentiæ peccatorem non justificat : « Tamen » eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impe- » trandam disponit; » et nulla fit mentio de necessitate dilectionis; sed concilium necessitatem dilectionis pariter non negat; dicit quidem attritionem ex metu conceptam, ad justificationem in sacramento obtinendam disponere; non autem affirmat eam sufficere, nec contradicit assertioni cap. 6 sess. 6, ubi docet Deum diligendum esse tan-

quam fontem omnis justitiæ. Porro in materia tanti momenti pars tutior est eligenda : ergo.

Multa alia fieri solent argumenta ad astruendam propositionem nostram; sed cum fere omnia intelligi possint de statu gratiæ vel de charitate perfecta, nimis probant : igitur ab illis abstinemus.

Non concipitur aliquem veniam a Deo petere et sperare, quin incipiat Deum amare *tanquam justitiæ fontem.*

II. De qualitate amoris Dei in pœnitentia requisiti. — Qualis amor Dei requiratur in sacramento Pœnitentiæ inter se non consentiunt auctores. 1° Ex S. Ligorio cum multis aliis iste amor in ipsa attritione ex metu gehennæ concepta includitur; — a) scilicet per timorem divinæ vindictæ; — b) per spem veniæ; — c) per spem beatitudinis æternæ. S. Lig. l. vi, n. 442.

2° A quibusdam requiritur amor *benevolentiæ* quo Deus incipitur diligi propter se et super omnia. Hæc autem opinio rejicienda videtur; siquidem contritio concepta ex amore Dei *propter se* et *super omnia* in quocumque gradu vere perfecta est, et supra probatur contritionem perfectam non esse necessariam in sacramento Pœnitentiæ.

3° Ab aliis tandem statuitur requiri et sufficere amorem spei seu *concupiscentiæ*, quo Deus diligitur respectu ad nos, tanquam creator beneficus aut remunerator noster.

Quidquid sit de hac opinione vel de ista, semper hortandi sunt fideles ut Deum propter ipsum diligant vel saltem diligere incipiant : confessarius autem anxius esse non debet circa naturam amoris in pœnitente existentis.

Nota. Qui ope attritionis et sacramenti justificatur, gratiam sanctificantem obtinet, sicque *ex attrito fit contritus*, ut fert axioma, id est, in charitate perfecta habituali constituitur : dici autem non potest eum qui perfectam habet charitatem habitualem, magnum charitatis præceptum non implere. Charitas habitualis in adulto sensibus prædito non est iners; ad eliciendum actum ex natura sua tendit : ipsa gratiæ sanctificantis per ab-

solutionem recuperatæ acceptatio, est actus charitatis Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE CONFESSIONE.

Quid confessio. — Confessio sacramentalis, de qua sola hic agitur, definiri potest : *Accusatio propriorum peccatorum post Baptisma commissorum, facta sacerdoti competenti, in ordine ad veniam virtute clavium obtinendam.* Nobis dicendum est 1° de ejus necessitate, et 2° de ejusdem conditionibus.

§ I. — De necessitate confessionis.

I. Errores circa necessitatem confessionis. — Qui Sacramentum Pœnitentiæ negant, eo ipso confessionem sacramentalem tollunt. Plures autem sacramentum Pœnitentiæ retinentes, circa confessionem errarunt, videlicet :

1° Joannes Wiclefus necessitatem ejus negavit, his verbis : « Si homo debite fuerit contritus, omnis confes» sio exterior est sibi superflua et inutilis : » septimus est articulus ejus in conc. Const. damnatus.

2° Petrus Osmensis, doctor Salmanticensis, contendebat non dari præceptum confitendi peccata occulta; a Sixto IV damnatus fuit, anno 1478.

3° Lutherus prius agnoverat, lib. de Captivitate Babylonica, cap. de Pœnitentia, confessionem occultam esse utilem, imo et necessariam; deinde eam, prout est in usu apud catholicos, vocat *cruentissimam carnificinam.*

4° Calvinus, l. II Inst., cap. 4, sect. 7 et 8, fatetur quidem usum confessionis antiquissimum esse et abundantem fructum ex ea percipi; sed contendit eam esse liberam, arbitrio uniuscujusque permissam, et ante concil. Lateran. IV, anno 1215 celebratum, nulla lege fuisse

præscriptam, eam postea vocat *tyrannidem*, *rem pestilentem*, multisque nominibus Ecclesiæ noxiam. Calvinistæ illam *tormentum Innocentianum*, appellare consueverunt.

II. PROBATUR NECESSITAS CONFESSIONIS JURE DIVINO. — Confessio necessaria potest esse tum jure divino, tum jure ecclesiastico, et quidem res ita se habet; ideo nunc primum probaturi sumus confessionis necessitatem ex jure divino.

PROPOSITIO.

Confessio sacramentatis necessaria est jure divino iis qui post Baptisma mortaliter peccaverunt.

Prob. Illa propositio ut certissima tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus, argumento præscriptionis et ratione : atqui talis est propositio nostra.

Est de fide. His quippe verbis fuit definita in concil. Trid., sess. 14, can. 6 : « Si quis negaverit confessionem » sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessa» riam esse jure divino; aut dixerit modum secrete con» fitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio » semper observavit et observat, alienum esse ab institu» tione et mandato Christi, et inventum esse huma» num; anathema sit. » Eadem veritas definita est aliis verbis, canonibus 7 et 8. Ergo.

Prob. 1° *Script. sacra.* S. Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus*, etc. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc.; et XVIII, 18 : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis*, etc.; apud Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata*, etc. Unde sic argumentari licet : Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post Baptismum mortaliter peccaverunt, si Christus instituerit suos Apostolos eorumque successores judices, sine quorum sententia peccata mortalia non remittuntur, et si hæc sententia sine confessione obtineri nequeat : atqui hæc duo certa sunt.

A) Christus, prædictis verbis apud S. Joannem relatis,

promissionem suam implens, instituit suos Apostolos proindeque eorum successores judices, sine quorum, etc. — a) Sunt judices, cum alia peccata dimittere, alia retinere debeant. — b) Peccata mortalia sine eorum sententia remitti non possunt, nam Christus dedit eis claves regni cœlorum : frustra autem claves ipsis dedisset si alius pateret aditus; potestatem retinendi peccata habent, sed vana ac illusoria foret hæc potestas, si alia via peccatores justificari possent; vel enim nullus tribunal Pœnitentiæ adiret, vel unusquisque, absolutione sibi denegata, alio medio veniam obtinendi uteretur, sicque confessarios impune suggillaret. Porro hæc admitti nequeunt. Ergo.

B) Sententia Apostolorum eorumque successorum sine confessione obtineri non potest. Necesse est enim ut peccata a peccatis secernantur, siquidem, ex verbis Christi, non debent promiscue remitti, nec promiscue retineri; necesse est igitur ut cognoscantur : cognosci autem non possunt, nisi aperiantur : porro ea aperire, est ea confiteri secundum morem in Ecclesia consuetum : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* Tertull., de Pœnit. cap. 10 : « Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio de» licti pollicetur; videlicet, si quid humanæ notitiæ sub» duxerimus, proinde Deum celabimus. An melius est » damnatum latere quam palam absolvi? » Vel hæc verba intelligenda sunt de confessione auriculari et evidenter pro nobis militant; vel de confessione publica, ut quidam volunt, et nihilominus thesim nostram probant; nam *ut infra ostendemus*, confessio publica supponit præceptum divinum confessionis.

Origenes, Homilia 2 in Ps. XXXVII : « Sicut ii qui ha» bent intus inclusam escam indigestam, aut humoris » vel phlegmatis stomacho graviter et moleste imma» nentis abundantiam, si vomuerint, relevantur : ita » etiam hi qui peccaverunt, siquidem occultant et reti» nent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et prope» modum suffocantur phlegmate vel humore peccati : si

» autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum » et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem » morbi digerit causam. Tantummodo circumspice dili- » gentius cui debeas confiteri peccatum tuum : proba » prius medicum cui debeas causam languoris exponere, » ut ita demum, si quid ille dixerit..., si quid consilii » dederit, facias... si providerit talem esse languorem » tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, et » curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et » tu ipse facile sanari ; multa hoc deliberatione et satis » perito medici illius consilio procurandum est. » In eo textu fit quidem menti confessionis publicæ quæ sine periti medici consilio et magna deliberatione fieri non debebat; sed confessio secreta prius facienda erat prudenti confessario qui judicabat an utile foret delicta in conventu Ecclesiæ publicare. Ergo, etc.

S. Basilius, in regulis brevioribus : « Peccata iis confi- » teri necesse est quibus mysteriorum Dei concredita dis- » pensatio est. »

S. Chrysost., Homil. de muliere Samaritana, postquam demonstravit occultum fuisse peccatum quod confessa est, addit : « Imitemur et nos mulierem Samarita- » nam, et ob propria peccata non erubescamus... Qui » enim homini detegere peccata erubescit... neque confi- » teri vult et pœnitentiam agere, in die illa non coram » uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante » traducetur. »

S. Ambros., l. II, de Pœnit., cap. 6 : « Si vis justifi- » cari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum » nexus verecunda confessio peccatorum. » Ipse sanctus Doctor confessiones secretas audiebat, narrante in Vita ejus Paulino : « Quotiescumque aliquis, ad percipiendum » pœnitentiam, lapsus suos apud illum confitebatur, ita » flebat, ut illum flere compelleret..... Causas autem cri- » minum quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli » apud quem intercedebat, loquebatur. » Patet ex illo facto confessionem secretam fuisse in usu et necessariam ad percipiendam pœnitentiam.

S. Leo, Epist. 136 : « Sufficit reatus conscientiarum » sacerdotibus indicari confessione secreta. » Damnat abusum peccata publice recitandi, quod nonnulli arbitrabantur necessarium.

Innumera alia afferri possent testimonia; in his autem quæ retulimus agitur evidenter de confessione exteriori, explicita et jure divino necessaria, non vero de interna soli Deo facta, de generali et vaga, aut de confessione auctoritate humana præscripta, ut volunt hæretici. — a) De exteriori; siquidem facienda est sacerdoti, peccatum ex anima evomitur, secreta aperienda sunt, etc. — b) De explicita; alioquin non daretur erubescendi locus, nec diceretur peccata sola cogitatione admissa esse declaranda; homines decipi posse, non Deum qui intuetur cor. — c) De confessione jure divino necessaria; etenim SS. Patres, non decreto Ecclesiæ aut alio instituto humano, sed verbis Evangelii hanc obligationem fundatam esse dicunt vel supponunt : ergo, etc. Ergo 2°.

Probatur 3° *argumento præscriptionis.* Usus et præceptum confessionis existit tum apud Latinos, tum apud Græcos, tum apud alios Orientales. Quoad Latinos, nulla est difficultas; factum patet. Quoad Græcos, idem constat : — a) ex eorum euchologiis; — b) ex censura qua Jeremias, patriarcha Constantinopolitanus, doctrinam Lutheranorum perstrinxit, et ex Synodo Bethleem, habita anno 1672, in qua error iste proscriptus est; — c) ex concil. Florent., anno 1438 celebrato, in quo, post maturum examen pronuntiata est unio utriusque Ecclesiæ. Quod alios Orientales, videlicet Armenios, Nestorianos, Eutychianos, Melchitas, Jacobitas, Cophtas, Maronitas, quorum alii sunt catholici, alii hæretici, eadem veritas ex liturgiis eorum constat, ut videre est in opere dicto *Perpétuité de la foi*, etc. Porro talis consensio omnium ecclesiarum orientalium, catholicarum, schismaticarum et hæreticarum cum Ecclesia Latina, demonstrat confessionem semper fuisse in usu et ab ipsis Apostolis transmissam; vel enim ab Apostolis fuit transmissa, vel decursu temporis instituta : at posterius dici non potest; si enim

decursu temporis fuisset instituta, aliquod vestigium hujus institutionis inveniretur, præsertim cum talis innovatio facile admitti non debuisset : atqui tamen nullum hujusmodi vestigium inveniri potuit. Præterea, si institutio ista commenta fuisset in Ecclesia Romana, ut affirmare non erubescunt Protestantes, quomodo Græci et tot Ecclesiæ orientales, a seipsis divisæ, eam simul ita adoptassent ut sibi persuaderent institutam esse a Christo et necessariam jure divino? Id manifeste repugnat. Ergo.

P. *Morin* (pag. 140 et seq.), ex multis Rabbinorum textibus, probat eam apud Judæos fuisse usitatam, quandoque generalem et quandoque particularem; testimonia quæ affert digna sunt ut videantur.

4° *Prob. ratione.* A) Fatentur adversarii confessionem publicam saltem peccatorum publice commissorum, olim fuisse præscriptam : atque talis praxis supponit omnes persuasum habuisse confessionem sacramentalem a Christo institutam fuisse; supposita quippe institutione divina, facile concipitur fideles jugo tam gravi se subjecisse : at si credidissent præceptum istud in jure divino nullum habere fundamentum, numquid omnes ita paruissent? Hoc incredibile est attenta humanæ naturæ repugnantia ad confessionem probrosam.

B) Certum est dari medium obtinendi remissionem peccatorum post Baptismum commissorum : at confessio ipsismet Protestantibus videri debet via tutior hanc remissionem obtinendi, et sedandis anxietatibus conscientiarum multo expeditior. Protestans enim, principiis suis stando, quomodo sciet se sufficienter esse dispositum, se esse justificatum? Quam inveniet consolationem in tribulationibus cordis? Catholicus e contra, cor suum pandens confessario, illum habebit amicum, patrem, consolatorem, ducem et adjutorem; consilia ejus sequendo, securus manebit.

C) Quidam peccata confitendi usus, ad eorum condonationem obtinendam, semper et ubique exstitit.

« Que deux ennemis désirent sincèrement se réconci-

lier, ait *Moehler* (*Symbolique*, liv. I, § 33), ils se sen-
» tent entraînés à confesser leurs torts, et ce n'est non
» plus que par cet aveu que leur réconciliation devient
» véritable, que la paix rentre dans le cœur... Celui qui
» déteste, abhorre le péché, le confesse avec douleur et
» tout ensemble avec joie : avec douleur, parce que le
» péché est le mal propre du pécheur; avec joie, parce
» qu'en le confessant, le pécheur s'en sépare et s'en
» éloigne, » Ergo saltem conveniens et rationabilis est confessio, etc., aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Confessio non præcipitur in Scriptura : ergo non necessaria jure divino.

R. 1°. *Dist. ant.* Non præcipitur expresse, *conc.*; implicite et æquivalenter, *nego ant.* Probavimus enim obligationem confessionis optime deduci ex verbis Christi : *Quorum remiseritis*, etc. Ergo.

R. 2°. *Nego conseq.* Nam præter Scripturam, traditio altera est regula fidei, et multa sunt instituta revelata a Christo quæ in Scripturis non leguntur. Ergo.

Obj. 2°. Nullibi legitur Apostolos confessiones excepisse, vel ipsos ad confessionem recurrisse : ergo incredibile est præceptum confessionis tempore Apostolorum extitisse.

R. 1°. Multi theologi probant usum confessionis tempore Apostolorum extitisse per hæc Actuum Apostolorum verba, XIX, 18 : *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos.* Ibi agitur de peccatis *credentium*, ac proinde post Baptismum commissis. Alii tamen dicunt verbum *credentium* intelligi posse de nondum baptizatis qui peccata sua alique sensu confitebantur ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. *Hac igitur responsione prætermissa.*

R. 2°. *Nego conseq.* — a) quia in primis prædicare, docere, baptizare, manus imponere aliaque officia muneris apostolici implere debebant Apostoli, raro autem

confessiones fidelium excipere, præsertim cum in his felicissimis temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret; — b) quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta. præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quæcumque ipsis mandaverat*, et parum solliciti erant an actus sui scriberentur. Liber Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continet, et de aliis nihil fere refert; insulse ergo concluderetur ex silentio ejus Apostolos confessiones non excepisse, vel ipsos confessione non usos esse, quanquam forte illa non indiguerint; nam juxta probabilem sententiam, erant confirmati in gratia.

Obj. 3°. Christus dedit Apostolis eorumque successoribus potestatem remittendi peccata venialia : atqui tamen nulla est obligatio ea declarandi : ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod peccata venialia cœlum proprie non claudant : igitur, qui tantum venialia habent, ministerio clavium non indigent ut aliquando cœlum ingrediantur. Contra vero cœlum obseratur iis qui peccato mortali commaculantur; ergo recurrere debent ad janitores, ut ipsis aperiatur. Ergo.

Inst. Apostoli eorumque successores acceperunt a Christo potestatem remittendi vel retinendi peccata in Baptismo, sacramentum illud concedendo vel negando : attamen confessio non est necessaria ad Baptismum : ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Disparitas in eo sita est, quod sacramentum Pœnitentiæ, ex institutione sua, per modum judicii exerceri debeat; supponit ergo jurisdictionem in subditos judicandos : porro Ecclesia non habet jurisdictionem in eos qui non sunt baptizati : ergo Baptismus administrari non potest per modum judicii. Unde laici jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces ipsæque mulieres valide baptizant. Ergo, licet confessio ad Baptismum non requiratur, non sequitur illam, etc.

Obj. 4°. Nectarius, patriarcha Constantinopolitanus versus finem quarti sæculi, abrogavit confessionem :

ergo non arbitrabatur illam esse jure divino necessariam.

R. Dist. ant. Abrogavit confessionem publicam, *conc.*; secretam, *nego ant.* Ad intelligentiam istius facti quod Protestantes singulariter ventitant, sciendum est episcopos tempore Novatianorum sacerdotem pœnitentiarium præfecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confiterentur. Quædam mulier ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est. « Presbyter vero præcepit illi ut jeju- » niis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una » cum delictorum confessione opus etiam pœnitentiæ » conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud » facinus confessa est, ecclesiæ videlicet diaconum cum » ipsa stupri consuetudinem habuisse. » Sunt verba Socratis, Hist. lib. v, cap. 19. Magnum inde exortum est scandalum in Ecclesia, et populus viros ecclesiasticos hanc ob causam dicteriis appetere cœpit. Tunc quidam presbyter nomine Eudemon, suasit Nectario ut presbyterum pœnitentiarium expungeret, et *unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem sineret accedere.* Sozomenus factum istud eodem modo refert, lib. VII, cap. 16. Illo igitur admisso ut vero, non sequitur Nectarium confessionem secretam abrogasse. — a) Nam abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat; at confessio secreta tempore Novatianorum non fuerat instituta, siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio Origenis et S. Cypr. — b) Abrogavit quod fuerat occasio scandali : atqui sola confessio publica mulieris causa fuerat scandali. — c) Confessio secreta semper fuit in usu post Nectarium, ut constat testimonio S. Chrysost. ejus successoris, a nobis superius allato, et constanti praxi Græcorum. Ergo.

Cæterum, ex ipsomet facto mulieris et pœnitentiarii, constat confessionem auricularem tunc in usu fuisse, siquidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata.*

Dicitur autem Nectarium permisisse *unumquemque, pro*

arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem accedere; non quod æstimaret confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure divino, sed quia licentiam unicuique dabat illa uti vel non uti, prout agnosceret se esse sontem vel insontem.

Inst. S. Chrysost. pluribus in locis, et præsertim Homilia 3 de Pœnit., n. 4, ubi hoc habet : *Deo soli dic peccatum tuum, et dimittetur tibi*, a confessione retrahere videtur : ergo confessio etiam secreta a Nectario fuerat abrogata.

R. Dist. ant. A confessione publica retrahere videtur, *conc.*; a confessione secreta, *nego ant.* Etenim S. Chrysost. vestigiis antecessoris sui inhærendo, confessionem publicam reprobare debuit : atqui revera solam confessionem publicam reprobavit; ab illa enim sola in textu allato in aliisque similibus retrahebat, non vero a confessione secreta quæ semper in usu fuit Constantinopoli sicut alibi, et cujus necessitatem ipse agnoscit, v. g., in loco a nobis superius citato et in aliis quæ citari possent. Si ergo dicat soli Deo peccata esse declaranda, — a) vel ibi loquitur de virtute pœnitentiæ, ut quibusdam placet, et tunc confessionem sacramentalem non excludit; — b) vel quia sacerdos locum Dei tenet, et, ratione secreti, peccata ei dicere in confessione, perinde est ac si Deo soli dicerentur, præsertim cum in Liturgia græca, referente P. *Goar*, in suo Euchologio Græcorum, presbyter apud Græcos pœnitentem ad se accedentem sic alloquatur : « Frater, utquid ad Deum et ad me accessisti? Ne » verearis; non enim mihi, sed Deo coram quo stas, pec» cata tua enuntias. »

Eodem sensu explicari debent alii textus SS. Patrum qui a Protestantibus nobis objiciuntur, id est, de confessione publica, non vero de secreta; sic : — a) S. Greg. Nyssenus dicit *peccata avaritiæ* a Patribus fuisse prætermissa, quia in canonibus publicis pœnitentiariis non fuerant submissa. — b) Venerabilis *Beda* a jugo confessionis eximit eos qui a religione per idololatriam, hæresim vel schisma non defecerant, id est, a jugo confessio-

nis publicæ : nam ipse necessitatem confessionis secretæ in Commentario in cap. 5 Epist. S. Jacobi agnoscit, his verbis : *Neque enim sine confessione peccata queunt dimitti.*

Obj. 5° Gratianus, Decret. causa 33, quæst. 3, dist. 1, cap. 89, expendit *an solo contritione cordis et secreta satisfactione, absque oris confessione, quisquam possit Deo satisfacere.* Postea duplicem refert opinionem tunc exstantem, unam affirmantem et alteram negantem : ergo tunc non credebatur confessionem esse necessariam.

R. Nego conseq. Nam Gratianus non movet quæstionem de necessitate confessionis ex institutione Christi ad salutem, sed de efficacia contritionis : si contritio perfecta ad sacramentum semper prærequiratur, confessio oris non erit necessaria in re ad justificationem, sed tantum in voto; secus necessaria esset in re. Porro nos ipsi diximus duplicem esse theologorum sententiam circa hanc quæstionem. Quod talis sit Gratiani sensus, patet tum ex titulo ejus dist., tum ex ipsius verbis, cap. 37 : *Non ergo in confessione remittitur quod jam remissum esse probatur*; tum ex eo quod utriusque partis defensores appellet *sapientes et religiosos*, dum qui necessitatem confessionis eo tempore negarunt, ab aliis scriptoribus vocati sunt *audaces, præsumptuosi, perversi, hæretici, sectarii.* Ergo.

Objicitur. Seneca, glossator Gratiani, qui dubitare videtur an confessio non fuerit instituta quadam universali Ecclesiæ traditione; sed omnes fatentur illum nullam mereri fidem.

S. Thomas, S. Bonaventura et S. Antoninus Gratianum in loco citato de necessitate confessionis interpretantur, et illum excusant, quia nondum definitum erat confessionem esse necessariam jure divino. Verum inde sequeretur ad summum Gratianum clare non fuisse locutum, aut præfatos auctores illum attente non legisse. Quidquid sit, quamvis dogma confessionis hoc tempore nondum fuerit aliquo canone expresse definitum, certum est illud ubique fuisse receptum.

Obj. 6°. Concilium Lateranense primo condidit præceptum de confessione facienda : ergo dogma confessionis non erat ubique receptum tanquam jure divino fundatum.

R. 1°. *Nego ant.* Pluribus enim factis demonstratur confessionem sacramentalem non solum fuisse in usu, sed et præceptam longe ante concilium Lateranense. —a) Jam memoravimus exemplum S. Ambr. confessiones secretas excipientis. — b) S. Eligius, in sexto sæculo, confessionem generalem omnium peccatorum vitæ suæ fecit apud sacerdotem; *Fleury*, l. XXXVII, n. 38. — c) S. Fructuosus, abbas Complutensis, anno 670 defunctus, in regula sua confessionem generalem præscribit novitiis qui ante ingressum in monasterium gravia commiserant peccata; *ibid.*, l. XXXIX, n. 23. — d) S. Chrodegangus, episcopus Metensis, monasterium clericorum regularium instituit versus annum 763, et inter regulas quas eis præscripsit, jussit ut singuli bis in anno peccata sua confiterentur episcopo, initio Quadragesimæ, et a medio mensis augusti ad primam diem novembris. In aliis temporibus, sive episcopo, sive sacerdoti, pro utilitate sua, confessionem suam facere poterant; ipsis expresse et sub gravibus pœnis vetatur ne aliquod taceant peccatum; *ibid.*, l. XLIII, n. 39. — e) Theodulphus, episcopus Aurelianensis, in suo Capitulario anni 785, dicit omnia peccata etiam cogitationum esse confitenda sacerdoti, et jubet sub pœna excommunicationis ut qui perjurium, falsum testimonium, adulterium, fornicationem, homicidium aliaque gravia peccata admiserunt, ea confiteantur et canonicam expleant pœnitentiam; *ibid.*, l. XLIV, n. 23. — f) In concilio Cabillonensi anni 813, redarguuntur qui integre non confitentur, et declaratur eos monendos esse de obligatione confitendi peccata interna sicut et externa; *Labbe*, t. VII. Multa alia hujus generis facta reperiuntur, tum in Historia Ecclesiastica, tum in auctoribus qui de necessitate confessionis fusius tractant, et præsertim apud *Scheffmacher, lettre* IV.

R. 2°. *Nego conseq.* Ecclesia enim potest instituere le-

ges ad urgendam divinorum præceptorum observationem vel ad determinandum tempus quo impleri debeant ; ea intentione tulit præceptum de communione Paschali, licet rata fuisset dari præceptum divinum ad sacram synaxim accedendi. Ergo similiter persuasum habens confessionem esse jure divino necessariam, potuit nihilominus eam præcipere, v. g., determinando tempus ultra quod obligatio illius non protraheretur. Porro talem fuisse mentem concilii Lateranensis confessionem annuam præcipientis asserit concil. Trid., sess. 14, cap. 5 : « Neque » per Lateranense concilium Ecclesia statuit ut Christi » fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et » institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confes- » sionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, » cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. » Ergo.

Corollarium. — *Sequitur ex dictis* reum peccati mortalis, post Baptismum commissi, justificari non posse sine confessione in re saltem cum attritione, vel in voto cum contritione perfecta: qui autem necessitatem confessionis invincibiliter ignoraret et de peccatis suis propter amorem Dei contereretur, nihilominus justificationem obtineret; Deum enim perfecte amare non potest quin paratus sit omnia ipsius mandata observare : porro in tali dispositione cordis votum confessionis existit : ergo.

Ex eo quod peccata venialia clavibus subjici et vi verborum Christi per absolutionem remitti possint, non sequitur ea necessario confitenda esse, quia cœlum non claudunt.

III. Quo tempore et modo adimplendum sit præceptum divinum de confessione.— *Quæritur* 1° Quo tempore præceptum divinum confessionis obliget.

R. 1°. Reus peccati mortalis tenetur habere propositum confitendi, quando tenetur habere contritionem, quia propositum confitendi est annexum contritioni : tenetur autem habere contritionem, saltem sub veniali, ut supra diximus, statim atque peccata memoriæ occurrunt.

R. 2°. Ad confessionem tenetur per se in articulo et

etiam in periculo mortis; de natura enim est præcepti positivi ut obliget saltem in casu necessitatis : hinc miles ante prælium, navigatores ante periculosam navigationem in qua deerit copia confessarii, mulier gravida ante primum partum aut quæ jam partus difficiles experta est nisi rationabiliter præsumere possit se partum periculosum non experturam; et generaliter quicumque verisimiliter putant se amplius non habituros opportunitatem confitendi, tenentur confiteri si sint in peccato mortali.

R. 3° Eum ad confessionem teneri per accidens, quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere nisi confessus, v. g., Eucharistiam percipere, aut conficere, etc.

R. 4° Extra hos casus autem quanto tempore reus peccati mortalis confessionem differre possit, non constat. — a) Probabilius videtur peccare venialiter, eam notabili tempore differendo, nisi perfecte conteratur, quia sollicitudo propriæ salutis et zelus gloriæ Dei expostulant ut in statu peccati mortalis diu non maneat. — b) Probabilius mortaliter contra jus divinum peccaret, si per annum integrum non confiteretur; nam Ecclesia confessionem saltem annuam præcipiendo, tempus quo præceptum divinum obligaret determinare voluit. *Ita communius theologi* apud S. Ligorium, l. VI, n. 663. — c) Nihil invenimus ex quo judicari possit eos qui semel in anno tantum confitentur, licet mortalia habeant, mortaliter contra præceptum divinum peccare : igitur, ut ait *Billuart*, hoc relinquendum est judicio prudentum.

Quæritur 2° utrum confessio ex institutione divina debeat esse publica vel secreta.

R. 1° Modum confitendi a Christo non fuisse determinatum. Unde per confessionem secretam præcepto divino satisfit, ut expresse definit concil. Trid. sess. 14, can. 6 : « Si quis dixerit modum secreto confitendi soli sacerdoti, » quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et » observat, alienum esse ab institutione et mandato » Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. »

R. 2° Nunquam exstitit obligatio generalis peccata occulta publice confitendi. — a) Patet ex concil. Trid., sess. 14, cap. 5 : « Non satis consulte humana lege præciperetur ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. » Ecclesia autem nihil inconsulte facit. — b) Ex pluribus testimoniis SS. Patrum supra relatis.

R. 3° Certum est peccata publica, quædam etiam occulta, *pœnitentiæ publicæ* canonibus statutæ olim subjecta fuisse : id patet ex Historia ecclesiastica, et ex SS. Patribus et conciliis ; at non ita constat confessionem publicam etiam peccatorum non occultorum stricte præscriptam fuisse ; videmus quidem morem quædam peccata publice confitendi, sive ex mandato Ecclesiæ, sive ex fervore pœnitentium, sive confessario adhortante, per plura sæcula viguisse : nihil amplius novimus, et proinde circa illum morem quodcumque aliud asserere difficile est. Ergo.

IV. Probatur præceptum ecclesiasticum de confessione. — Confessio non solum est necessaria ex jure divino, sed jus ecclesiasticum etiam illam præcepit aliquando faciendam ; id evidentius apparebit ex probata sequenti propositione.

PROPOSITIO.

Confessio sacramentalis necessaria est jure ecclesiastico.

Prob. Illud necessarium est jure ecclesiastico quod ab Ecclesia fuit præscriptum : atqui confessio sacramentalis ab Ecclesia fuit præscripta, nempe in concilio Lateranensi IV, anno 1215, sub Innocentio III celebrato, can. 21, his verbis : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam » ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus pec» cata saltem semel in anno confiteatur fideliter proprio » sacerdoti et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro » viribus adimplere... alioquin et vivens ab ingressu ec» clesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. » Ergo.

Concil. Trid., sess. 14, can. 8, anathemate percutit eos qui dicerent ad confessionem « non teneri omnes et sin- » gulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni con- » cilii Lateranensis constitutionem, semel in anno. » Ergo.

Ex ipsismet concilii Lateranensis verbis plures nascuntur difficultates quæ proponendæ et solvendæ sunt.

Videtur quod præceptum hujus annuæ confessionis obliget sub gravi, id enim patet tum ex gravitate materiæ, tum ex pœnis in concilio Lateranensi decretis, scilicet excommunicatione et privatione sepulturæ ecclesiasticæ; illæ pœnæ sunt quidem ferendæ, et non latæ sententiæ; attamen, juxta omnes theologos, gravem denotant obligationem.

V. Quinam præcepto ecclesiastico teneantur. — 1° Per verba : *Omnis utriusque sexus fidelis*, omnes intelliguntur viri et mulieres qui fuerunt baptizati, et peccati sunt capaces, juvenes et senes, indocti et docti, laici et clerici, etiam parochi, episcopi, ipseque Papa; nullus Christianus excipitur.

2° *Postquam ad annos discretionis pervenerit*, id est cum sufficientem habuerit usum rationis ut peccare possit, proindeque, in regionibus nostris circa annum septimum, in aliis regionibus circa annum quintum. Quidam infantes etiam apud nos ante septimum annum plus malitiæ sunt capaces quam alii decem aut duodecim annorum. Unde curare debent parochi ut infantes sibi commissi, saltem circa septimum annum, incipiant peccata sua confiteri; et si quem peccati mortalis jam reum inveniant confessarii, eum ad absolutionem sacramentalem quamprimum suscipiendam pro posse suo disponant, ne forte imparatus decedat et æternaliter pereat.

Peti potest an hujusmodi infantes præcepto ecclesiastico confessionis annualis teneantur. S. Lig. l. VI, n. 666, et alii affirmant, licet forsan non pauci sacerdotes praxim contrariam teneant. Saltem confessarii, et maxime parochi, advigilare debent ut infantes isti, si sufficienter præparari possint, præceptum impleant, præ-

sertim si peccatis mortalibus videant eos maculatos.

3° *Quæritur* an qui nullius peccati mortalis conscius est nihilominus præcepto confessionis teneatur.

R. 1° Certum est illum præcepto divino non teneri : *patet ex dictis*, et omnes id fatentur, modo certus sit se venialia tantum habere; nam in dubio, ad confessionem teneretur. 2° Quoad præceptum ecclesiasticum, omnes pariter fatentur quod, in dubio de mortali aut veniali, confessio sit necessaria. Si vero, omnibus perpensis, certum sit nullum esse peccatum mortale, plurimi dicunt præceptum Lateranense applicationem non habere. Nam, inquiunt : — a) Concil. Trid., sess. **14**, cap. 5, dicit « nihil » aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi quam ut quis- » que ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum » suum mortaliter offendisse meminerit. » — b) Ex Regula 15 juris *odia restringi convenit*, dici non potest dari obligationem confitendi peccata venialia, nisi lege ecclesiastica clare exprimatur : atqui hæc obligatio clare non exprimitur, ut ex textu canonis patet : ergo. — c) Fatentibus adversariis, qui simul haberet mortalia et venialia, confiteri non teneretur venialia : ergo fidelis non tenetur vi præcepti ecclesiastici venialia confiteri. Ergo. Ita expresse *Billuart*, *Tournely*, S. Ligorius, l. VI, n. 667, multos alios citans.

Alii autem opinantur eos qui peccata venialia solummodo habent, nihilominus ad confessionem annuam teneri : — a) quia lex ecclesiastica est generalis, et de obligatione confitendi omnia peccata, sine ulla distinctione, loquitur; — b) quia in dubio an peccatum sit mortale vel veniale, datur, juxta omnes, obligatio illud confitendi : at temerarium foret pronuntiare, quando confessio per totum annum portrahitur, nullum dari peccatum mortale, ne quidem dubium; — c) quia in dubio pars tutior eligenda est : at, in præsenti casu, saltem aliquod est dubium : ergo. Sic. S. Thomas, S. Bonaventura, Sylvius, *Habert*, *Collet*, Theol. Rothomag., aliique plures. Prior sententia probabilior nobis videtur : at posterior est tutior, ac proinde saltem consulenda est in praxi.

VI. De tempore et modo quo adimplendum sit præceptum ecclesiasticum de confessione. — 1° Præceptum ecclesiasticum de confessione obligat semel in anno; tempus autem non fuit aliter determinatum : unde qui confessionem ultra annum integrum protraheret, contra præceptum ecclesiasticum mortaliter peccaret. Conc. Trid., sess. 14, cap. 3, sub fine, dicit morem « confitendi, sacro » illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ, esse » salutarem, quem sancta synodus maxime probat et » amplectitur, tanquam pium et merito retinendum. » Cum sacra communio, ex Ecclesiæ præcepto, tempore Paschali suscipienda sit, mos invaluit ut confessio annua, tanquam illius præparatio, eodem fieret tempore. Unde Ritualia nostra communiter illam præcipiunt pro tempore Paschali, scilicet, a dominica Palmarum ad dominicam in Albis inclusive. Clerus Gallicanus declaravit, in comitiis generalibus annorum 1625, 1635 et 1646, omnes tunc temporis teneri proprio sacerdoti, vel alieno, de consensu ejus, confiteri. Hæc declaratio quidem non est nullius ponderis, attamen non habenda est ut lex ecclesiastica. Annus igitur sumitur moraliter ab initio *quindenæ* Paschatis unius anni ad finem *quindenæ* sequentis anni.

Licet tamen, ex usu, confessiones audire et absolutionem in ordine ad communionem paschalem impertiri tota die sabbati ante dominicam Palmarum, et non videmus cur nonnullis præcedentibus diebus idem non liceret; si enim confessio paucis diebus ante initium Paschatis rite fiat in ordine ad communionem paschalem, et status gratiæ non amittatur, nonne finis statuti obtinetur?

Confessarius prævidens fore ut pœnitens, certis habitibus peccandi deditus, tempore Paschali absolvi non possit, illum ultra conclusionem Paschatis statim remittere potest, nec requiritur ut eum hoc tempore audiat : præceptum quippe per solam susceptionem sacramenti impletur : porro sacramentum in eo casu suscipi non potest ut supponitur : ergo.

Qui voluntarie in causa est cur sacramentum sibi differatur, contra præceptum Ecclesiæ mortaliter peccavit,

et, nisi studeat pro viribus ad illud se præparare, iterum atque iterum peccabit; nam, transacto tempore Paschali, præceptum annuæ confessionis semper urget, et quamprimum impleri debet. Unde qui, legitime impeditus, confessionem tempore Paschatis omisit, non peccavit: at, impedimento sublato, tenetur sub peccato mortali quamprimum moraliter satisfacere præcepto. Verum unica confessione rite facta, pro pluribus annis præteritis et pro præsenti tempore Paschatis, simul satisfacit. Qui prævidet copiam confessarii sibi defuturam, tempus prævenire debet.

Datur insuper aliud præceptum ecclesiasticum in conc. Trid., sess. 13, c. 7 et can. 11, expressum de confessione sacramentali facienda ab iis qui, peccati mortalis conscii, sacram Eucharistiam suscepturi vel Missam celebraturi sunt.

Qui decursu anni confessus est tenetur insuper confiteri tempore Paschali: — a) si mortaliter peccaverit, procul dubio confiteri tenetur ut ad susceptionem Eucharistiæ se disponat. — b) Etiamsi nullius peccati mortalis esset conscius, saltem confessario se sistere deberet, ut statum animæ suæ ei aperiret, et venialia tutius confiteretur, juxta id quod superius diximus. Hæc præsertim admittenda sunt pro iis diœcesibus, in quibus annua confessio præcipitur facienda tempore Paschatis.

2° Præcepto ecclesiastico confessionis oportet satisfacere per confessionem validam. Quidam probabilistæ affirmare non erubuerunt satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntarie nullam: verum Alexander VII et clerus Gallicanus hanc damnaverunt assertionem a qua ipsa ratio abhorret; Curs. compl., t. VI, col. 692. Nec per confessionem involuntarie nullam vel cui deest absolutio sacramentalis, dicto satisfit præcepto; nam Ecclesia non nudam peccatorum declarationem, sed sacramentum Pœnitentiæ completum, cum Deo reconcilians, præcipit. Ergo.

4° Juxta præceptum ecclesiasticum confessio facienda est proprio sacerdoti. Porro per proprium sacerdotem is

intelligendus est qui habet ordinariam jurisdictionem in pœnitentem, proindeque summus Pontifex respectu omnium Christianorum, episcopus respectu diœcesanorum, parochus respectu parochianorum, et quilibet superior regularis, ut abbas, prior, guardianus, rector, respectu subditorum, proprius est sacerdos. Unde fidelis qui confessionem annuam seu paschalem alieno sacerdoti facere intendit, licentiam obtinere debet a parocho vel ab episcopo, nisi ex statuto generali vel ex consuetudine liceat confiteri cuivis approbato, uti jam in pluribus diœcesibus receptum est, et in provincia Turonensi statutum fuit per decretum 17 concilii Rhedonensis anni 1849. De hoc iterum agemus, ubi de jurisdictione.

§ II. — De conditionibus confessionis.

Sexdecim conditiones confessioni sacramentali plures assignant theologi; alii vero communius aut saltem simplicius eas ad quatuor reducunt, sequenti versu contentas :

Integra sit simplex, humilis, parere parata.

1° *Integra.* Probavimus enim confessionem jure divino necessariam esse ad obtinendam justificationem post Baptismum : porro, cum unicum peccatum mortale gratiam sanctificantem destruat, si plura admissa fuerint peccata mortalia, omnia clavibus Ecclesiæ subjici debent, ad recuperandam gratiam. Confessio igitur debet esse integra, ac proinde sincera, sine ulla dissimulatione.

2° *Simplex;* id est, non verbis fucata nec figuris adornata, sed nuda, clara et brevis peccatorum declaratio.

3° *Humilis.* Cum enim in ordine ad reconciliationem fiat, procedere debet ex intimo sensu indignitatis et sincero dolore cordis; nec igitur excusationes quærere debet pœnitens, culpas minuendo, eas dæmoni, sociis, naturæ corruptæ, etc., tribuendo.

4° *Parere parata.* Peccator enim humiliter se accusans et gratiam reconciliationis expostulans, voluntatem habere debet parendi mandatis confessarii tanquam judicis sententiam proferentis : cum illo igitur non sit contentiosus, disceptans, consilia, objurgationes ægre ferens.

De integritate fusius dicendum; omnes quæstiones circa hanc qualitatem absolvemus in duplici sectione, quarum prima erit de necessitate integritatis; et secunda de causis ab integritate excusantibus.

Sectio prima. — *De necessitate integritatis in confessione.*

Circa necessitatem integritatis inquirendum est 1° an confessio debeat esse integra quoad numerum, species et circumstantias; 2° an declaranda sint peccata dubia; 3° an peccata jam confessa, vel inculpabiliter omissa; 4° an invalide vel illicite confiteatur qui confessionem dividit aut in ea mentitur.

Punctum primum. — De integritate quoad numerum, species et circumstantias.

I. Qualis integritas requiratur in confessione. — Duplici modo confessio potest esse integra, scilicet, materialiter et moraliter : est integra materialiter, si omnia peccata mortalia declarentur, sine ulla exceptione voluntaria aut involuntaria; est autem moraliter integra, quando pœnitens nullum tacet peccatum mortale omissione graviter culpabili.

Certum est integritatem materialem non semper necessariam esse; nam sæpe est impossibilis : Deus autem impossibilia non jubet. Sufficit ergo integritas moralis. Id conc. Trid. confirmavit, sess. 14, cap. 5, dicens : « Constat nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, » quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, » et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras explorave- » rit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum

» suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem » peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in uni- » versum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. » Unde oblivio peccati mortalis non excusatur, nisi serium præmissum fuerit examen. His notatis, sit

PROPOSITIO.

Confessio jure divino debet esse integra quoad numerum, species et circumstantias peccatorum, saltem mutantes speciem, quantum pœnitens moraliter potest.

Prob. 1° Hæc propositio fundatur concilio Lateranensi IV, can. *Omnis utriusque sexus*, etc., conc. Florent. in Decreto ad Armenos, et præsertim concilio Tridentino sic se habente, sess. 14, can. 7 : « Si quis dixerit in sacra- » mento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum neces- » sarium non esse jure divino confiteri omnia et singula » peccata mortalia, quorum memoria cum debita et dili- » genti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ » sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circum- » stantias quæ speciem peccati mutant... anathema sit. »

2° Sixtus IV confirmavit, anno 1479, decretum episcopi Toletani, damnantis errores Petri Osmensis, qui negabat dari obligationem jure divino confitendi peccata in specie, sed tantum, aiebat, jure ecclesiastico.

3° Idem constat ex textibus SS. Patrum a nobis superius allatis, ut unusquisque attendendo observare potest. Ergo.

4° Hæc autem integritas fundatur verbis Christi sacramentum Pœnitentiæ instituentis : *Quorum remiseritis*, etc., *et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ostendimus nasci ex his verbis obligationem confitendi peccata ut remittantur : quæ ergo culpabiliter tacentur, remitti non possunt : unde vel unum ex verecundia celare peccatum mortale, horrendum est sacrilegium.

Diximus 1° *quoad numerum*, id est, — a) si pœnitens

sciat numerum certum, illum in magna sinceritate dicat, nec augendo, nec minuendo, non tamen ea singulatim contexendo; sufficit ut omnia ejusdem speciei simul enuntiet, dicens, v. g. : Ter pejeravi, quinquies omisi jejunium in Quadragesima, etc. — b) Si numerus certus illi non occurrat, quem a certo minus distare æstimabit assignet, addendo vocem *circiter*, v. g., decies circiter nomen Dei blasphemavi, de superiore meo coram decem personis circiter detraxi, hoc vel illud dicendo, etc. — c) Si propter nimiam peccatorum multitudinem, ne quidem numerus incertus circiter determinari possit, ut communiter accidit iis qui consuetudinem frequenter peccandi habuerunt, maxime si a multis annis confessionem omiserint, sufficit ut dicat se tot vicibus circiter in talia vel in talia peccata incidisse per dies, per hebdomades, per menses, aut etiam per annos, v. g., a triginta annis circiter novies aut decies inebriatus sum singulis annis. — d) Ubi de peccatis internis agitur, sæpe sufficit ut consuetudinarius dicat se paratum fuisse cogitationi aut desiderio talis vel talis peccati consentire quoties memoria illius sibi occurrebat, et frequenter sibi occurrisse. — e) Qui numerum certum declaravit, et postea advertit se plura quam dixit admisisse peccata, quæ supersunt declarare tenetur : *patet ex dictis;* qui vero numerum approximantem declaravit, ea quæ postea advertit confiteri non tenetur, si numerum assignatum notabiliter non excedant. Hinc qui confessus est se duodecies blasphemasse circiter, et advertit hoc sibi quindecies accidisse, ad novam declarationem non tenetur; teneretur vero si adverteret hoc vigesies accidisse.

Diximus 2° *quoad species :* patet ex can. conc. Trid. et alioquin confessarius statum pœnitentis sufficienter non agnosceret; aliud quippe est, v. g., Deum blasphemavisse, aliud de proximo detraxisse; aliud hominem vulnerasse, aliud eum occidisse; aliud adulterium, aliud fornicationem commisisse, etc.

Diximus 3° *et circumstantias peccatorum;* constat iterum ex citato canone conc. Trid., et evidenter sequitur

ex necessitate declarandi species : hinc aliquis turpia fecit in ecclesia, non solum actus turpes, sed et circumstantiam sacrilegii declarare tenetur. Unde qui peccatum declarando circumstantiam omisit, peccatum iterum declarare tenetur ut circumstantiam aperiat.

Diximus 4° *saltem mutantes speciem*, ut a circumstantiis notabiliter aggravantibus abstineremus in propositione.

II. An declaratio circumstantiarum aggravantium pertineat ad integritatem confessionis. — Non omnino certum est declarationem circumstantiarum quæ peccatum aggravant, ad integritatem confessionis pertinere. Multi theologi, inter quos S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Sylvester, Navarrus, *de Lugo*, Lessius, *Bonacina*, S. Ligorius, etc., negant, et *Billuart* sententiam illorum æstimat probabilem. Hac præcipue ratione nituntur : cum onus peccata confitendi sit grave, extendi non debet ultra id quod a Christo vel ab Ecclesia fuit præceptum : atqui nec Christus, nec Ecclesia declarationem circumstantiarum peccatum intra eamdem speciem aggravantium præceperunt ; non Christus, siquidem id non probatur ex Scriptura sacra, neque ex traditione ; non Ecclesia, cum, e contra, sacra synodus Trid. de integritate confessionis agens, circumstantias solummodo aggravantes exceperit.

Cæteri vero theologi docent, non solum ut totius, quod omnes concedunt, sed ut verum, dari præceptum divinum declarandi in confessione circumstantias notabiliter aggravantes, et sequentibus innituntur rationibus.

1° *Concilio Tridentino.* Quamvis enim concilium definire noluerit dictas circumstantias aperiendas esse, ne in hac sicut in aliis materiis controversis theologos catholicos percuteret, hoc tamen grave fundamentum argumentationis nobis subministrat : decernit, cap. 5, circumstantias speciem peccati mutantes accusandas esse, ut confessarii *de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* At illa ratio eamdem vim habet pro circumstantiis notabiliter aggravantibus ac pro circumstantiis speciem mutan-

tibus : v. g., qui nummum aureum in ecclesia furatus est, præcepto divino confessionis non satisfaceret, dicendo simpliciter se furatum esse. Quis sibi persuadebit illum iisdem verbis satisfacturum, si centum nummos furatus est? Ergo.

2° *Ratione.* Circumstantia mutans speciem declaranda est, quia novam addit malitiam peccato : sed circumstantia notabiliter aggravans, cum per se ad constituendum peccatum mortale sufficiat, circumstantiæ speciem mutanti æquivalet : ergo.

Quamvis hæc posterior sententia, utpote tutior et fundata, in praxi sit desideranda, non rigorose tamen est premenda, quia prior sua probabilitate non caret, et onus confessionis non est aggravandum.

Punctum secundum. — An peccata dubia sint declaranda.

Triplici modo peccata possunt esse dubia, scilicet : 1° dubio facti, si nempe dubitetur an peccatum fuerit commissum; dubio juris, si dubitetur an peccatum certo commissum sit mortale vel veniale; 3° dubio declarationis, videlicet, si quis dubitet an peccatum certo commissum et mortale declaraverit, nec ne.

In triplici hoc casu peccata dubia declaranda sunt juxta probabilioristas : nam non licet periculo mortale peccatum omittendi se exponere : attamen qui peccatum dubium omitteret, tali periculo evidenter se exponeret. Probabilistæ vero, juxta sua principia, judicant quandoque declaranda esse peccata dubia, quandoque taceri posse. Vid. S. Lig. l. VI, n. 473 et seq.

Hæc non dicta sint pro scrupulosis qui meras anxietates, omni fundamento destitutas, pro veris dubiis sumere solent, et qui aliunde, ob incommoda inde proventura ab integritate materiali eximuntur : hortandi sunt ergo ut a dubiis, maxime si de internis agatur, abstineant, et certa duntaxat confiteantur. Si forte quædam gravia inter dubia existunt, nihilominus vi absolutionis rite concessæ remittentur.

Quæritur 1° an absolutio super peccatum dubium concedi possit.

R. 1° Si dubitetur an peccatum, certo commissum, sit mortale, vel an fuerit declaratum, absolutio super illud concedi potest, modo adsit contritio, siquidem peccatum veniale aut peccatum jam remissum est materia sacramenti sufficiens. 2° Si vero dubitetur an peccatum sit commissum, absolutio concedi non potest, nisi aliud declaretur certo commissum, sive veniale, sive jam remissum, cujus habetur contritio; alioquin materia esset dubia : absolutio autem materiæ dubiæ applicari non potest extra casum necessitatis : ergo.

Quæritur 2° an pœnitens qui confessus est peccatum ut dubium illud declarare teneatur, si advertat esse certum.

R. 1° Si confessus est peccatum mortale ut dubium dubio declarationis, dicens se dubitare an illud confessus fuerit, evidens est quod ad novam declarationem non teneatur, etiamsi postea advertat se illud prius non declarasse; illud enim clavibus Ecclesiæ subjecit ut mortale.

R. 2° Si declaraverit peccatum ut dubium an esset mortale vel veniale, nonnulli docent theologi non dari obligationem illud postea declarandi ut certum; quia confessarius de illo judicans, intentionem suam ad solam qualitatem venialis non restrinxit. Ita *Dens*, t. VI. Tutius est tamen illud iterum declarare : talis est praxis timoratorum etiam scrupulis non laborantium. Ab ea opinione recedere nolumus, et multo minus si ageretur de dubio facti.

Quæritur 3° ad quid teneatur qui bona fide confessus est peccatum, sive mortale sive veniale, quod non commisit.

R. Ad nihil tenetur, non enim peccavit falsam hanc declarationem faciendo, ut supponitur; aliunde peccatum suppositum non est materia sacramenti. Ergo.

Punctum tertium. — An peccata jam confessa, vel inculpabiliter omissa debeant iterum declarari.

I. De modo diverso quo confessio nulla fieri potest. — Confessio potest esse nulla vel ex parte confessarii, vel ex parte pœnitentis.

1° Ex parte confessarii, quod pluribus modis fieri potest, — a) scilicet defectu Ordinis, ut si fingat se esse sacerdotem, vel invalide fuerit ordinatus; — b) defectu jurisdictionis, secundum id quod infra dicemus; — c) si absolutionem non concesserit, aut formam essentialiter mutaverit; — d) si intentionem actualem aut saltem virtualem absolvendi non habuerit; — e) si ob surditatem, somnum aut distractionem, nullum peccatum pœnitentis intellexerit, quia tunc humano modo non egisset: secus dicendum foret si, licet plura non intellexisset peccata, saltem unum recte advertisset. *Sic communissime theologi.*

2° Ex parte pœnitentis, quod multis etiam modis contingere potest, videlicet: — a) si ex gravi negligentia in discutienda conscientia, peccatum mortale accusari omiserit; — b) si inter confitendum mortaliter peccaverit, vel peccatum realiter commissum negando, vel mortale supponendo, etc.; — c) si dolore requisito caruerit, vel si firmum non habuerit propositum non peccandi de cætero, id est, saltem omnia mortalia perpetuo vitandi; vel si accipiendo pœnitentiam a confessario impositam, intentionem non habuerit eam implendi; — d) si explicitam non habuerit fidem mysteriorum ad salutem necessitate medii requisitorum; — e) si ex fine mortaliter malo confessus fuerit, v. g., si ex sola hypocrisi confessarium ignarum, caducum, laxatum, qui peccata non intelligeret, aut convenientem satisfactionem non imponeret, consulto requisierit.

II. Quandonam peccata jam confessa iterum sint declaranda. — 1° Quacumque de causa nulla fuerit confessio, iterum declaranda sunt peccata in ea jam con-

fessa. Ea etenim assertio patet ex unanimi consensu omnium theologorum; et ex ratione. Ideo enim jure divino necessaria est confessio, ut remittantur peccata et obtineatur justificatio : at ubi confessio fuit nulla, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, peccata non fuerunt remissa : ergo semper urget præceptum divinum.

Cæterum, advertendum est fideles ad repetendas confessiones non cogendos esse, nisi moraliter certum sit illas esse nullas, vel saltem id judicio viri prudentis valde sit probabile : tale quippe onus, a sacro tribunali per se removens, sine gravi fundamento imponi non debet. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 505, et plurimi apud ipsum contra P. *Antoine*, qui solum requirit dubium ad hoc ut confessio iterari debeat.

Quidam theologi, ut molliores nusquam habiti, inter quos continuator *Tournely* et *Dens*, docuerunt aliquando non monendum esse pœnitentem de obligatione præteritas confessiones iterandi, si nempe bona fide arbitretur eas esse validas, ut in casu relapsus et maxime in casu ignorantiæ mysteriorum quorum fides explicita ad justificationem absolute necessaria est, facile contingere potest, et si aliunde præsumatur eum admonitum confessionum iterationi non consensurum; si enim recte sit dispositus, peccata ejus præterita actuali confessione indirecte remittentur, proindeque saluti ejus non officient; dum e contra, monitio intempestiva eum a via salutis retraheret. Ergo. Attamen prudens confessarius satagere debet ut opportunis quæstionibus declarationem præteritorum peccatorum, saltem aliquo sensu, pro posse suo obtineat, et sedulo inducere pœnitentem ut de omnibus peccatis vitæ suæ generaliter se accuset atque sincere conteratur.

2° Si vero peccata mortalia incupabiliter omissa fuerint in confessione, quæritur an iterum declarari debeant.

Seclusa sacræ Eucharistiæ susceptione, quædam concedenda est latitudo : etenim cum confessio fuerit valida, præcepto ecclesiastico de annua confessione facienda satisfactum fuit : restat ergo præceptum divinum peccatum

istud clavibus Ecclesiæ subjiciendi : sed præceptum istud non statim et sub gravi obligat : ergo.

Quantum autem concedi possit temporis spatium, determinare non audemus : arbitramur tamen eum qui singulis mensibus vel crebrius confiteri solet, sequentem tuto exspectare posse confessionem absque peccato veniali.

Diximus *seclusa sacræ Eucharistiæ susceptione ;* quia ratione legis ecclesiasticæ de confessione sacræ Eucharistiæ præmittenda, quædam nascitur difficultas de qua in Tractatu *de Eucharistia* agitur.

3° Quoad modum confitendi, vel novus aditur confessarius, et omnia singulatim declaranda sunt peccata, quasi nullatenus fuissent declarata ; vel apud eumdem confessarium iteranda est confessio ; in posteriori hoc casu, vel confessarius statum pœnitentis sufficienter recordatur, ut convenientem satisfactionem injungere possit, et tunc sufficit quod peccata jam declarata modo generali iterum declarentur, dicendo, v. g. : De omnibus peccatis meis tibi, Pater, jam declaratis iterum me accuso. Si vero confessarius delicta prius declarata nullo modo recordetur, saltem præcipua distincte confitenda sunt, ut status pœnitentis iterum notus fiat : ampliori declaratione opus non est, siquidem prior confessio fuit sacramentalis, et accusatione generali fit actualis.

Quæritur an pœnitens distincte confiteri teneatur peccata jam alias confessario nota.

R. Quidam docuerunt tunc sufficere ut pœnitens generali formula se accuset, dicendo, v. g. : De peccatis quæ tibi historice narravi, vel quæ alias didicisti, me accuso ; alii vero communius accusationem distinctam requirunt, quia alioquin non esset confessio distincta vere sacramentalis, qualis præcipitur. Ita S. Ligorius, lib. VI, n. 502.

COROLLARIUM. — De confessione generali.

I. DE NECESSITATE AUT UTILITATE CONFESSIONIS GENERALIS. — Confessio generalis est recensio vel repetitio plurium confessionum : potest esse totius vitæ, id est, omnium peccatorum post Baptismum commissorum; vel alicujus temporis, v. g., unius anni vel plurium annorum; potest adhuc esse necessaria, utilis vel nociva.

Est necessaria, quando præcedentes confessiones fuerunt nullæ, incipiendo a tempore quo prima facta est confessio nulla : *patet ex modo dictis.*

Utilis est in præcipuis vitæ christianæ epochis, v. g., tempore primæ communionis, electionis status, ut ante matrimonium, ante susceptionem Ordinis sacri, ante professionem religiosam, quando quis ab erroribus aut peccand habitibus sincere reversus, firmum init propositum sancte vivendi. Ita S. Franciscus Salesius, *Introduction à la vie dévote*, 1ª part., cap. 6, et communiter theologi ac vitæ asceticæ auctores.

Est autem nociva, quando rationabiliter timentur scrupuli et anxietates quæ conscientiam torturæ aut pacem cordis ablaturæ sunt : imo, ubi talia metuenda sunt incommoda, ne quidem permittenda est in dubio de validitate præcedentium confessionum, quia præceptum divinum confessionis ad integritatem materialem cum tanto incommodo non obligat. Caveant igitur confessarii, præsertim juniores et timorati, ne pœnitentes ad confessionem generalem facilius compellant vel etiam admittant : verum pari sollicitudine timeant ne pigritia aut laxitate eam præcipere negligant.

II. DE MODO QUO FACIENDA SIT CONFESSIO GENERALIS. — Plurimi dicunt expedire ut vita in certas dividatur epochas, v. g., ab usu rationis ad primam communionem, a prima communione ad electionem status : verum experientia constat breviorem et faciliorem esse viam si statim fiat declaratio secundum ordinem mandatorum Dei et Ecclesiæ, peccatorum capitalium et obligationum status,

dicendo, v. g. : Tali ætate sacrum Dei nomen blasphemare incœpi, illud decies circiter singulis hebdomadis sic pronuntiare solebam usque ad annum ætatis meæ trigesimum, etc.

In hujusmodi confessionibus, sicut in aliis confessionibus magnorum peccatorum, parum curandum est de peccatis venialibus quorum declaratio non est necessaria, et quæ aliunde in judicium confessarii vix influunt.

Quot vicibus ordinarie absolvenda sit confessio generalis totius vitæ? Hoc determinari non potest : aliquando una vice, videlicet, si aliqua necessitas urgeat, ut si mors immineat, si administrandum vel suscipiendum sit sacramentum quod differri non potest, si pœnitens, aliunde recte dispositus, redire non possit; communiter tamen bis aut ter audiri debet pœnitens, et certe pluries si ex confessione ejus prudenter timeatur ne adhuc peccata mortalia omiserit vel rudimenta religionis nondum percalleat, vel sufficientem non habeat dolorem, aut a consuetudine peccandi non adhuc sufficienter recesserit, etc. At increpandi sunt confessarii qui sine gravi motivo pœnitentes diutius protrahunt, eosque periculo deserendi confessionem exponunt.

Punctum quartum. — An invalide aut illicite confiteatur qui confessionem dividit, aut mentitur in confessione.

I. De eo qui confessionem suam dividit. — Certum est cuncta peccata mortalia eidem confessario aperienda esse, nec sufficeret quædam uni confessario et cætera alteri confessario declarare; alia quippe sine aliis remitti non possunt.

Qui venialia declararet, retentis mortalibus, evidenter invalide confiteretur; qui vero tantum reticeret venialia, non invalidam redderet absolutionem, cum non sit præceptum confitendi venialia.

Si quis in peccata mortalia sæpe relapsus, timens ne confessarius ordinarius diutius eum probet vel remotio-

nem alicujus occasionis præcipiat, alium sacerdotem adeat cui mortalia declaret, absolutionem obtineat, et deinde confessario ordinario venialia confiteatur, invalidum redderet sacramentum ob defectum requisitarum dispositionum. Item qui sic ageret ad obtinendam licentiam frequentius communicandi, aut admissionem ad Ordines. Non ita qui in aliquod grave peccatum extraordinarie lapsus, ob verecundiam illud confessario, cui est ignotus, aperiret, et postea ad ordinarium rediret confessarium, nihil de præfato dicens peccato. Hoc enim receptum est in praxi tum fidelium tum confessariorum.

II. De eo qui mentitur in confessione. — 1° Qui mentitur in confessione, peccatum mortale aut circumstantiam mutantem speciem vel etiam notabiliter aggravantem, et non rite confessum negando, mortaliter peccat : patet ex dictis de præcepto omnia confitendi peccata. Qui autem negaret peccatum jam rite confessum et remissum, aliquando mortaliter peccaret, si nempe confessarius illum interrogaret ut de consuetudine peccandi, de vocatione, etc., judicaret; aliquando vero, juxta multos, venialiter tantum peccaret, si videlicet confessarius notione hujus peccati opus non haberet, quia tunc claves Ecclesiæ graviter non offenduntur. 2° Qui mentitur negando peccatum veniale, probabilius mortaliter ordinarie non peccat, quia gravis non fit injuria sacramento. Ita *de Lugo*, *Layman*, Sylvius, P. *Antoine*, *Billuart*, S. Ligorius, etc., contra plures alios. 3° Qui mentitur confitendo peccatum mortale quod non admisit, mortaliter peccat, propter injurian sacramento illatam, nisi intentione forsan excusetur. 4° Si veniale tantum sibi imponeret, communius dicunt theologi illum solummodo venialiter peccaturum, nisi, ait Sylvius et cæteri post ipsum, falsum hoc peccatum tota esset materia sacramenti : tunc quippe sacramentum voluntarie faceret nullum, quod semper grave est peccatum. 5° Mentiri in confessione circa res ad sacramentum non pertinentes, est peccatum grave aut leve, prout materia est gravis aut levis, juxta regulas quæ in Tractatu *de Decalogo* traduntur.

Attamen mendacium intra confessionem factum, cæteris paribus, est gravius, quia malitiam induit sacrilegii, et idcirco, etiam ubi veniale est, suspectæ nobis videntur confessiones ejus qui deliberate sic mentitur.

SECTIO SECUNDA. — *De causis excusantibus ab integritate confessionis.*

Causæ excusantes ab integritate confessionis suboriri possunt vel ex parte pœnitentis aut confessarii qui impotentia physica aut morali ab ista integritate excusantur; vel ex causa alterius tertii; vel ex parte modi quo fit confessio.

I. CAUSÆ EXCUSANTES AB INTEGRITATE CONFESSIONIS EX PARTE PŒNITENTIS ET CONFESSARII. — Explicatur in sequenti propositione quomodo pœnitens excusatur ab integritate confessionis ob impotentiam physicam aut moralem qua laborat ipse aut confessarius.

PROPOSITIO.

Impotentia, tum physica, tum moralis, ab integritate confessionis excusat.

Prob. Juxta omnes, confessio in re non necessaria est ad justificationem, ex institutione Christi, necessitate medii, sed necessitate præcepti : istud autem præceptum sapienter fuit institutum, et contrarium sentire impium foret; at sapienter non fuisset institutum, si cum impotentia, sive physica, sive morali, obligaret, quia tunc onus intolerabile foret : ergo.

Hinc 1° impotentia physica ab integritate confessionis excusantur : — a) qui ex ignorantia inculpabili, aut venialiter tantum culpabili, peccata mortalia obliviscuntur; qui meminit se aliquod grave peccatum admisisse, speciem non recordans, simpliciter dicere potest se mortaliter peccasse. — b) Surdus-mutus et linguæ ignarus, si, deficiente idoneo sacerdote, integre confiteri nequeat, satisfaciet ostendendo signis vel nutibus ea quæ poterit sic

exprimere peccata : si scribere possit, et periculum revelationis non timeat, integre confiteri tenetur. Id autem facere per interpretem ordinarie non obligatur, quia sola confessio secreta a Christo fuit præscripta : attamen si in periculo mortis constitueretur et aliter confiteri non posset, tutius ipsi foret ministerio interpretis uti ; si tunc aliquis forte inveniretur modus quo interpres peccatum moribundi non intelligeret, certe eligendus esset ; v. g., conveniri posset quod interpres pœnitentem interrogaret, dum ille manum sacerdotis sub stragulis positam stringeret ad affirmandum, vel relinqueret ad negandum. — c) Moribundus, si inter confitendum deficiat, in phrenesim incidat, aut aliter confessionem inchoatam perficere non possit, nihilominus absolvendus erit, ut fusius infra dicemus.

Hinc 2° impotentia moralis ab integritate confessionis excusat, si grave damnum spirituale aut temporale immineat ipsi pœnitenti, confessario aut alteri tertio. — a) Ipsi pœnitenti, ut si rationabiliter timeat ne ex diuturno examine nascantur motus carnales quibus consentiat, aut si nimis sit scrupulosus in explicandis peccatis, et confessio illi fiat odiosa, tunc confessarius, ubi prudenter judicat id expedire, jubere potest ut interrogationibus suis tantum respondeat. Pariter non requiritur integritas materialis, si infamia timenda sit, v. g., quando moribundus sanctum viaticum, infans primam communionem susceperturus, declaret se peccatum aliquod mortale celasse : item ordinandus ad suscipiendos Ordines jam paratus. — b) Confessario, v. g., si ob morbum contagiosum periculum sit ne, integram confessionem audiendo, peste inficiatur, tunc, uno vel altero audito peccato, moribundum absolvere potest. Caveat tamen ne sibi nimis consulens, officio charitatis erga miserum peccatorem in tali extremitate constitutum desit. Item confessionem abrumpere et pœnitentem statim absolvere potest, si hostis illum insequatur, si naufragium aut incendium immineat. — c) Alteri tertio, ut si confessarius peccatum suum declarare non possit quin sigillum confessionis lædat : tunc id unum

celare potest quod periculum revelationis constitueret. Unde dicere deberet se mortaliter peccasse, vel contra talem aut talem virtutem deliquisse, si speciem absque periculo declarare posset.

Notandum est peccata ob impotentiam moralem reticeri non posse, nisi damnum quod timetur sit grave et certum aut admodum probabile ; vel nisi adiri non possit, sine gravi incommodo, alter confessarius cui integra confessio fieri valeat; vel nisi confessio commode differri nequeat. Peccatum autem justa de causa omissum, in sequenti confessione declarandum est, ut satisfiat præcepto integre confitendi, et hæc confessio non multum differenda est, si adsit confessarius cui absque notabili incommodo fieri possit, ut infra dicemus.

Quidam olim arbitrati sunt magnum populi concursum in nonnullis solemnitatibus esse rationem ab integritate confessionis sufficienter excusantem. Verum Innocentius XI hanc proscripsit opinionem damnando sequentem propositionem : « Licet sacramentaliter absolvere » dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus » pœnitentium, qualis, v. g., potest contingere in die » magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ. »

II. Causæ excusantes ab integritate ex parte alterius tertii petitæ. — *Quæritur* 1° an pœnitens qui proprium crimen confessario aperire non potest quin complicem ei manifestet, ab integritate confessionis excusetur.

R. 1° Certum est a revelatione peccati complicis, quantum commode fieri potest, abstinendum esse; — a) quia propria et non aliena peccata sunt objectum sacramentalis confessionis; — b) quia detractio facta sine justa causa, pejor est in confessione quam extra confessionem, ratione sacramenti cui fit injuria. Unde graviter increpandi sunt pœnitentes qui inter confitendum peccata aliorum narrant, detrimento illorum se excusant, vel complices sine ratione sufficienti nominant.

R. 2° Attamen, qui confessarium cui complex sit ignotus commode adire non potest, et proprium peccatum sine manifestatione complicis aperire nequit, ab integritate

confessionis non excusatur. — a) Nam infamatio non est gravis respectu complicis, cum revelatio soli fiat confessario qui strictissimo tenetur secreto, et hac cognitione nullo modo uti potest. — b) Sufficiens datur causa hanc infamationem faciendi, scilicet integritas confessionis : illa quippe infamatio fieri posset ad petendum consilium : ergo et ad satisfaciendum præcepto divino. — c) Complex, peccatum proponendo vel ei consentiendo, tali diffamationi consensisse censetur; præsumere enim debuit, saltem communiter, socium peccatum hoc confessurum eumque confessario manifestaturum esse. Ergo. Ita S. Bernardus, S. Thomas, et post ipsos nunc communissime theologi. Id tamen non liceret ordinarie ad manifestandum peccatum veniale aut mortale rite confessum, quia sufficiens non adesset ratio grave crimen alterius revelandi; sic S. Ligorius, l. VI, n. 489, et plures apud ipsum.

Diximus *qui confessarium cui ignotus sit complex commode adire non potest;* omnes enim fatentur pœnitentem qui alienum confessarium commode adire posset, non excusari si complicem confessario suo manifestet; ratio patet. Simul omnes docent eum sub gravi incommodo non teneri alienum exquirere confessarium, admittuntque sequentes excusationes, scilicet : — a) periculum mortis vel præceptum urgens annuæ confessionis aut communionis; — b) timor infamiæ ob Missæ vel communionis omissionem; — c) desiderium e statu peccati mortalis sub brevi tempore emergendi; — d) notabilis difficultas conscientiam alteri quam confessario ordinario aperiendi; — e) metus ne mutatio confessarii quamdam suspicionem inducat; — f) necessitas vel magna utilitas percipiendi consolationem a pio vel docto confessario, quæ ab alio non speratur, etc.

Notandum tamen 1° graviorem requiri causam pro gravitate criminis alterius manifestandi; sic major necessaria est causa ad manifestandum sororis incestum quam tactus minus impudicos.

Notandum 2° levissimam excusare causam, si complex debeat ipse peccatum eidem confessario aperire.

Notandum est 3°, in frequenter contingentibus, v. g., ubi de peccatis inter conjugatos vel inter alias personas vicinas, affines, consanguineas, præsertim sub eodem tecto manentes agitur, pœnitentes solitos esse complices statim indicare, nec arbitramur eos a tali consuetudine avertendos aut ad extraneos confessarios remittendos esse, alioquin parochiani alienis sacerdotibus fere semper confiteri tenerentur; quod sane gravissima generaret incommoda et a mente Ecclesiæ prorsus foret alienum.

Quæritur 2° an sit obligatio confitendi peccatum quod declarari nequit sine infamatione alterius qui non fuit complex, sed occasio peccati : v. g., si quis occiderit sororem suam ex crimine gravidam, vel de patre suo detraxerit dicens eum adulterium commisisse.

R. Periculum manifestandi alterum qui non fuit complex, sed objectum peccati, ab integritate confessionis probabilius non excusat. Nam confessio fuit instituta ut per modum judicii exerceretur : sed in judiciis humanis peccatum alterius non complicis licite manifestatur; ergo et in confessione; aliunde non gravis est infamia, et notabilis est causa eam permittendi. Ergo. *Ita valde communiter theologi* contra *Suarez*. Sed observandum est graviorem exigi causam ut pœnitens a requirendo alieno confessario excusetur, quam si de complice ageretur.

Quæritur 3° an pœnitens possit crimen complicis aut alterius confessario manifestare si integritas confessionis id non requirat.

R. Juxta communem sententiam, licet, ob legitimam causam ab integritate confessionis diversam, crimen alterius confessario manifestare, nempe ob utilitatem pœnitentis, vel alicujus tertii, vel societatis, quia sanæ rationi consentaneum est magnum procurare bonum cum levi detractione. Magna tamen utendum est prudentia, præsertim si confessarius, ex licentia pœnitentis, extra confessionem agere debeat, ne secretum confessionis in suspicionem veniat.

Quæritur 4° an liceat confessario exquirere nomen complicis vel alterius rei.

R. Confessores generatim nomen complicis exquirere non debent, et multo minus illius manifestationem, sub denegatione absolutionis, exigere sub quolibet prætextu, v. g., ut eum moneant, in eum invigilent, eum a peccato retrahant; hoc enim graviter charitati adversaretur et odiosum redderet sacramentum. Ita fuse docet Bened. XIV, in celebri opere, de Synodo diœcesana, l. VI, cap. 11 et tres edidit Constitutiones Apostolicas, unam diei 7 julii 1745, ad archiepiscopos et episcopos regnorum Portugaliæ et Algarbiorum directam, alteram diei 2 junii 1746, in confirmationem prioris, et tertiam diei 28 septembris ejusdem anni, qua duæ præcedentes ad universam extendentur Ecclesiam.

Notandum tamen 1° confessarium, quamvis nomen complicis exquirere prohibeatur, pœnitentem interrogare teneri de circumstantiis ad integritatem confessionis pertinentibus, et pœnitentem eas declarare debere; v. g., an peccaverit cum affine, an cum consanguineo, et probabilius quo in gradu, saltem si de proximis agatur.

Notandum 2° confessarium aliquando revelationem complicis aut tertii præscribere posse et debere, si nempe bonum notabile id expostulet, quia procurare debet ut pœnitens suo satisfaciat officio; v. g., si servus depravatus pueros vel puellas, vel quemquam ex illis, in familia quæ eum suscepit, ad malum inducat, confessarius injungere potest, et aliquando injungere debet ut pœnitens illud monstrum patri aut matri familiæ denuntiet, etc.

Raro continget ut confessarius obligare debeat aut possit pœnitentem ad sibimetipsi manifestandum complicem aut alium; id certe non faciat nisi agatur de gravi malo quod præcaveri non possit neque per pœnitentem, neque per alium, et quod ipse confessarius præcavendi spem habeat fundatam : in hoc etiam casu maxima opus erit cautione.

III. Causæ excusantes ab integritate ex parte modi confitendi. — *Quæritur* 1° an confessio sacramentalis scripto fieri possit vel etiam aliquando debeat.

R. Sola attenta sacramenti natura, non requiritur ut confessio sit oralis; nam peccata aliter quam per verba confessario innotescere possunt, scilicet per scriptum, nutus aliave signa : attamen usus et praxis Ecclesiæ confessionem oralem determinavit atque sub gravi præscripsit : qui ergo, extra legitimam causam, ab ea praxi recederet, mortaliter peccaret, et ideo defectu dispositionis requisitæ, valide absolvi non posset.

Si autem justa subsit causa, ut impotentia physica vel moralis, confessio sacramentaliter fieri potest scripto, nutu vel altero signo : sic, qui gravem habet difficultatem loquendi, peccata scribere potest, eaque confessario hac via manifestare.

Nutibus vel scripto confiteri possunt surdi-muti recte instituti; nullum est dubium quin præceptum, tum divinum, tum ecclesiasticum, eos obstringat, modo peccata sufficienter exprimere valeant, et probabile non sit periculum revelationis. Constat ex dictis confessionem occultorum essentialiter esse secretam, ac proinde neminem, si casus mortis excipiatur, in quo omne dubium, si fieri possit, amovendum est, ad confessionem per interpretem aut cum probabili periculo revelationis teneri. An vero teneantur confiteri scripto, si aliter facere non possint, non conveniunt auctores : quidam negant, asserentes quoddam periculum revelationis semper existere : at cæteri, persuasum habentes tale periculum tolli posse, affirmant, hocque nobis probabilius videtur.

Quæritur 2° an confessio sacramentalis confessario absenti per litteras fieri possit.

R. Si sola attendatur scriptura, rationabili de causa adhibita, id repugnare non videtur; etenim quid impediret ne peccata per litteras sufficienter aperirentur, dolor requisitus manifestaretur, et sententia absolutionis impertiretur? Sic matrimonium inter absentes per procuratores valide initur. Ergo.

Verum traditione constat sacramentum Pœnitentiæ a Christo ita fuisse institutum, ut inter absentes valide administrari non possit; si enim per litteras aut nuntium

valide administrari posset, aliquod vestigium hujusmodi administrationis in decursu Historiæ ecclesiasticæ repereriretur : atqui nullum istiusmodi vestigium reperitur; imo contrarium diversis testimoniis adstruitur : unde conc. Trid., sess. 14, cap. 2, declarat Christum voluisse omnes aliquo crimine inquinatos, *ante hoc tribunal tanquam reos sisti*, quod præsentiam personalem supponit; et idcirco Clemens VIII, per Constitutionem diei 20 junii anni 1602, sequentem propositionem proscripsit, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam : « Licet per » litteras seu internuntium confessario absenti peccata » sacramentaliter confiteri, et ab eodem absenti absolu- » tionem obtinere. » Cum illa propositio generaliter et pro omni casu damnata sit, sequitur absolutionem per epistolam concessam non tantum illicitam, sed invalidam esse; Curs. compl., t. XXII, col. 553 et 554.

Quædam tamen citantur facta absolutionis per litteras concessæ; sed tunc de absolutione censurarum, non vero de absolutione sacramentali agebatur : sic Alexander III S. Thomam Cantuariensem episcopum a præsumptis censuris absolvit, eum pro peccatis ad sacerdotem discretum et providum remittens.

Quæritur 3° an qui timet ne peccatum mortale e memoria excidat, illud scribere teneatur.

R. Certum est eum qui scribere nescit aut impeditus est, non teneri ministerio alterius uti ad scribendum peccatum, quia tunc fieret revelatio ad quam obligari non potest. Nec illud propria manu scribere tenetur, juxta probabiliorem sententiam, propter periculum ne scriptum alienis oculis subjiciatur, et quia nemo tantam diligentiam ad procurandam integritatem materialem adhibere tenetur. Ita *Billuart*, et plurimi apud ipsum contra *Vasquez*.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SATISFACTIONE.

Quid satisfactio. — *Satisfactio* generatim est solutio debiti; prout hic specialiter sumitur, *est solutio debiti ex peccato erga Deum contracti*. Alia est divina, qua scilicet Christus, Deus et homo, pro nobis effusione sanguinis satisfecit : alia vero est humana, cujus valor ex satisfactione Christi derivatur, juxta hæc concilii Trid. verba, sess. 14, cap. 8 : « In quo vivimus, in quo meremur, in » quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœniten- » tiæ. »

De satisfactione Christi hic directe non agitur, bene vero de sola satisfactione humana, quæ definiri potest : *Voluntaria pœnæ toleratio, ad compensadum injuriam Deo per peccatum illatam.* Si a confessario in ordine ad sacramentum injungatur et voluntarie acceptetur, dicitur sacramentalis, et tunc vel sacramentum antecedit et ad illud disponit, ac solum de congruo est meritoria; vel sacramentum sequitur, et gratiam sacramentalem supponens, meritoria est de condigno.

Necessitatem satisfactionis humanæ prorsus negant Lutherani ac Calvinistæ et generatim Protestantes, rati eam satisfactioni Christi derogare et injuriosam esse, contenduntque, remissa culpa, nullam superesse pœnam in hac aut in altera vita luendam; unde tollunt purgatorium, indulgentias et suffragia pro mortuis, et laborosia pœnitentiæ opera non admittunt nisi ad exemplum, ad reparandum scandalum et ad comprobandos mores.

Nobis igitur agendum est 1° de necessitate satisfactionis; 2° de impositione illius satisfactionis sacramentalis quæ vulgo dicitur *pœnitentia;* 3° de obligatione ex parte pœnitentis hanc satisfactionem accipiendi et adimplendi.

§ I. — De necessitate satisfactionis.

Hic statuendum est 1° remissa culpa, non semper omnem remitti pœnam; 2° pœnam remisso peccato superstitem, pœnitentiæ operibus deleri posse; 3° hominem pro illa pœna satisfacere teneri : quod per sequentes propositiones ostensuri sumus.

PROPOSITIO PRIMA.

Remissa culpa, non semper remittitur, sed ordinarie remanet pœna temporalis luenda.

Prob. Hæc propositio est de fide, probatur Scriptura sacra, sanctorum Patrum testimoniis et rationibus theologicis.

Est de fide, utpote definita in concil. Trid., sess. 14, can. 12 : « Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa » remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium » non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Chri» stum pro eis satisfecisse; anathema sit. »

Probatur 1° *Scriptura sacra.* — a) Adamus peccati sui remissionem obtinuit, ex libro Sapientiæ, x, 2; attamen, juxta comminationem Dei, in vindictam delicti sui mortuus est.— b) Cum populus Israeliticus adversus Moysen et Aaron murmurasset in deserto, iratus Dominus declarat se gravissima ei inflicturum mala : Moyses suppliciter orat, et ait Dominus, Num. xiv, 20 : *Dimisi juxta verbum tuum*, et tamen pronuntiat omnes in ultionem delicti, exceptis Caleb et Josue, morituros esse in deserto. — c) Moyses et Aaron Deum quadam diffidentia offenderunt ad petram Contradictionis, bis silicem percutiendo : igitur honore populum sanctum in terram Chanaan introducendi privati sunt; Num. xx, 12. — d) David duplex et enorme admiserat peccatum, adulterium scilicet et homicidium; dolore tactus, dixit: *Peccavi Domino.* Respondit

ei Propheta, II Reg. XII, 13 : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed addidit; *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur.* Non autem ad incitamentum virtutis aut ad monitionem delicti in posterum vitandi hæ aliæque pœnæ supra relatæ infliguntur, ut immerito ait Calvinus, cum expresse dicatur eas in ultionem præteritorum delictorum inferri. Ergo.

Prob. 2° *SS. Patrum testimoniis.* S. Aug. Enarrat. in Psal. L, n. 11 : « Impunita peccata etiam eorum quibus » ignoscis, non reliquisti... ignoscis confitenti, sed seip- » sum punienti. » S. Greg. Magnus, lib. II Moralium, cap. 34 : « Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia » delictum sine ultione non deserit : aut enim hoc homo » in se pœnitens punit, aut Deus hoc cum homine vindi- » cans, erudit... Sic David post confessionem audire me- » ruit : *Dominus transtulit peccatum tuum;* et tamen » multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ » quam perpetraverat exsolvit. » Fere omnes sancti Patres eodem sensu locuti sunt, ut ipse agnoscit Calvinus, dicens, Inst. l. III, cap. 4, n. 38 : « Omnes fere quorum » libri exstant, aut in hac parte lapsos esse, aut nimis » aspere et dure locutos. » Ergo.

3° *Rationibus theologicis.* — a) Semper in Ecclesia Dei persuasum fuit existere purgatorium, *ut infra monstrabimus,* et pro mortuis orandum esse : at utrumque dogma evidenter supponit pœnam temporalem culpæ remissæ ordinarie superesse. — b) Constat Historia ecclesiastica et plurimis conciliorum canonibus, ut Nicæni I, can. 12; Carthag. IV, can. 78; Arausicani I, can. 4, pœnas satisfactorias pœnitentibus semper impositas fuisse post absolutionem faciendas aut continuandas. Ergo.

Dicimus autem pœnam temporalem *ordinarie* superesse, quia non negamus contritionem charitate perfectam adeo nonnunquam posse vehementem esse, ut cum reatu culpæ omnem deleat pœnam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Deus testatur in Scripturis se *iniquitatem impii ad justitiam conversi non recordaturum*, Ezech. XVIII, 22; dicit Isaias illum *peccata post tergum projecturum*, etc. At si, dimissa culpa, adhuc remaneret pœna temporalis luenda, Deus iniquitatem recordaretur, peccata post tergum non projiceret. Ergo.

R. Distinguo ant. Deus testatur, etc.; vel quando plena est justificatio, etiam quoad pœnam temporalem, per contritionem charitate perfectam et vehementem, vel quia remissa pœna æterna cum culpa, pro nihilo reputanda est pœna temporalis, *concedo;* secus, *nego ant.* Etenim quandoque accidit, ut notavimus, omnem pœnam simul cum culpa remitti, et tunc nulla est recordatio iniquitatis apud Deum, et aliundo adeo levis est pœna temporalis respectu æternæ, ut recte dici queat Deum iniquitatis non recordari. Ergo.

Inst. 1° Deus *gratis nos justificat*, Rom. III, 24 : atqui nos gratis non justificaret, si pœnam a nobis exigeret : ergo.

R. Nego min. Ille enim gratis nos justificat, qui per gratiam suam, et sine ullo ex parte nostra merito, pœnam æternam cum culpa remittit, et insuper gratis nobis donat unde pro pœna temporali satisfacere valeamus : atqui ita se gerit Christus erga nos : ergo.

Inst. 2° Deus non dimidiate, sed perfecte condonat : ergo post condonationem, nullam pœnam exigere potest.

R. Nego conseq. Deus quippe non dimidiate condonat quoad pœnæ æternæ remissionem et gratiæ sanctificantis restitutionem; peccator enim ex inimico ejus fit amicus; at non sequitur nullam ordinarie remanere pœnam in hac vel in altera vita luendam. Deus quidem statuere potuisset ut in Pœnitentia sicut in Baptismate omnis pœna simul cum culpa semper remitteretur : sed non ita fecit, quia ratio divinæ justitiæ exigere videbatur, ut

qui ante Baptismum per ignorantiam peccaverant, et qui post Baptismum « templum Dei violare et Spiritum sanc- » tum contristare non formidaverint, » concil. Trident. sess. 14, cap. 8, non eodem modo in gratiam reciperentur. Ergo.

Inst. 3° Peccata comparantur debitis : atqui debita non perfecte condonarentur, si quid adhuc a debitore exigeretur : ergo.

R. Dist. min. Debita non perfecte condonarentur, si quid proportionatum debitis vel aliqua pars debiti exigeretur, *concedo;* si vero quod exigitur nullam habeat proportionem cum debito, et respectu illius nullius sit valoris, *nego min.* Porro pœna temporalis quæ a peccatore exigitur, nullius est valoris respectu pœnæ æternæ : ergo.

Inst. 4° Quotidie dicimus in Oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* at nihil exigere possumus ab iis quibus sua dimisimus debita; ergo *a pari,* etc.

R. 1° *Nego min.* Ibi namque de offensis agitur, non de justitiæ commutativæ debitis; atqui certe non repugnat offensos nolle remittere offensam, nisi sub conditione alicujus compensationis : ergo.

R. 2° *Nego conseq.* Inde enim sequeretur ad summum nos plenam remissionem pœnæ a Deo precari posse, dum ipse jubere posset ut debitoribus nostris perfecte condonaremus, et simul pœnam temporalem a nobis exigere; etenim vices ejus et vices nostræ non æquiparari debent. Ergo.

Obj. 2° Christus superabunde pro peccatis nostris etiam quoad pœnam satisfecit : ergo nihil relinquitur a nobis solvendum.

R. Dist. ant. Christus superabunde satisfecit quoad pretium, *conc.;* quoad applicationem, *nego ant.* Etenim nullum est dubium quin Christus ultra modum satisfecerit quoad pretium, *pro peccatis nostris et pro totius mundi :* verum in sua sapientia statuit ut ipsius satisfactiones sub aliquibus tantum conditionibus applicarentur;

inter illas autem conditiones voluit ut, etiam dimissa culpa, quædam ordinarie exsolveretur pœna : unde B. Paulus, licet de superabundantia satisfactionem Christi ratus, aiebat : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Colos. I, 24.

PROPOSITIO SECUNDA.

Homo pœnam temporalem peccato remisso debitam operibus satisfactoriis redimere potest.

Prob. Hæc propositio admittenda est quæ est de fide, et insuper probatur ex Scriptura sacra et ex SS. Patribus : atqui talis est præsens nostra propositio.

Est de fide : sic enim definita fuit in conc. Trid., sess. 14, can. 13 : « Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam » temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri » pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacer- » dote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, » orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operi- » bus...; anathema sit. »

Probatur 1° *ex Scriptura sacra.* Jer. XVIII, 7 : *Repente loquar adversum gentem, et adversus regnum, ut erudicem, et destruam; et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Sic propheta alloquitur Nabuchodonosor, Dan. IV, 24 : *Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Unde sic : Malum a Deo intentum pœnitentia averti potest, et iniquitates operibus misericordiæ redimi possunt : porro talis compensatio talisque redemptio vera est satisfactio. Si autem de peccatis nondum remissis hic agatur, *a fortiori* pœna temporalis remisso peccato debita redimi vel compensari potest. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* Tertull., lib. de Pœnitentia, cap. 6 : « Quam porro ineptum, quam iniquum pœniten- » tiam non adimplere et veniam delictorum sustinere!

» hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum » emittere. »

S. Cyprian., lib. de Lapsis : « Confiteantur singuli... » dum satisfactio apud Dominum grata est. »

S. Ambrosius, in Lucam, l. IV, cap. 12 : « Sicut qui » pecuniam solvunt, debitum reddunt....., sic compen- » satione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfac- » tione quacumque, peccati pœna dissolvitur. » Porro hæc testimonia de satisfactione evidenter intelliguntur. Ergo.

Quæritur an homo pro pœna temporali de condigno satisfacere possit.

R. Certum est hominem in statu peccati mortalis constitutum, de condigno satisfacere non posse, nullius quippe meriti proprie dicti capax est coram Deo. Sed homo justificatus satisfacere potest de condigno : enim vero concilia et sancti Patres eodem modo loquuntur de satisfactione pro pœna temporali ac de merito vitæ æternæ : atqui homo justificatus vitam æternam de condigno mereri potest : ergo et remissionem pœnæ. Unde summi pontifices Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII sequentem propositionem Baii, n. 77, condemnarunt : « Satisfactiones laboriosæ » justificatorum non valent expiare de condigno pœnam » temporalem restantem post culpam condonatam. » Curs. compl. t. VI, col. 674.

Ut opus sit satisfactorium quædam requiruntur conditiones, nempe : 1° ex parte hominis, ut sit in statu gratiæ; id constat ex concil. Trid., sess. 14, cap. 8 : « Omnis » gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo » meremur, in quo satisfacimus. » Constat etiam ratione quæ satis aperte dicit hominem Dei inimicum jus proprie dictum erga ipsum acquirere non posse.

Recte tamen notant auctores opera in statu peccati mortalis patrata non esse quidem satisfactoria de condigno, sed aliquatenus de congruo : hoc enim supponit praxis confessariorum satisfactiones ante absolutionem adimplendas injungentium, et ipsius Ecclesiæ olim gravissimas præscribentis satisfactiones etiam publicas, quibus

adstringebantur pœnitentes antequam reconciliarentur.

2° Ex parte operis requiritur : — a) ut sit liberum, saltem aliquo modo, quia debet esse actus virtutis; — b) ut sit bonum; hoc per se patet; — c) ut sit supernaturale ratione tum principii, tum motivi; alioquin fini suo non esset proportionatum; — d) ut sit pœnale, un infra explicaturi sumus.

3° Ex parte Dei requiritur promissio remissionis pœnæ et acceptatio operis; nam quælibet opera nostra debitis nostris non sunt proportionata, et aliunde Deus ea exigere potuisset aliis titulis. Sed constat ex dictis Deum sic erga nos misericorditer egisse.

PROPOSITIO TERTIA.

Homo pro pœna temporali satisfacere tenetur.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Joel. II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu :* Matth. III, 8, et Luc. III, 8 : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ;* Act. XXVI, 20 : *Et gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes;* Luc, XIII, 5 : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* ait Christus : fructus autem pœnitentiæ, opera pœnitentiæ et pœnitentia simpliciter, in consueto loquendi modo Scripturæ, sunt opera satisfactoria. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus,* videlicet ex textibus jam a nobis allatis, et insuper S. Cyp. de Lapsis : « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus : alto vulneri » diligens et longa medicina non desit; pœnitentia crimine non minor sit... Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis et fletibus noctes » ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere, in cinere, et cilicio, et » sordibus volutari... »

S. Aug., Sermone 351 : « Non sufficit mores in melius

» commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his » quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, » per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrifi- » cium, cooperantibus eleemosynis. » Nihil clarius desiderari potest. Ergo.

Prob. 3° *usu et praxi Ecclesiæ.* Semper et ubique usus fuit in Ecclesia ut peccatores a vinculo delictorum non absolverentur, nisi præcessisset aut saltem subsecutura esset congrua satisfactio : factum istud adstruunt Canones pœnitentiales, libri rituales et tota Historia ecclesiastica. Ergo.

Hæc autem, cum generalia sint, et de peccatis in genere pronuntiata, ad pœnam pro reparando scandalo peccatorum publicorum injunctam vel injungendam restringi non debent.

Emolumenta satisfactionis sic describit conc. Trid., sess. 14, cap. 8 : « Procul dubio enim magnopere a pec- » cato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ sa- » tisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futu- » rum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum » reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, » contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero se- » curior ulla via in Ecclesia Dei unquam æstimata fuit ad » amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut » hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore » frequentent. Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo » patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis » nostris satisfecit, ex quo omnis sufficientia nostra est, » conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham » habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. » Neque vero ita nostra est satisfactio hæc quam pro pec- » catis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Je- » sum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil pos- » sumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possu- » mus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis » gloratio nostra in Christo est. »

§ II. — De impositione satisfactionis sacramentalis.

Hic inquirendum est 1° an confessarius teneatur aliquam imponere pœnitentiam; 2° qualem et quantam imponere debeat; 3° quænam opera nunc possit injungere; 4° an et quo modo possit commutare pœnitentiam a se vel ab alio impositam.

SECTIO PRIMA. — *An confessarius teneatur aliquam imponere pœnitentiam.*

PROPOSITIO.

Confessarius satisfactionem seu pœnitentiam peccatis proportionatam regulariter imponere tenetur.

Prob. 1° *praxi Ecclesiæ* quæ semper jussit ut peccatores sine convenienti pœnitentia ipsis injuncta non reconciliarentur. Innumera citari possent testimonia et Patrum et conciliorum. Ergo.

Prob. 2° *conc. Trid.* sess. 14, cap. 8: « Debent ergo » sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia sug» gesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium fa» cultate, salutares et convenientes satisfactiones injun» gere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius » cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro » gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum » participes efficiantur. » Ergo.

Prob. 3° *ratione theologica.* Satisfactio est pars sacramenti integralis, ut idem conc. Trid. docet, cap. 3 ejusdem sessionis : at confessarius tenetur sub gravi procurare ut sacramentum non sit mutilum : ergo.

Quoniam, ex dictis, satisfactio in re non est de essentia sacramenti, sed tantum ad illius integritatem pertinet, inde sequitur illam esse necessariam duntaxat necessitate præcepti, a quo igitur gravis causa eximere potest. Propterea diximus in propositione, *regulariter tenetur;*

fieri ergo potest ut levissima vel nulla injungenda sit pœnitentia, v. g., moribundo cui sufficit præscribere aliquos actus fidei, spei, charitatis, contritionis, breves quasdam orationes, prolationem SS. nominum Jesu et Mariæ, etc. Si mors statim non immineat, aliquid gravius, secundum prudentiam, injungi potest ægroto per ipsum aut per alium faciendum, ut eleemosyna; et si detur spes recuperandæ sanitatis, conveniens injungenda est pœnitentia conditionata, post morbum implenda.

Quæritur an confessarius teneatur sub gravi injungere pœnitentiam pro venialibus aut gravibus jam remissis, supposito quod absolutionem concedat.

R. Quidam cum cardinali *de Lugo* docent nullam injungere pœnitentiam in his casibus esse duntaxat peccatum veniale : quia levis est injuria sacramenti; quia etiam non major est obligatio satisfactionem imponendi quam eam implendi : at ubi levis est pœnitentia, levis est obligatio eam implendi : ergo et eam injungendi. Verum alii communius tenent sacerdotem mortaliter peccare, nisi ex inadvertentia excusetur; nam mutilatio voluntaria sacramenti grave est objectum. Unde dicunt pœnitentem teneri sub gravi habere propositum, dum absolvitur, pœnitentiam sibi injunctam vel injungendam adimplendi, sicque ruit ratio allata a card. *de Lugo*. Ita *Suarez*, *Collet*, *Antoine*, *Billuart*, de Pœnit., etc.

SECTIO SECUNDA. — *Qualem et quantam pœnitentiam imponere debent confessarius.*

I. DE PROPORTIONE REALI SATISFACTIONIS CUM PŒNA TEMPORALI DELENDA. — *Notandum est* 1° pœnam singulis peccatis remissis debitam a Deo taxari, et instanti justificationis determinatam esse; in decretis enim Dei fundatur, et dispositionibus pœnitentis proportionata est; Deus autem hæc omnia noscit.

Notandum est 2° nos ignorare quam proportionem satisfactiones humanæ habeant cum pœna temporali luenda, ac proinde nos nescire quid opera laboriosa in satisfactio-

nem oblata de illa pœna coram Deo deleant; hoc soli Deo notum est.

Notandum est 3° Ecclesiam olim per Canones pœnitentiales determinasse, saltem quoad tempus, quid pro singulis delictis injungendum esset; nec tamen ideo definiisse quantitatem pœnæ peccato debitæ quæ his satisfactionibus deleretur.

II. Enumerantur quidam canones pœnitentiales olim in Ecclesia vigentes.—Varii diversis temporibus conditi sunt canones pœnas injungendas decernentes, quorum alii sunt severiores et alii mitiores. Legi possunt in fine decreti Gratiani, apud Natalem Alexandrum, *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, de Pœnitentia, etc.

1° Qui fidem catholicam deseruerit, pœnitentiam aget decem annis.

2° Qui diabolicas incantationes fecerit, pœnitens erit annos septem.

3° Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque.

4° Si quis clericus vel monachus, postquam Deo se voverit, ad sæculum redierit, pœnitentia aget annos decem, quorum tres in pane et in aqua.

5° Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia.

6° Si quis per capillum Dei aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua et pane septem dies victitet; si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

7° Si quis Deum, vel B. Mariam, vel aliquem sanctorum publice blasphemaverit, præ foribus ecclesiæ diebus dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die, sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus.

8° Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

9° Qui opus aliquod servile die dominico festivove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

10° Si quis ante ecclesias, vel die festo, saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget tribus annis.

11° Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane et aqua.

12° Si quis in ecclesia confabuletur cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

13° Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

14° Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua; qui injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem.

15° Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

16° Si quis sponte hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet. Si casu necaverit, pœnitentiam aget annos septem.

17° Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

18° Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua; clericus, unius anni et mensium sex.

19° Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres.

20° Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque. Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

21° Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

22° Qui incestum fecerit (*non ita enorme*), pœnitens erit duodecim annis.

Alii canones septem, alii decem, alii quindecim annorum pœnitentiam constituunt.

23° Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

24° Si mulier cerussa aliove pigmento se obliniat ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur trium annorum.

Aliis peccatis contra castitatem diversæ assignabuntur pœnitentiæ, pro qualitate criminis.

25° Qui furatus est aliquid de supellectili vel thesauro ecclesiæ, tres quadragesimas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

26° Si furtum de re minori fecerit, re restituta, pœnitentiam aget unum annum.

27° Si quis usuras acceperit vel rapinam fecerit, pœnitebit tribus annis, uno in pane et aqua.

28° Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter, ut homicida.

29° Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

30° Falsarius in pane et aqua pœnitentiam aget quamdiu vivet.

31° Qui de primo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

32° Rem alienam nefarie concupiscens, pœnitens erit annis tribus.

33° Si quis concupiscit fornicari, si episcopus, pœnitens erit annos septem; si presbyter, quinque; si diaconus vel monachus, tres; si clericus aut laicus, annos duos.

Multi alii erant canones pœnitentiales, quorum plurimi perierunt. Quando novum occurrebat peccatum, sive ratione peculiaris malitiæ, sive ratione alicujus circumstantiæ, conveniebant episcopi, ut testatur S. Cyprianus, ad deliberandum quo genere pœnitentiæ expiaretur. Pœnitentia ab eis statuta in libro pœnitentiali inserebatur, ut deinceps regula esset a qua inferiores sacerdotes non recederent. Omnes episcopi diligenter investigabant, tum in sua synodo, tum in visitatione diœcesis, an quilibet presbyter suum haberet librum pœnitentialem diœcesi proprium, et an regulas in eo pro injungendis pœnitentiis statutas fidelissime sequeretur.

Libri pœnitentiales iidem non erant in omnibus pro-

vinciis ecclesiasticis, et inde varietas quæ inter canones nunc exstantes conspicitur.

Certum est hos canones a multis sæculis jam obsoletos esse, et pœnitentias juxta eorum rigorem non esse injungendas, quidquid dicant aut dicere videantur antiquæ severitatis laudatores, ut passim *Fleury*, in sua Historia et sermonibus prævіis. Antiquos canones tamen penitus ignorare non licet, quia si disciplina Ecclesiæ decursu temporum mutata est, spiritus ejus idem semper est.

III. De pœnitentia nunc injungenda. — Constat ex concilio Tridentino supra citato pœnitentiam injungendam nunc relictam esse prudentiæ confessarii, qui, *pro qualitate criminum et facultate pœnitentium, salutares et convenientes satisfactiones injungere* debet. Hæc propositio ulteriori probatione non indiget, sed tantum explicatione.

Dicitur 1° *pro qualitate criminum;* id est habita ratione specierum, numeri et circumstantiarum peccati, ita ut pœnitentia « non sit tantum ad novæ vitæ custo- » diam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præ- » teritorum peccatorum vindictam et castigationem. » Sunt verba sacri Concilii, ibid.

2° *Pro pœnitentium facultate;* idem habet Rituale Romanum. Debet ergo confessarius attendere facultatem, tum spiritualem, tum temporalem pœnitentium, ætatem, sexum, convictum, infirmitatem, etc., quia non omnes eadem possunt.

Hinc : — a) non injungenda sunt jejunia infirmis, pueris, opificibus continuo labore defatigatis; — b) non peregrinationes, longæ preces vel eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis, filiisfamilias aut pauperibus nihil habentibus; — c) non præscribenda sunt opera quæ confessionem pœnitentis revelarent, vel eum ludibrio aliorum exponerent; — d) minor injugi potest satisfactio iis qui singularem exhibent contritionem vel piis operibus vacare solent, quia hæc defectum pœnitentiæ supplent. Non tamen excusaretur confessarius, etiam a gravi culpa, si nullam vel levissimam pro magnis pecca-

tis injungeret pœnitentiam, quia pœnitens ipsi videtur vehementissime contritus, aut indulgentias lucraturus; ita saltem communius theologi, contra Cajetanum, Navar., *Suarez*, etc. — e) Minuenda est pœnitentia si prudenter timeatur ne pœnitens vere conversus, sed adhuc debilis, a vita christiana deterreatur, et in dubio magis sectanda est misericordia quam severitas, quia sacramentum Pœnitentiæ potius est forum indulgentiæ quam *iræ et pœnarum*, ut ait conc. Trid. sess. 14, cap. 8. Unde in Decreto, part. II, causa 26, quæst. 7, can. 12, legitur : « Si erramus modicam pœnitentiam imponen-» tes, nonne melius est propter misericordiam rationem » reddere quam propter crudelitatem? Ubi enim pater-» familias largus est, dispensator non debet esse tenax. » Si Deus benignus, utquid sacerdos ejus austerus? Vis » apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, » circa alienam benignus. »

« Si sacerdos, inquit S. Antoninus, tertia part., tit. 17, » cap. 20, non possit gaudere de omnimoda purgatione » sui pœnitentis, saltem gaudeat quod liberatum a ge-» henna transmittat ad purgatorium. »

Certum est hominem qui pluribus annis in mortalibus peccatis sæpe repetitis provolutus est, nunquam nimiam præstare posse satisfactionem; expedit ergo ut confessarius « talem ei imponat pœnitentiam qualem ab eo præ-» stari posse judicet; proinde aliquando, si ita expedire » viderit, illum interroget an possit, anve dubitet pœni-» tentiam sibi injunctam peragere; alioquin eam muta-» bit aut minuet. » Sunt verba S. Caroli, Instruct. pœnit. (*Act. Eccl. Mediol.*, t. I, p. 433.)

Unde si hujusmodi peccator libenter acceptet pœnitentiam singulis hebdomadis implendam, v. g., jejunium, aut recitationem psalmorum Pœnitentialium per duos aut tres annos, confessarius illam imponere potest, admonens eam esse pœna temporali luenda longe inferiorem; at sæpe minorem injungere tenetur, propter rationes modo expositas, et tunc « demonstrabit, inquit S. Carolus, ibid., his qui gravius peccaverint (quo ma-

» gis scelerum suorum magnitudinem agnoscant), quanta » ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset; » nec vero putent peccata sua levia esse, quia parva illis » pœnitentia data est; sed hoc factum esse, ne eam quæ » pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum » periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes hortandi erunt » ut præter pœnitentiæ imposita opera, plura etiam alia » præstare conentur. »

3° *Salutares*, id est medicinales simul et pœnales, juxta concilii Tridentini mandatum. Igitur optimum erit pœnitentias contrarias peccatis imponere, v. g., eleemosynas avaris, jejunia libidinosis, humilitatis officia superbis, devotionis studia desidiosis : raro autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, consultum erit injungere ut festis solemnibus vel semel in mense vel etiam frequentius confiteantur. Item amatoribus mundi, ejusque pompas, choreas aliaque Satanæ opera sectantibus, injungendum suadet S. Carolus, ut mane surgentes, revocent in memoriam sponsiones in Baptismo factas, quod idem vespere præstare poterunt. Alia hujusmodi remedia pio ac ferventi confessario, meditationibus lectionibusque sanctis assueto, facile occurrunt.

4° *Convenientes*. Non solum enim requiritur ut satisfactiones sint in se salutares, debent insuper esse proportionatæ et convenientes, tum personæ, tum peccatis pro quibus imponuntur, juxta prudentiæ regulas. — a) Hinc publica pro delictis occultis imponi non debet pœnitentia; pro delictis autem publicis et scandalosis, solus episcopus aut ab eo delegatus pœnitentiam solemnem vel extraordinariam imponere potest. At quilibet confessarius eam injungere tenetur satisfactionem quam prudenter æstimat necessariam ad reparandum scandalum, v. g., postulationem veniæ, manifestationem pœnitentiæ, retractationem doctrinæ, verborum, scriptorum contra fidem aut mores, etc. — b) Caveat confessarius ne pœnitentias diversi generis operibus implicatas rudibus vel personis obliviosis imponat, aut aliquid singulis diebus per multum tempus faciendum injungat; necesse est ut simpliciter

loquatur, præceptum a consilio clare distinguat, et aliquid semel, bis aut ter singulis hebdomadis faciendum præscribat, ut si pœnitens una die oblitus fuerit, omissionem altera die reparare possit. — c) Iis qui sæpe in eadem relabuntur peccata, quamdam pœnitentiam imponere juvat pro unoquoque relapsu, v. g., jejunia pro incontinentiis, eleemosynas pro blasphemiis, etc.

Quæritur an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi pro peccatis mortalibus.

R. Quidam negant, dicentes illum esse ministrum Dei, et naturam materiæ per se sub mortali obligantis mutare non posse; alii vero multo communius affirmant, quia confessarius vere est judex, et sententiam ferendo, conditiones absolutionis pro arbitrio determinat. Verum, ut recte notat S. Ligorius, l. VI, n. 518, excepto casu rarissimo ægritudinis aut vehementis contritionis, saltem aliqua satisfactio sub gravi injungenda est. Ergo.

SECTIO TERTIA. — *Quænam opera pro satisfactione injungere possit confessarius.*

I. DE NATURA OPERUM IN SATISFACTIONEM IMPONENDORUM. — Supponimus velut certum opera satisfactoria debere esse pœnalia, quia sic perpetuo exhibentur in Scriptura ac in tota traditione. Et revera, quis risum cohibere posset, audiendo opus sub omni respectu jucundum, v. g., ludum, ciborum delicatorum esum, vini generosi potum in expiationem peccati impositum fuisse? Opus autem duplicem habere potest difficultatem: unam objectivam, seu ex natura ejus provenientem; et alteram subjectivam, id est ex parte hominis illud exsequentis. Sic oratio pœnalis est in se, sed aliis magis, aliis minus operosa ratione dispositionum, tum animi, tum corporis.

Omnis actus virtutis est pœnalis, et ideo in satisfactionem imponi potest; quia eo ipso quod mentem ad cœlestia erigat, homini carnali plus minusve adversatur.

II. DE PRÆCIPUIS OPERIBUS IMPONENDIS. — Concilium

Trid., sess. 6, cap. 14, triplex distinguit genus pœnalium operum ad quæ cætera revocari possunt, scilicet, jejunia, eleemosynas et orationes.

1° Jejunia, ad quæ revocantur omnes carnis afflictationes, ut ipsum jejunium, et etiam aliquando in pane et aqua; — abstinentia a carnibus, vino alioque liquore fermentato, aut illius aqua multa temperati usus; — flagellationes et cilicia; — sanctæ pregrinationes, præsertim pedibus factæ, quamvis *qui multum peregrinantur raro sanctificentur*, ait auctor libri de Imitatione Christi; — vigiliæ, humi vel in lecto duro cubationes; — genuflexiones, brachiorum extensiones, aut alii pœnales situs corporis; — abstinentia a deliciis, conviviis, ludo, venatione, equitatione, vestibus exquisitis, etc.

2° Per eleemosynas, intelligi debent omnia misericordiæ opera, sive corporalia, sive spiritualia, v. g., eruditio ignarorum, visitatio infirmorum, consolatio afflictorum. Si confessarius pœnitentias pecuniarias imponat, caveat ne eas suscipiat erogandas, ne in aliquam suspicionem avaritiæ aut fraudis deveniat, etc.

3° Orationis nomine comprehenduntur recitatio Officii divini, Psalmorum, Rosarii, etc.; — meditatio et oratio mentalis, lectio librorum spiritualium, sive privata, sive coram familia; — examen conscientiæ, sero et mane, renovatio propositi vitæ emendandæ et actus contritionis; — certus numerus actuum fidei, spei, charitatis, humilitatis, contritionis, etc.; — visitatio ecclesiarum, adoratio sanctissimi Sacramenti, quædam exercitia religionis; — frequens sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceptio, auditio Missæ, assistentia concionibus sacris vel catechismis, ingressus in confraternitates, actus vel exercitia pietatis sive erga Dominum nostrum Jesum Christum, sive erga B. Virginem, sive erga sanctos aut aliquem sanctorum, sive etiam bonum opus, v. g., recitationem Rosarii in favorem alicujus personæ.

Cum ex dictis, omnis actus virtutis sit opus satisfac-

torium, inde sequitur opera alias debita esse satisfactoria, quia non desinunt esse actus virtutis, et tunc duplici titulo obstringunt : ea igitur in pœnitentiam injungi possunt, et tunc dignitati sacramenti participant. Hinc confessarius præscribere potest, v. g., fugam alicujus personæ scandalosæ, recessum a cauponibus, abstinentiam a choreis vel comœdiis, jejunium in Quadragesima, auditionem Sacri in die Dominica, etc. Alia tamen, saltem ordinarie, addenda sunt opera indebita.

Item imponi potest patientia in flagellis et tribulationibus hujus vitæ tolerandis, v. g., rusticis, servis, opificibus pia elevatio mentis ad Deum inter labores et defatigationes.

Sæpe etiam juvat imponere hujusmodi pœnitentibus ut per tempus determinatum, mane ante laborem, vespere ante cubitum, die Dominica ante vel post Missam genuflectentes, aliquandiu de morte, judicio Dei et inferno cogitent, peccata præterita detestentur, et innovent consilium potius moriendi quam iterum peccandi.

Quæritur an bona opera pœnitentis, etiam non imposita, per verba confessarii *quidquid boni feceris et mali sustinueris*, ad effectum pœnitentiæ sacramentalis eleventur.

R. Plures negant, quia virtus clavium opera pœnitentis non elevat, nisi in quantum ligat; prædicta autem verba confessarii nullam imponunt obligationem : ergo.

Alii vero multo plures, cum S. Thoma, affirmant, et hac sola ratione nituntur, scilicet, quod Ecclesia frustra non jusserit ut dicta verba proferrentur : ergo in ipsius mente bona opera etiam libere a pœnitente suscepta, ad rationem satisfactionis sacramentalis elevantur, saltem si talis sit intentio confessarii et pœnitentis bona opera facientis, quod ipsi valde utile est, et ideo consulere bonum.

SECTIO QUARTA.—*An et quomodo possit confessarius commutare pœnitentiam a se vel ab alio impositam.*

I. DE MUTATIONE PŒNITENTIÆ FACIENDA A CONFESSARIO QUI PRIMUM EAM IMPOSUIT. — *Notandum est* ante omnia pœnitentem mutare non posse pœnitentiam a confessario impositam etiam in opus longe melius : nam pœnitentia a confessario imposita, auctoritate clavium Ecclesiæ ad rationem sacramenti elevatur, et habet vim pœnam temporalem ex opere operato remittendi : pœnitens autem non potest auctoritate sua vim hujusmodi conferre operi a se determinato quantumvis bono. Ergo.

Confessarius pœnitentiam a se impositam, in ipso tribunali sacro, vel etiam, juxta multos, apud S. Ligorium, l. VI, n. 529, extra tribunal mutare potest, eodem sacramento moraliter durante, v. g., antequam pœnitens discedat, vel si statim redeat, quia hæc mutatio ad idem judicium pertinet : quidam hoc tempus immerito extendunt ad plures dies, vel etiam ad hebdomadam ; S. Ligorius, l. VI, n. 528. Eodem judicio amplius non durante, idem confessarius pœnitentiam mutare non potest, nisi iterata confessione saltem in genere, absolutio concedatur; alioquin nova pœnitentia non esset sacramentalis. Sufficit in eo casu ut pœnitens, si confessarius statum ejus saltem confuse recordetur, dicat : Accuso me de omnibus peccatis quæ jam tibi, Pater, confessus sum. Sed in hoc casu prior confessio remanet absque pœnitentia, et igitur sacramentum ex parte satisfactionis integrum esse non potest.

II. DE MUTATIONE PŒNITENTIÆ FACIENDA A SACERDOTE QUI EAM NON IMPOSUIT. — Quivis sacerdos legitime approbatus mutare potest, ob justam causam, pœnitentiam ab alio impositam : nam sacramentum Pœnitentiæ in bonum animarum a Christo fuit institutum : si ergo satisfactiones injunctæ factæ fuerint irrationales, impossibiles, nimis difficiles, inconvenientes, etc., necesse est ut mutari possint; at priore sacramento non durante, in altero ju-

dicio tantum mutari possunt : porro quilibet sacerdos legitime approbatus in novo judicio sententiam ferre potest : ergo.

In eo autem casu iterandum est sacramentum cum cunctis partibus ejus, scilicet contritione, confessione et absolutione ; alioquin, *ut jam diximus*, nova pœnitentia non esset sacramentalis. Attamen, cum peccata clavibus directe subjecta et vi prioris absolutionis remissa fuerint, sufficit præcipua in secunda confessione declarare, ita ut confessarius statum pœnitentis modo generali noscat, nisi forte pœnitentia mutanda medicinalis fuisset ; tunc namque distincte aperienda esset causa.

Monet P. *Antoine*, aliquid ex priori pœnitentia relinquendum esse, ne prius sacramentum integritate sua careat : subintelligendum est, si nulla pars ante mutationem fuerit impleta.

Diximus *legitime approbatus*, id est, habens jurisdictionem in peccata pro quibus pœnitentia fuerat imposita : unde qui non est approbatus pro reservatis, juxta tutiorem et communiorem sententiam, mutare non posset pœnitentiam pro reservatis impositam.

Non extra dubium nobis videtur quod dicit *Billuart*, de Pœnitent., scilicet pœnitentem, post mutationem pœnitentiæ, ad priorem propria auctoritate redire posse, quia mutatio in ipsius gratiam facta est ; posterior enim pœnitentia est sacramentalis : quomodo ergo sine judicio sacramentali omitti posset ?

§ III. — De obligatione accipiendi et adimplendi pœnitentiam.

Duo præsertin continet hic præsens paragraphus ; primum obligationem accipiendi et adimplendi pœnitentiam a confessario impositam ; dein modum quo adimpleri debet ista obligatio.

I. De obligatione accipiendi pœnitentiam. — Pœnitens tenetur, sub peccato, ex genere suo mortali, acceptare et adimplere pœnitentiam rationalem a confessario

sibi impositam. Id enim constat ex concil. Later. IV, can. 21, ubi dicitur de fideli utriusque sexus, *ut injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere*. Ratio idem innuit : confessarius non solum potest, sed tenetur, sub peccato de genere suo mortali, pœnitentiam sacramentalem imponere : repugnat illum teneri pœnitentiam imponere, si pœnitens non teneatur illam acceptare aut acceptam implere. Præterea pœnitentia est pars ad integritatem sacramenti pertinens : porro non magis licet pœnitenti quam confessario sacramentum reddere mutilum : ergo.

Diximus 1° *sub peccato de genere suo mortali*; quia res gravis est momenti, vel in se, ubi magna imponitur pœnitentia pro magnis peccatis, vel respectu sacramenti, si levis pœnitentia pro levibus delictis, aut pro gravibus jam remissis imponatur : secus esset si, pœnitentia pro majori parte impleta, pars levis omitteretur. Multi etiam dicunt omissionem pœnitentiæ levis, vel pro levibus aut jam remissis impositæ, esse duntaxat peccatum veniale : ita S. Ligorius, l. VI, n. 517, et celebriores theologi apud ipsum.

Diximus 2° *rationabilem*; quia si pœnitentia videatur evidenter injusta, impossibilis aut nimis onerosa, et confessarius humiliter rogatus, eam minuere vel in aliam faciliorem commutare nolit, tunc pœnitens sine gravi et forte sine ulla culpa recedere potest non absolutus, et alium confessarium adire. Sic *Concina*, *Suarez*, *Layman*, S. Ligorius, etc. At qui mortalia confessus est peccata, et levem tantum, sine rationabili causa, vellet pœnitentiam, mortaliter peccaret, sicut confessarius qui in eo casu levem tantum, sine justa causa, injungeret.

Si pœnitentia libere acceptata facta fuerit impossibilis, tunc non obligat : nemo quippe ad impossibile tenetur. Unde qui pœnitentiam oblitus est, eam a confessario requirere debet, si possit ; si vero non possit, aut si confessarius illius non recordetur, ad illam non tenetur, quia facta est impossibilis. Nec peccata iterum confiteri tenetur ut novam accipiat pœnitentiam, quia novum tunc

esset sacramentum, et prius non ideo fieret integrum. Verumtamen id convenientius foret ad remittendam aut minuendam pœnam temporalem peccatis debitam.

Si oblivio fuerit culpabilis, v. g., propter negligentiam in adimplenda pœnitentia, sufficit etiam hoc peccatum in sequenti confessione declarare; tutius tamen reus petet a confessario ut major sibi imponatur pœnitentia. Ita expresse *Billuart*, de Pœnit

Si confessarius, dando absolutionem, omiserit imponere pœnitentiam, pœnitens eam petere debet, morali adhuc existente unione.

Circumstantia pœnitentiæ impositæ, ut v. g., recitare Rosarium flexis genibus, potest esse sub gravi vel sub levi; id pendet a molestia ei annexa, et a voluntate confessarii eam determinantis et præscribentis.

II. De modo quo adimplenda est pœnitentia. — Inquiri potest quomodo impleri debeat pœnitentia, vel quoad tempus quo facienda est; vel quoad dispositiones pœnitentis; vel quoad alterum in ipsius locum substituendum; vel quoad circumstantias a confessario impositas. Hæc solventur per sequentia quæsita.

Quæritur 1° quo tempore implenda sit pœnitentia.

R. 1°. Non necesse est ut ante absolutionem impleatur, idque constat: —a) ex praxi hodierna totius Ecclesiæ;—b) ex condemnatione propositionis sequentis a Sixto IV, anno 1478, quæ est Petri Osmensis: « Non sunt absolvendi » pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia iis injuncta; » — c) ratione; satisfactio enim non est pars essentialis, sed tantum integralis sacramenti: ergo confessarius exigere non debet a pœnitente sufficienter disposito ut pœnitentiam ante absolutionem impleat. Si autem prudenter judicet pœnitentem non esse sufficienter dispositum, pœnitentiam simul medicinalem et pœnalem ei injungat, eumque pro aliquo tempore remittat, ut melius disponatur: pœnitentia quam interea implebit, effectum non habebit ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti, quo, accedente absolutione, perficietur sacramentum. Ita *Dens*.

R. 2°. Si tempus a confessario fuerit determinatum, eo tempore implenda est pœnitentia; et illo effluxo, non liberatur pœnitens, quia non ad finiendam obligationem adjicitur tempus. Si vero tempus non fuerit determinatum, quamprimum moraliter implenda est pœnitentia, et mortale esset peccatum eam diu differre. Ratio quam afferunt auctores est integritas sacramenti, mutili remanentis, donec impleatur satisfactio a confessario injuncta.

Quanta autem requiratur dilatio ut peccatum sit mortale, non conveniunt inter se doctores : communius dicunt dilationem intra octiduum vel etiam usque ad quindenam non reputandam esse gravem, seclusa ratione medicinæ, quæ prius urgere potest : at probabilius est dilationem ad mensem, sine ratione excusante, peccatum esse mortale. Vide S. Ligorium, l. VI, n. 521. Si pars tantum pœnitentiæ differatur, peccatum erit veniale aut mortale, juxta quantitatem dilatam et gradum negligentiæ.

Quæritur 2° quænam sint conditiones quibuscum pœnitentia impleri debeat.

R. 1°. Quamvis ad implenda præcepta in genere intentio ipsis satisfaciendi non sit necessaria, communius tamen docent theologi aliquam requiri intentionem, ut pœnitentia a confessario imposita recte impleatur. Pœnitentia enim effectum producit ex opere operato; necesse est ergo ut quemdam ad sacramentum habeat ordinem, quem per intentionem præcipue ordinet.

R. 2°. Pius requiritur affectus quoad ea opera quæ sunt actus religionis, ut auditio Missæ, oratio, etc., et probabilius etiam quoad alia opera, v. g., jejunia, eleemosynam, etc. Saltem, juxta omnes, actualis excludi debet affectus ad peccatum mortale, imo et ad veniale quod esset finis totalis operis; nam opus per talem affectum totaliter vitiatum, satisfactorium esse non posset.

R. 3°. Status gratiæ non requiritur quoad ea opera quæ ut implenda ante absolutionem imponuntur; hoc patet ex praxi Ecclesiæ. Quoad vero opera post absolu-

tionem exsequenda, saltem venialiter peccat qui suam pœnitentiam adimplet in statu peccati mortalis, siquidem integralem sacramenti partem indigne suscipit, et obicem fini ejus voluntarie ponit. Probabilius est tamen et communissime docent theologi eum substantialiter satisfacere, quia solum opus præscribitur, non vero finis ejus. Ita P. *Antoine*, *Collet*, *Billuart*, *Dens*, aliique rigidiores. Imo, juxta multos, sicut pœnitentiæ ante absolutionem jussu confessarii implendæ reatum pœnæ temporalis tollunt, cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit; ita pœnæ post absolutionem agendæ, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per justificationem obice, suum effectum assequentur. Ita P. *Antoine*.

Valde utile est ut saltem aliqua pœnitentiæ pars imponatur brevi post absolutionem facienda.

Quæritur 3° an unus pro altero satisfacere possit.

R. 1° Si agatur de satisfactione in genere, vel spectatur ut solutio debiti, vel ut medicinalis : in priori casu, unus pro altero satisfacere potest, saltem per modum suffragii, id est, satisfactiones suas Deo pro minuenda pœna temporali fratris sui vivi aut defuncti offerre. Ita omnes catholici contra hæreticos. In posteriori vero casu, unus pro altero non magis satisfacere potest, quam sumere medicinam ad curandum alterius morbum.

R. 2° Ubi de satisfactione sacramentali agitur, repugnat unum pro altero satisfacere; nam ista satisfactio, quatenus sacramentalis, est actus pœnitentis, ex conciliis Florentino et Tridentino supra citatis : ergo a solo pœnitente impleri potest. Unde Alexander VII, per decretum diei 24 sept. 1665, sequentem damnavit propositionem n. 15 : « Pœnitens propria auctoritate substituere » alium sibi potest, qui loco ipsius pœnitentiam adim» pleat. » Curs. compl., t. VI, col. 632.

Excipiendus est casus in quo confessarius non imposuisset actum personalem et afflictivum : tunc nihil obstaret quominus pœnitens satisfactionem sibi injunctam per alium impleret, v. g., eleemosynam pauperibus ero-

gandam alteri committeret, nisi ex intentione confessarii ipse pauperes visitare debet.

Quæritur 4°. Quomodo impleri debeat pœnitentia quoad circumstantias a confessario pœnitentiæ adjunctas.

R. 1°. Observandæ sunt circumstantiæ quas confessarius pœnitentiæ addidit, si sint rationabiles et possibiles, ut jam diximus de ipsa pœnitentia.

R. 2° Si modus satisfaciendi non fuerit a confessario determinatus, arbitrio pœnitentis relinquitur : hinc si recitatio Rosarii, v. g., simpliciter injuncta fuerit, pœnitens satisfaciet illud recitando genuflectens, stans, deambulans, sedens, aut alternatim cum alio : si pia lectio fuerit præscripta, sufficiet legere oculis et mente sine vocibus articulatis, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

In præcedentibus capitibus de materia hujus sacramenti tractavimus : nunc per ordinem de forma ejus agendum est, et tria examinanda forent; videlicet 1° quæ sit forma hujus sacramenti, 2° quis ejus sensus, et 3° an forma deprecatoria sit valida. Jam probavimus adversus novatores sensum formæ seu absolutionis esse actum judicialem. Restat igitur ut duo alia examini subjiciamus.

ARTICULUS PRIMUS.

QUÆ SIT FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

I. QUÆ SIT FORMA INTEGRA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ. — Concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, hæc habet : « Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis » quæ sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo*, etc.; » et conc. Trid., sess. 14, cap. 3 : « Docet præterea sancta « Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præci- » pue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam » esse : *Ego te absolvo*, etc., quibus quidem de Ecclesiæ » sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : » ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spec- » tant, neque ad ipsius sacramenti administrationem » sunt necessariæ. »

Unde Rituale Romanum hæc statuit :

« Sacerdos cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta pœnitentia salutari, primo dicat :

» *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

» Deinde, extensa versus pœnitentem dextera, dicit : *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

» *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

» *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.* »

Admonet postea idem Rituale omittendam esse vocem *suspensionis*, si pœnitens sit laicus; omittenda est pariter

si sit clericus in sacris non constitutus, et addit, in confessionibus frequentioribus et brevibus omitti posse orationes *Misereatur* et *Indulgentiam*, satisque esse se dicatur *Dominus noster* usque ad *Passio Domini;* urgente vero gravi necessitate, breviter dici posse : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Nec conveniunt auctores an vox *deinde* pertineat ad formam, vel solum ad rubricam.

II. Quid ad essentiam formæ pœnitentiæ pertineat.— *Quæritur* 1° quænam verba sint essentialia.

R. Certum est totam essentiam absolutionis intra verba orationis, *Dominus noster,* contineri : at pariter certum est omnia verba illam constituentia, ad validitatem sacramenti non requiri, quia plurima tolli possunt sine mutatione in sensu.

1° Sic verba *Dominus noster*, usque ad *Ego te absolvo*, ad essentiam formæ non pertinent : patet ex conciliis Florentino et Tridentino;

2° Nec pronomen *ego*, quod sufficienter exprimitur per verbum *absolvo;*

3° Nec illa verba : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quia invocatio sanctissimæ Trinitatis in administratione hujus sacramenti non præscribitur in Scriptura, nec in traditione, nec in usu Ecclesiæ, tanquam essentialis : *ita communiter docent theologi.*

4° Dubitatur an verba *a peccatis tuis* sint essentialia. Multi negant, dicentes sensum verborum *te absolvo,* præsentia pœnitentis, qui peccata confessus est, sufficienter determinari : alii vero non pauci contendunt ea absolute requiri; nam, inquiunt, Christus sacramentum Pœnitentiæ instituendo dixit : *Quorum remiseritis peccata :* sicut propter verbum *quorum*, exprimenda est persona absolvenda, sic pariter experimenda sunt peccata. Prior sententia probabilior nobis videtur; sed omnes fatentur ea omittere verba mortale esse peccatum, et in casu omissionis iterandam esse absolutionem propter dubium.

Ergo hæc verba : *Te absolvo a peccatis tuis,* reputanda sunt essentialia, et saltem, etiam in casu necessitatis, sic

pronuntianda est absolutio : *Ego absolvo te ab omnibus censuris et peccatis tuis, in nomine Patris,* etc. Communius tamen docetur censuras, solo verbo *a peccatis* tolli cum ipsis peccatis.

Quæritur 2° an absolutio sub forma æquivalenti prolata, v. g., *Condono, Remitto tibi peccata tua,* sit valida.

R. Graviter est illicita, ut pote insolita, praxi Ecclesiæ contraria et pœnitentium offensiva : sed valida est, quia idem substantialiter remanet sensus. Notat Cajetanus, apud *Billuart,* illicitam quidem, sed validam fore absolutionem datam in plurali numero, honoris causa.

Quæritur 3° an forma absolutionis ita essentialiter consistat in verbis ore prolatis, ut scriptura vel nutus non sufficiat.

R. Affirmative. Quia talis fuit voluntas Christi, unanimi Ecclesiæ consensu probata ; quia concilia Florent. et Trident. ita requirunt.

Non obstat quod in foro contentioso sententia scriptura proferri possit, nisi legislator aliter statuerit : nam judicium sacramentale et judicium forense non sub omni respectu æquiparari debent, et in præsenti casu discrimen in eo consistit, quod judicium forense de absente proferri possit, non item sacramentale.

Hinc 1° absolutio valide dari non potest per litteras neque per nuntium, ex dictis.

Hinc 2° necesse est ut persona absolvenda sit moraliter præsens, id est, intra distantiam quam homines communiter altiori voce loqui solent, quod nonnulli ad vigenti passus circiter extendunt. Attamen in casu necessitatis, pœnitens longius distans, v. g., cadens e tecto, sub conditione absolvendus esset.

Non requiritur ut pœnitens verba absolutionis audiat vel audire possit, et multo minus ut ea intelligat.

Quæritur 4° an forma sub conditione prolata, sit valida et licita.

R. 1°. Certum est absolutionem datam sub conditione de futuro, v. g., Absolvo te, si restituas, si in peccatum non laberis, esse nullam. Vel enim effectum suum habe-

ret hic et nunc, vel tempore quo adimpleretur conditio : at neutrum dici potest : non prius, cum sacerdos intentionem absolvendi non habeat ; non posterius, quia gratia sacramenti, ex omnium sensu et ex ipsa natura sententiæ judicialis, non potest sic manere suspensa.

R. 2°. Absolutio data sub conditione de præterito vel de præsenti, extrinseca sacramento, v. g., *si non es absolutus*, valida est modo conditio existat ; nihil enim effectum suspendit. At graviter illicita est, nisi necessitas ejus excuset, quia hic modus absolvendi est insolitus et reverentiæ sacramento debitæ adversus.

R. 3°. Absolutio sub conditione sacramento intrinseca, quæ necessario supponenda est, v. g., Absolvo te, si vere es contritus, si votum restituendi habes, etc., juxta quosdam invalida est, secundum alios vero communiter, valida, sed graviter illicita, saltem extra necessitatem : confessarius enim judex est : debet ergo sufficientem adhibere curam ut de statu pœnitentis prudenter judicet et absolutam ferat sententiam.

Diximus *saltem extra necessitatem*, quia generatim theologi dicunt aut supponunt conditionem, *si tu es dispositus*, apponi posse vel debere in necessitate extrema vel gravi, id est, in articulo vel periculo mortis. Bened. XIV, de Synodo diœcesana, l. VII, cap. 15, utramque librans opinionem, neutram amplectitur. *Dens*, t. VI, *de Pœnit.*, n. 18 et 19, arbitratur tutius esse nullam apponere conditionem, etiam in necessitate, eo quod quidam validitatem hujusmodi absolutionis negent.

R. 4°. Ex hypothesi quod legitime apponatur conditio, generaliter supponunt auctores eam non esse vocibus exprimendam, idque probare videtur usus in Ecclesia receptus, ea fundatus ratione, scilicet, quod sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii administretur, et in judicio sententia absoluta esse debeat.

Multi tamen dicunt quod, si dubitetur an pœnitens adhuc vivat, vel fuerit absolutus, absolutio dari possit sub conditione expressa, *si tu es capax*, *si non es absolutus*, ut fit in Baptismo. Ita P. *Antoine*. Certe nec eum qui in

eo casu conditionem exprimit, nec qui non exprimit damnare vellemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN FORMA DEPRECATORIA SIT VALIDA.

Triplici modo enuntiari potest absolutio, videlicet 1° indicativo, v. g., *Absolvo te a peccatis tuis*, ut fit apud nos; 2° deprecativo, v. g., *Absolve, quæsumus, Domine, hunc famulum tuum a peccatis ejus*, ut fit apud Græcos; vel 3° imperativo, v. g., *Esto a peccatis tuis absolutus.*

Nulla proferuntur exempla quibus ostendatur formam imperativam olim fuisse usurpatam : eam igitur prætermittimus.

Certum est a forma indicativa apud nos usitata recedere graviter illicitum fore, quia violaretur lex ecclesiastica in materia gravi.

I. AN FORMA DEPRECATORIA IN GENERE SUFFICIAT. — Quæstio est igitur an ex hypothesi quod forma deprecatoria adhiberetur, sacramentum esset validum. Affirmat P. Morinus, l. VIII, cap. 8, et plurimi post ipsum, inter quos *Juénin, Witasse, Tournely*, etc, qui contendunt hanc formam duodecim prioribus sæculis adhibitam fuisse in ipsa Ecclesia Latina.

Multi vero alii demonstrare nituntur formam indicativam absolute necessariam esse, et proferunt monumenta quibus ostendere volunt formam indicativam, si non in verbis, saltem quoad sensum, semper in usu fuisse, tum apud Græcos, tum apud Latinos.

PROPOSITIO.

Probabilius est formam pure deprecatoriam ad validitatem sacramenti non sufficere.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Christus enim, instituendo hoc sacramentum, non dixit : *Quæcumque petieritis pec-*

cata esse solvenda, erunt soluta, sed : *Quæcumque solveritis :* porro illa verba indicant actionem sacerdotis non tantum deprecantis, sed pronuntiantis tanquam auctoritatem habentis : ergo.

2° *Auctoritate concil. Florent. et Trid.* quæ definierunt formam sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in his verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, et preces quæ illis laudabiliter adjungi solent, ad essentiam formæ non pertinere. Nonne eo ipso definierunt formam essentialem esse indicativam ?

3° *Plures sancti Patres* comparant ministerium sacerdotum novæ Legis pœnitentes absolventium ministerio levitarum leprosos probantium, et inter hos et illos hoc admittunt discrimen, scilicet, quod in nova Lege sacerdotes lepram peccati non tantum probent mundatam, sed mundent ; dum levitæ lepram carnis solummodo declararent mundatam : atqui tale non admitteretur discrimen, si forma simpliciter deprecatoria sufficeret.

4° *Ratione theologica.* Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii fuit institutum : sacerdos igitur debet proferre sententiam ut judex : porro sententiam non proferret ut judex, si tantum deprecaretur : ergo.

Insuper probavimus supra absolutionem sacerdotis peccata esse remissa declarantis, nudum non esse ministerium, sed actum judicialem : ergo denique, etc.

II. An forma deprecatoria aliquando possit esse valida. — Verum forma deprecatoria in sono, sed indicativa in sensu, valida est ; constat enim propria verba formæ hujus sacramenti a Christo non fuisse determinata: sufficit ergo ut actio ministri absolventis exprimatur et verificentur verba Christi : *Quorum remiseritis*, etc. Porro actio ministri absolventis per formam deprecatoriam in sono et indicativam in sensu exprimitur. Supponatur, v. g., hæc forma Græcorum, apud *Goar : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor et agnus qui tollis peccata mundi... relaxa, remitte, condona peccata... a servis tuis istis commissa.* Cum sacerdos prius audierit pœnitentem eique satisfactionem injunxerit tanquam judex, nonne

sensus hujusmodi verborum est : Remitte, Domine, peccata cui ea remitto, seu, in cujus gratiam ministerium meum exerceo, juxta verba tua : *Quorum remiseritis*, etc.? Ergo.

Unde, licet forma deprecatoria olim adhibita fuerit apud Latinos, *hocque supposito, non concesso*, nihilominus sacramentum erat validum. Etiamsi pariter sola forma deprecatoria in sono adhiberetur apud Græcos, validitas sacramenti non periclitaretur; et idcirco Latini talem formam eis nunquam exprobraverunt, nec dubitaverunt illos sacramentum Pœnitentiæ retinere.

Cæterum, falsum est solam formam deprecatoriam in usu esse apud Græcos; *Goar* enim plures describit formas indicativas apud Calabros, Apulos et Siculos usurpari solitas, quas nonnulli Orientales acceptarunt. Arcudius, ipse Græcus, probat, in opere cui titulus : *Concordia Ecclesiæ orientalis et occidentalis in sacramentorum administratione* l. IV, cap. 3, eas formas quæ primo aspectu deprecatoriæ videntur, vere esse absolutas quoad sensum, et initio capitis sapienter observat « nullam » unquam fuisse controversiam de hac re inter Græcos » et Latinos, ac proinde non esse verisimile antiquam for- » mam hujus sacramenti ex odio alicujus vel malitia » mutatam aliquando fuisse, et incredibile dictu videri » Græcorum Ecclesiam nunquam habuisse veram formam » hujus sacramenti. »

CAPUT SEXTUM.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Tres hujus capitis erunt articuli, quorum primus erit de charactere in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisito; secundus, de jurisdictione ipsi necessaria; et tertius, de ejus officiis seu obligationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CHARACTERE IN MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ REQUISITO.

Valdenses existimabant bonum laicum, non vero malum sacerdotem, habere facultatem absolvendi. Inter articulos Wiclefi in concilio Constantiensi damnatos, iste reperitur, *laicum si vir frugi fuerit, clavium potestatem a Christo accepisse*. Novatores in concilio Tridentino damnati docebant, referente Palavicino, lib. XII, cap. 10, « sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi, » nisi Spiritus sancti gratia et charitate sint præditi; et » non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus » et singulis christianis esse dictum : *Quodcumque solveritis*, etc. » Soli tamen ministri apud ipsos sententiam reconciliationis pronuntiant.

P. Morinus arbitratur atque contendit, lib. VIII, cap. 3, diaconis concessum fuisse apud Latinos confessiones audire et a peccatis absolvere in casu necessitatis, id est, in mortis periculo et deficiente sacerdote.

PROPOSITIO.

Solus sacerdos minister est sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. Illa propositio est de fide, constat Scriptura sacra et SS. Patribus.

Est de fide, ut pote definita a conc. Trid.. sess. 14, can. 10, his verbis : « Si quis dixerit sacerdotes qui in » peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi » non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros ab- » solutionis, sed omnibus Christi fidelibus esse dictum : » *Quodcumque ligaveritis*... anathema sit. » Idem jam tradiderant concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, conc. Const. adversus Wiclefum, et conc. Later. IV, præcipiendo ut omnes fideles semel in anno peccata sua

proprio sacerdoti confiterentur. Hæc verba, *proprio sacerdoti,* supponunt confessionem soli sacerdoti fieri posse. Ergo.

Constat 1° *Scriptura sacra.* Hi soli habent potestatem remittendi peccata quibus Christus, instituendo sacramentum Pœnitentiæ, dixit : *Quorum remiseritis...* Atqui Christus hæc verba, non ad laicos, sed ad solos Apostolos proindeque ad eorum successores direxit. Porro soli sacerdotes in eo Apostolis successerunt, et hanc potestatem obtinuerunt, ut constat ex unanimi traditione quæ sic verba Christi intellexit. Ergo 1°.

Constat 2° *ex SS. Patribus.* Omnes enim sancti Patres quos pluries citavimus, vel expresse dixerunt, vel supposuerunt solos sacerdotes sacramenti Pœnitentiæ esse ministros, v. g., S. Cyprianus, « dum remissio facta per sa» cerdotes ; » S. Ambrosius, « qui relaxandi licentiam » sacerdotibus suis concessit ; » S. Chrysostomus, qui dignitatem sacerdotum, ex potestate remittendi peccata vi verborum Christi, relevat. Ergo 2° ; aliunde, etc., insuper... Ergo.

De fide est ergo — a) sacerdotes etiam malos sacramenti Pœnitentiæ esse ministros ; — b) nunquam laicos, quantumvis bonos, et in quacumque necessitate, sacramentum istud administrare posse. Verum opinio P. Morini definitioni conc. Trid. non directe adversatur, ac proinde anathemate non percutitur, licet manifeste sit falsa et hæresi proxima ; cum traditione enim et cum his conc. Trid. verbis : « Aut non solos sacerdotes esse ministros abso» lutionis, » conciliari nequit.

Solvuntur objectiones.

Obj. Hæc verba : *Euntes...., baptizantes eos in nomine Patris....* ad solos Apostolos directa sunt : atqui non soli Apostolorum successores, sed laici ipsæque mulieres valide baptizare possunt : ergo *a pari,* etc.

R. Nego conseq. et paritatem. 1° Quia ipsa Scriptura subministrat exempla Baptismi a diacono, scilicet a Phi-

lippo collati, Act. Apost. VIII, 12 et 38; 2° quia Ecclesia semper credidit et docuit Baptismum a laicis et etiam a mulieribus collatum esse validum; nihil vero tale profertur ubi de Pœnitentia agitur : insuper conveniens erat ut Baptismus ad salutem necessarius necessitate medii, non a solis sacerdotibus administrari posset; non ita necessaria est Pœnitentia. Ergo.

Inst. S. Jacob, V, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini :* ergo ipsi laici confessionem excipere possunt.

R. Dist conseq. Si hæc verba de confessione non sacramentali intelligantur, *conc.*; si de confessione sacramentali intelligenda sint, *nego conseq.* Etenim quidam dicunt B. Jacobum per verba *confitemini alterutrum peccata vestra*, solam intelligere confessionem quæ fit humilitatis causa, vel ad petenda consilia : tunc certum est ipsos laicos hujusmodi confessionem aliquando excipere posse. Si vero, ut alii volunt, de confessione sacramentali ibi Apostolus loquatur, per verbum *alterutrum* non quilibet intelligendi sunt homines, sed soli sacerdotes, siquidem invictis argumentis constat solos sacerdotes hujus sacramenti esse ministros. Ergo.

Obj. 2°. S. Cyprianus dicit, Ep. 12, loquens de homine in periculo mortis constituto : « Si presbyter repertus non » fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque » exomologesim facere delicti sui possunt, ut manu ejus » in Pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum » pace. » Ergo saltem et diaconi sunt ministri hujus sacramenti ad sensum P. Morini.

R. Nego conseq. Nam, juxta doctorum interpretationem quæ perpetua traditione innititur, de sacramentali reconciliatione ibi non agitur, sed de absolutione ab excommunicatione in lapsos pronuntiata, vel probabilius a pœnitentiis canonicis quibus lapsi subjiciebantur : atqui non repugnat diaconos olim fuisse deputatos ad tollendas hujusmodi pœnas ecclesiasticas, præsertim in casu necessitatis, ut exprimit S. Cyprianus. Si autem Ecclesia persuasum habuisset eos in casu necessitatis a peccatis sacra-

mentaliter absolvere posse, cur ministerium istud decursu temporum ipsis non credidisset et etiam nunc non crederet, sed potius crudeliter sineret peccatores, deficiente sacerdote, in præsentia diaconi sine reconciliationis sacramento decedere? Nonne talis consuetudo demonstrat non magis diaconos quam laicos sacramenti Pœnitentiæ esse ministros? Ergo.

Inferendum est, ex dictis in præsenti articulo, absolutiones a confessario non valide ordinato, sive sit impostor, sive bona fide se credat sacerdotem, prorsus esse nullas : sola igitur contritione perfecta peccator in eo casu justificari potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURISDICTIONE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ NECESSARIA.

QUID JURISDICTIO. — Jurisdictio in genere est potestas regendi subditos, ut explicatur in tractatu *de Ordine*. Potest esse civilis vel ecclesiastica, pro foro externo vel pro foro interno. Hic agitur de sola jurisdictione pro foro interno, non secundum totam suam extensionem, sed tantum in ordine ad absolutionem sacramentalem.

Definitur : Potestas quam habet sacerdos alterum in sacramento Pœnitentiæ absolvendi et obligandi tanquam subditum.

Duplex distinguitur, ordinaria scilicet et delegata. Ordinaria ea est quam quis habet ratione sui officii, cui jure communi annexa est cura animarum. Talis est jurisdictio quam habent, ratione suorum officiorum, Papa, episcopus, parochus.

Jurisdictio delegata illa dicitur quam habet sacerdos ex alterius commissione, ut, apud nos, vicarii, presbyteri habituati, missionarii, eleemosynarii hospitiorum, capellani monasteriorum, etc.

Hic septem nobis inquirenda sunt, videlicet 1° an jurisdictio sit necessaria ad validitatem absolutionis; 2° quinam habeant jurisdictionem ordinariam; 3° quinam ha-

beant delegatam ; 4° an qui ex errore communi pro ordinariis vel delegatis habentur, valide absolvere possint ; 5° quinam a peccatis reservatis absolvere possint ; 6° quinam habeant jurisdictionem in articulo mortis; 7° quid sit approbatio et an necessaria.

§ I. — An jurisdictio sit necessaria ad sacramentum pœnitentiæ valide administrandum.

PROPOSITIO.

Præter ordines potestatem, necessaria est jurisdictio in sacerdote ut valide absolvat.

Prob. 1° *auctoritate conciliorum.* Conc. Lat. IV, can. 21, hæc habet : « Si quis autem alieno sacerdoti voluerit » justa de causa confiteri, licentiam prius postulet a » proprio sacerdote, cum alter ille non possit solvere vel » ligare. »

Conc. Flor.., in Decreto ad Armenos, de ministro hujus sacramenti sic loquitur : « Minister hujus sacramenti est » sacerdos, habens auctoritatem ordinariam, vel ex com- » missione. »

Conc. Trid., sess. 14, cap. 7, dicit : « Quoniam natura » et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos » duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei » fuit et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nul- » lius momenti absolutionem eam esse debere, quam sa- » cerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subde- » legatam non habet jurisdictionem. »

Prob. 2° *constanti traditione et praxi Ecclesiæ.* In primis enim sæculis, videmus episcopos pœnitentiam per seipsos imponere, pœnitentes reconciliare, vel sacerdotes ad eos reconciliandos committere, parochos instituere, eisque parochianos subjicere, atque exigere ut eis solis peccata confiteantur. Ergo.

Prob. 3° *ratione.* Jurisdictio est necessaria quia sententia sacerdotis est actus judicialis : ut judicium autem

sit validum, requiritur auctoritas in eo qui judicatur : ergo non tantum jure ecclesiastico, sed institutione divina necessaria est jurisdictio.

Dices : Omnis sacerdos accepit in ordinatione sua potestatem remittendi peccata his verbis : *Accipe Spiritum sanctum ; quorum remiseris peccata, remittentur eis.* Ergo vel jurisdictio non est necessaria, vel simul cum potestate Ordinis confertur.

R. Nego conseq. Nam, ut ait concil. Trid., de natura est judicii ut sententia in subditos duntaxat feratur : ergo præter potestatem judicandi, assignandi sunt subditi in quos hæc potestas exerceri possit. Res illustrari potest exemplo ex ordine civili petito : supponatur quod imperator aliquem constituat judicem eique titulum nominationis imperialis conferat, sed tribunal ei non assignet; certe homo ille veram habebit potestatem judicandi, et tamen, defectu subditorum, illam exercere non poterit : talis est sacerdos valide ordinatus : Christus illum constituit judicem ad remittenda aut retinenda peccata, sed necesse est ut Ecclesia assignet ei subditos. Certe hoc sensu intelligenda sunt verba ordinationis : *Accipe Spiritum sanctum ; quorum remiseris peccata,* etc., vel dicendum est quemlibet sacerdotem parem habere auctoritatem vi suæ ordinationis, ac episcopos et ipsum Papam, proindeque concilia generalia prius citata errasse, traditionem esse deserendam et Ecclesiæ consuetudinem reformandam. Ergo.

Non requiritur autem jurisdictio pro validitate aliorum sacramentorum, v. g., Baptismi, Eucharistiæ, Extremæ-Unctionis, quia per modum judicii non administrantur.

§ II. — De jurisdictione ordinaria.

I. Quinam jurisdictionem ordinariam habeant. — Omnes pastores legitime constituti ordinariam habent jurisdictionem. Nomine autem pastorum ii omnes intelliguntur qui ratione sui officii vel tituli habent jure communi

curam animarum. In triplici ordine vulgo ponuntur, scilicet :

1° Summus Pontifex pro universo orbe, respectu omnium christianorum. Ad hunc ordinem revocandi sunt major Pœnitentiarius et Legatus a latere, qui ratione sui officii ordinariam habent jurisdictionem, prior in tota Ecclesia, et posterior in sua legatione.

2° Episcopus pro tota sua diœcesi et respectu omnium diœcesanorum. Sub ejusdem nomine comprehenditur vicarius generalis, qui non solum in causis civilibus, ut quidam volunt, sed in spiritualibus eadem est persona moralis cum episcopo, et ideo eamdem exercet jurisdictionem. At, moriente episcopo, amittit officium proindeque jurisdictionem. Ad hunc ordinem pertinent archiepiscopi in diœcesibus suffraganeis, sed tempore visitationis duntaxat; vicarii capitulares, sede vacante; pœnitentiarius, si quis sit legitime institutus; abbates exempti, si qui sint, in proprio territorio; generales Ordinum et provinciales respectu religiosorum sibi subditorum.

3° Parochus in sua parochia et respectu parochianorum. Ad hunc ordinem olim revocabantur vicarii perpetui, et nunc revocandi sunt non solum parochi amovibiles, dicti *deservientes*, sed et ii qui ecclesiæ sub nomine capellæ *vicarialis* cognitæ præficiuntur; item prælati et superiores immediati monasteriorum. Hi enim omnes, ratione sui officii, habent curam animarum sive ex jure communi, sive saltem ex consuetudine, quæ communiter et præsertim ab episcopis sic intelligitur.

II. De extensione jurisdictionis ordinariæ quoad subjectos. — Jurisdictio ordinaria se extendit ad omnes et solos subditos. Porro aliquis fieri potest subditus, relative ad sacramenta, triplici modo :

1° Ratione domicilii vel quasi domicilii : utrumque, in ordine ad suscipienda sacramenta, si matrimonium excipiatur propter contractum, obtinetur ipso facto habitationis cum intentione manendi indefinite vel per magnam anni partem. Unde episcopus jurisdictionem acquirit ordinariam in diœcesanum ipso die quo incipit habitare in

diœcesi sua cum animo manendi; item parochus in parochianum, etc. Qui duplex habent domicilium, v. g., domum hiemis et domum æstatis in parochiis diversis, duplicem habent parochum et ab alterutro absolvi possunt, scilicet, ab eo in cujus territorio tunc degunt.

2° Ratione privilegii status : sic novitii, imo et sæculares in monasteriis degentes et commensales continui, eo ipso fiunt subditi superiorum regularium in ordine ad sacramenta.

3° Ratione consuetudinis : sic vagi nullum habentes domicilium, subjiciuntur episcopo et parocho in cujus territorio tunc existunt. Talis est universalis Ecclesiæ praxis.

III. De extensione jurisdictionis ordinariæ quoad locum. — Jurisdictio pœnitentialis, non vero contentiosa, personas directe afficit easque ubique sequitur, et mediate tantum in territorio circumscribitur. Unde episcopus valide absolvere potest suos diœcesanos, parochus suos parochianos in qualibet orbis parte; imo et licite hoc faciet, habita vel rationabiliter præsumpta Ordinarii loci, sive episcopi, sive parochi, licentia. Ita P. *Antoine*, Theologia Lugd., etc.

IV. Quomodo cessat jurisdictio ordinaria. — Cessat jurisdictio ordinaria per amissionem officii cui annexa est, *ut patet;* item per suspensionem vel per excommunicationem publice et nominatim denuntiatam : ita fert jus canonicum et unanimiter theologi docent. Non vero amittitur nec suspenditur per censuras quantumvis publicas, nec per irregularitatem, si denuntiata publice et nominatim facta non fuerit. Sic adhuc omnes nunc theologi, post bullam *Ad vitanda scandala*. Hinc parochi legitime instituti, qui juramentum constitutioni civili anno 1790 præscriptum emiserant, non ideo sua jurisdictione exuti fuerant. Verum apud omnes constat jurisdictionem in his casibus illicite exerceri.

§ III. — De jurisdictione delegata.

I. De origine jurisdictionis delegatæ. — De natura est jurisdictionis ordinariæ ut per alium exerceri possit, nisi Ordinarius agnoscat superiorem qui delegationem prohibuerit. Unde legitur in Sexto Decretalium, lib. I, tit. 17, c. 7 : « Cum episcopus in sua tota diœcesi jurisdictionem » ordinariam noscatur habere, dubium non existit quin » in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto, per se » vel per alium possit pro tribunali sedere. »

Delegatio oritur communiter ab homine qui, jurisdictione ordinaria gaudens, alium committit ad functiones sui ipsius officii explendas; — aliquando a jure, id est, vel a lege ecclesiastica, vel a constitutione pontificia, quæ jurisdictionem alicui confert ad supplendum ministrum ordinarium in casu necessitatis; — nonnunquam a consuetudine, quæ, debitis conditionibus vestita, vim habet legis.

Duplici modo fieri potest delegatio, directe et indirecte. Fit directe, quando sacerdos audiendis confessionibus in uno loco committitur. Fit vero indirecte, si Ordinarius concedat pœnitenti facultatem sibi eligendi confessarium et ab eo absolutionem suscipiendi, quod tempore jubilæi concedere solet Pontifex maximus. In posteriori hoc casu, jurisdictio non creditur laico, ut eam confessario tradat, sed occasione electionis a laico factæ, sacerdoti confertur.

Ut legitima sit delegatio plures requiruntur conditiones, videlicet, 1° ut delegans legitimus sit Ordinarius et limites suæ juridictionis non excedat : unde absolutiones ab episcopis, vi constitutionis civilis cleri Gallicani institutis, et a sacerdotibus ab eis delegatis concessæ, erant nullæ; 2° ut delegare non prohibeatur, quales sunt degradati et excommunicati vitandi; 3° ut consensus ejus sit formalis, actualis et expressus, nec sufficeret consensus futurus rationabiliter præsumptus, nec ratihabitio de præterito, si nempe Ordinarius dicat : Approbo quod factum est; quia nec jurisdictio præsumpta, nec

approbatio præteriti in actum judicialem influunt; 4° ut delegatus sit capax, id est, rite ordinatus, nec excommunicatus publice denuntiatus aut degradatus; 5° ut ab episcopo diœcesano obtinuerit approbationem de qua tractabimus infra.

Delegatio fieri potest scripto, verbo, vel alio quolibet signo voluntatem delegantis sufficienter manifestante : sedulo autem pensandi sunt termini concessionis, quia tantum valent quantum sonant.

Quæritur 1° an quidam habeant a jure facultatem confessarium sibi eligendi?

R. Gregorius IX, Decretal. l. v, tit. 38, c. 16, hæc habet : « Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immi» neat animarum, permittimus episcopis et aliis superio» ribus, nec non minoribus prælatis exemptis, ut etiam » præter superioris sui licentiam, providum et discretum » sibi eligere possint confessarium. » Notat Fagnanus, in II part., l. v, de Pœnit. et Remiss., n. 62, S. Congr. Concil. « declarasse privilegium eligendi confessarium, » quod competit episcopis, vi hujus decretalis, non esse » quidem a Concilio sublatum : sed tamen non posse sibi » eligere sacerdotem sibi non subditum, nisi aut paro» chiale beneficium habeat, aut a suo Ordinario appro» batus fuerit ad confessiones audiendas, ad præscript. » Trid. sess. 23, cap. 15. » Idem declaravit Greg. XIII, audita relatione S. Congr.

Igitur 1° episcopi, etiam nondum consecrati, modo sint confirmati, sive sint titulares, sive *in partibus*, sive *demissionarii*, quemlibet voluerint sibi eligere possunt sacerdotem in confessarium, non tantum in propria diœcesi, quod a nemine negatur, sive subditum, sive extraneum sacerdotem eligant, sed etiam in aliena diœcesi; tuncque vel subditum secum iter facientem aut ibi reperium, vel extraneum eligere possunt, modo parochiale beneficium habeat aut a suo Ordinario sit approbatus; non secus.

2° Generales ordinum, provinciales, abbates a jurisdictione episcoporum exempti, prælati locales exempti,

ut priores, guardiani, rectores, omnes qui sub nomine superiorum intelliguntur, confessarium pariter sibi eligere possunt sive inter regulares sibi subditos, sive inter sæculares, sed probabiliter inter eos tantum qui ab Ordinario facultatem audiendi confessiones habent. Quoad cardinales videatur S. Ligorius, l. VI, n. 565.

Quidam voluerunt privilegium episcopis et superioribus a constitutione Gregoriana concessum, ad parochos extendere, sed communius hæc facultas ipsis adimitur. In tali controversia pars tutior est eligenda.

Quæritur 2° an delegatus alium subdelegare possit.

R. Delegatus ad universale, v. g., ad officium episcopi vel parochi absentis, potest delegare ad particulare, ut generaliter docetur (S. Ligorius, l. VI, n. 566); sed delegatus ad particulare, v. g., ad audiendas confessiones, subdelegare non potest, nisi hanc facultatem a delegante obtinuerit. Ratio est, quia vi delegationis habet tantum potestatem exercendi jurisdictionem quoad personas, non vero eam alteri committendi.

II. De natura et extensione jurisdictionis delegatæ. — Jurisdictio delegata, concessa sacerdoti, prout fit ordinarie, territorium immediate afficit et mediate tantum personas: non potest ergo ultra territorium assignatum valide exerceri.

Unde 1° vicarii qui apud nos delegatam habent jurisdictionem pro omnibus ecclesiis decanatus ad quem pertinet ecclesia in qua munia vicarii exercent, et in aliis ecclesiis ab ista ultra decem kilometra non distantibus, ultra hos limites valide absolvere non possunt, ne quidem habitantes parochiam in qua sunt vicarii. Omnes habitationes ab alia ecclesia parochiali pendentes non aliter distare ac ipsamet ecclesia censentur; unde ægroti qui, ad ecclesiam in territorio assignato stantem pertinentes, domi retinentur, ibi audiendi et absolvendi sunt.

2° Capellani xenodochiorum aliarumque communitatum, sive mulierum sive virorum, sacerdotes sacrum ministerium in seminariis et in collegiis exercentes,

et presbyteri habituati, similem habent jurisdictionem ordinarie circumscriptam, quam excedere non debent.

3° Parochi in nostra diœcesi, et in aliis multis diœcesibus, præter jurisdictionem ordinariam in parochianos suos, habent delegatam pro tota diœcesi. Non solum igitur, saltem extra tempus paschale, extraneos in propria ecclesia audire et absolvere possunt, sed et in cunctis aliis ecclesiis, de consensu parochi, nisi hæc jurisdictio in aliquo casu fuerit limitata, quod duplici modo fieri potest, scilicet quoad territorium, ut, v. g., si parochus extra propriam ecclesiam confessiones excipere prohibeatur; vel quoad personas, v. g., si parochus ad solos parochianos restringatur.

Ad audiendos privatim et absolvendos in aliena parochia proprios subditos, confessarius jurisdictionem habens ordinariam, licentia parochi respectivi non indiget; secus, si publice et præsertim in ecclesia. Hæc tamen licentia ad validitatem sacramenti non exigitur.

4° Parochi et etiam sacerdotes delegati unius diœcesis communius delegatam habent jurisdictionem pro parochiis adjacentibus alterius vicinæ diœcesis, secundum morem diœceseon vel episcoporum concessionem. Sic, ex more recepto, cuncti sacerdotes in diœcesibus nos circumstantibus legitime approbati, eadem possunt in nostra diœcesi ad distantiam decem kilometrorum, ac vicarii.

5° Ex consuetudine communiter recepta, quilibet sacerdotes ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentes, audire possunt, extra tempus paschale, quosvis pœnitentes undique ad ipsos accedentes : legitime sedent pro tribunali in loco sibi assignato; et cum de jurisdictione voluntaria agatur, quascumque causas sibi oblatas terminare possunt, seclusa speciali prohibitione ex parte Ordinariorum pœnitentium vel confessariorum. Quandoque parochi proprii sufficientem habere possunt rationem licite obsistendi hujusmodi confessionibus apud alios sacerdotes deponendis; eas vero reddere non possunt nullas, quia non conferunt nec retrahere possunt jurisdictionem.

Diximus *extra tempus paschale ;* quia confessio annualis tempori paschali nunc affixa, alieno sacerdoti fieri non potest, sine proprii parochi licentia, ex canone *Omnes utriusque sexus.* Sed ex variis summorum Pontificum decretis, v. g., ex bulla *Superna* Clem. X, et ex consuetudine, huic canoni derogatum est. Unde concilium Rhedonense, anno 1849 celebratum, declaravit confessionem annualem fieri posse omni sacerdoti approbato, sicut quæcumque alia confessio, et parochi tenentur publice nuntiare, præsertim in Quadragesima, licentiam fidelibus concessam ; eos exinde hortentur, omni repugnantia vel difficultatis prætextu amoto, ad confessionem diligenter tempore opportuno, faciendam. Videatar insuper Bened. XIV, Inst. 18, n. 9.

Jure communi aut potius consuetudine generaliter recepta, extranei et iter agentes qui in aliena diœcesi vel parochia tempore Paschatis existunt, ibi præcepto confessionis et communionis satisfacere possunt ; non ita qui sic consulto abessent ut directioni et vigilantiæ proprii parochi se subtraherent.

III. Quomodo cessat jurisdictio delegata. — Delegata jurisdictio vel concessa est ad tempus determinatum, v. g., ad annum, et adveniente termino præfixo, exspirat, sine positiva revocatione; vel data est sine limitatione temporis, et tunc perseverat donec revocata fuerit, quia juxta regulam 16 juris, in Sexto, *Decet concessum a principe beneficium esse mensurum :* et aliunde jurisdictionis delegatio apud omnes habetur ut gratia. Ergo.

Non cessat ergo per mortem delegantis : ita statuitur in Sexto, l. III, tit. 4, cap. 36 ; nec pariter per demissionem, suspensionem, interdictum aut depositionem ejus.

Plures arbitrati sunt jurisdictionem delegatam sub ea clausula *ad beneplacitum nostrum*, etsi generalem, per mortem delegantis exspirare, alii vero admittunt eam perseverare donec a successore revocetur, et ita fert consuetudo apud nos recepta. Qui ejusmodi delegatam habent jurisdictionem, ea utuntur post mortem aut demissionem episcopi.

Secus esset dicendum de particulari delegatione ad recipiendam confessionem talis vel talis personæ, confessione nondum incœpta. S. Lig., l. VI, n. 559.

Requiritur ut revocatio sufficienter delegato manifestata fuerit : hinc absolutiones datæ inter revocationem et manifestationem ejus validæ sunt.

Verum cum delegatio a sola voluntate delegantis pendeat, semper revocari potest a delegante vel a successore aut superiore ejus, etiam sine causa et illicite. De facto revocatur per suspensionem ab homine, per excommunicationem denuntiatam et interdictum.

Notandum episcopum quemlibet presbyterum censuris non ligatum, sive diœcesanum, sive extraneum, delegare posse, imo et censuris, non ab homine nec reservatis Papæ et sibi notis, ligatum, quia eo ipso eum absolvit aut ab irregularitate dispensat.

§ IV. — An qui ex errore communi pro pastoribus ordinariis vel pro delegatis habentur, valide absolvere possint.

I. An jurisdictio possit suppleri. — Omnes generaliter docent eos qui ex errore communi pro pastoribus ordinariis vel pro delegatis habentur, valide absolvere posse, positis quibusdam conditionibus; imo et licite, si error ab ipsorum voluntate non pendeat; nam Ecclesia in eo casu, pro bono spirituali fidelium, ad tollendas anxietates et vitanda scandala, supplet jurisdictionem. Hoc autem, quod aliquo sensu innuitur ex argumento *a pari*, desumpto de jure civili, lege *Barbarius*, de Officio prætorum, probatur tum ex jure canonico, Decreto, part. II, *Causa tertia*, quæst. 7, can. 1; tum ratione; Ecclesia est enim optima mater : atqui talis non esset, si in hujusmodi circumstantia jurisdictionem in gratiam filiorum suorum non suppleret; tum ex communi sensu omnium doctorum, qui in hac materia gravissimi sunt ponderis. Ergo. Vide S. Lig., l. VI, n. 572.

II. Conditiones requisitæ ut suppleatur jurisdictio. — Ut valeat jurisdictio sic delegata, tres requiruntur conditiones, scilicet 1° ex parte confessarii, titulus coloratus; 2° ex parte populi, error communis; 3° ex parte Ecclesiæ, ut jurisdictionem supplere possit.

1° Titulus coloratus, id est, titulus a superiore legitimo acceptus, sed ob defectum occultum, v. g., ob excommunicationem, simoniam aut irregularitatem, nullus, aut valide concessus, sed occulte revocatus. Necessitas hujus tituli fundatur in dispositione juris canonici; ita saltem indicant canonistæ, ut videre est apud *Fagnan*, *Dens*, et inde concludunt actus intrusi semper esse nullos.

Hinc invalida est absolutio ab eo collata cui falsas litteras approbationis confixit, vel delegationem sub falso nomine obtinuit, vel etiam qui delegationem pro tempore fixo, v. g., ad triennium, obtinuit, et elapso hoc tempore confessiones pergit audire : nam, quidquid nonnulli dicant, titulus coloratus ipsi deest. Ita *Layman*, *Sanchez*, S. Congreg. Conc. anni 1683; Bened. XIV, Inst. 84, § 16; S. Ligorius, l. VI, n. 572, contra *Billuart*.

2° Requiritur error communis, talis scilicet quod vitium tituli vel revocatio ejus communiter ignoretur apud populum, in loco ubi suscipitur confessio; alioquin non metuendum esset damnum publicum. Attamen Ecclesia non supplet jurisdictionem nisi ad vitandum malum publicum. Ergo. Unde error unius aut alterius, etiam invincibilis, jurisdictionem sacerdoti non conferret. Si rumor serperet inter populum circa validitatem tituli aut circa officii revocationem, qui peccata confiteri vellet, teneretur antea veritatem rumoris inquirere, *ut patet :* si autem, adhibita diligenti inquisitione, dubium maneat, valide sacerdos absolvere potest, quia injustum esset illum, in dubio, possessione certa privare.

3° Requiritur ut Ecclesia defectum supplere possit; secus error communis et titulus coloratus frustra invocarentur. Hinc si impostor non sacerdos, exhibitis falsis testimoniis, officium parochi aut vicarii obtineat, omnes ejus actus sunt nulli, quia potestatem ordinis Ecclesiæ

supplere non potest, nec alios defectus juris naturalis aut divini, sed solos defectus juris ecclesiastici.

Quæritur 1° an ex solo errore communi, sine titulo, Ecclesia suppleat jurisdictionem.

R. Plures affirmant, inter quos card. *de Lugo, Sanchez, Bonacina, Billuart*, etc., quia, inquiunt, posito errore communi, eadem in detrimentum animarum sequuntur incommoda ac si titulus coloratus existeret : Ecclesia autem jurisdictionem supplere potest : ergo eam supplet. Alii vero non pauci negant, præcipue quia talis jurisdictio potius præsumitur quam judicatur existere ; est igitur dubia : porro jurisdictione dubia uti non licet. Attamen, propter rationem alterius sententiæ, optandum esset, inquit *Collet*, Contin. *Tournely*, pastores, id est episcopos, jurisdictionem in eo casu supplere.

Quæritur 2° an liceat uti jurisdictione probabili in personas vel in peccata.

R. Concina, Antoine, et alii absolute negant, quia bi de valore sacramentorum agitur, opinionem etiam probabilissimam, relicta tutiori, amplecti non licet. *Billuart* et multi alii affirmant, contendentes Ecclesiam in eo casu jurisdictionem supplere, ex hypothesi quod reipsa non existat, quia alioquin confessarii sæpe forent anxii circa veritatem suæ jurisdictionis et pœnitentes circa validitatem absolutionis. Ad aliorum argumentum respondetur non licere quidem uti opinione probabilissima, sed minus tuta, relicta tutiori, ubi agitur de materia sacramentorum necessaria quam Ecclesia supplere non potest : at ibi agitur de jurisdictione quæ potestatem Ecclesiæ non excedit.

Quidquid sit, illicitum est uti tali jurisdictione extra casum necessitatis, ut, v. g., si sacerdos in peccato mortali constitutus celebraturus esset, et copiam non haberet confessarii jurisdictionem certam possidentis. Ita ipso *Billuart*, S. Ligorius *et communiter theologi*.

§ V. — Quinam a peccatis reservatis absolvere possint.

I. Quid casus reservati. — Casus reservati quædam sunt delicta ratione sui vel scandali atrociora circa quæ jurisdictio in inferioribus presbyteris limitatur. Reservatio igitur non est censura, cum non sit proprie pœna, sed limitatio jurisdictionis : unde ignorantia non tollitur. Finis illius est ut populus enormitatem peccati, quod difficilius remittitur, apprehendat, et graviores causæ peritioribus committantur.

Ut peccatum censeatur reservatum, plures requiruntur conditiones, quæ sequentibus exprimuntur versibus :

Completum, externum, certum, mortale, favores
Auge, odium stringe a potiori illatio non est ;
Mas annos habeat bis septem, femina bis sex ;
Solvo mandantes, quando non jura reservant.

Itaque 1ª, *peccatum debet esse mortale.* Cum enim peccata venialia non sint materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ, repugnat ea reservari : unde si peccatum e natura sua mortale, ex ignorantia vel inadvertentia fiat veniale, jam non est reservatum.

2ª, *debet esse externum et mortale quatenus externum.* — a) *Externum :* quia sic semper intellecta est reservatio et quidem recte, cum in internis mortalia a venialibus difficile secernantur; — b) *mortale quatenus externum :* unde levis percussio clerici cum intentione eum graviter percutiendi, non esset reservata.

3ª, *debet esse completum* et in ea specie quæ reservatur consummatum ; quia juxta regulam juris 15, in Sexto, *Odia restringi convenit :* igitur qui hominem graviter vulnerat, ex intentione illum occidendi, reservationem cui subjacet homicidium non incurrit.

4ª, *requiritur ut a pubere fuerit commissum.* Quamvis enim nulla lex generalis reperiatur in jure qua impuberes a reservatione excipiantur, est tamen sententia communis eos tali restrictioni non subjacere, nisi superior

ecclesiasticus expresse declaraverit. Ætas autem pubertatis determinata est quatuordecim annorum pro maribus, duodecim pro feminis.

5ª, *debet esse certum*, id est, certo commissum, et omnibus supradictis conditionibus certo vestitum et in confessione nondum remissum; quia, cum reservatio sit odiosa, ad rigorosum verborum sensum restringenda est. In dubio autem an peccatum aliunde certum, sub lege reservationis sit comprehensum, scinduntur theologi. Juxta multos pars tutior est eligenda et standum est pro lege, nisi superior aliud expresse declaraverit.

6ª, reservatio extendi non debet ultra propriam verborum significationem, quia *odia restringi et favores convenit ampliari*. Unde, reservato homicidio, solus homicida reservationi subjacet, non vero mandantes, licet magis rei esse possint : ideo conclusio *a fortiori* non valet.

II. De potestate Ecclesiæ quædam peccata reservandi. — His superius notatis, sit

PROPOSITIO.

Summus Pontifex et episcopi jus habent quosdam sibi reservandi casus.

Prob. 1° *concil. Trid.*, sess. 14, cap. 7 : « Magnopere » ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis » patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et gra- » viora crimina, non a quibusvis, sed a summis sacerdo- » tibus duntaxat absolverentur : unde merito Pontifices » maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa » tradita, causas aliquas criminum graviores suo potue- » runt peculiari judicio reservare.

» Neque dubitandum est..... quin hoc idem episcopis » omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen » non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tra- » dita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, » præsertim quoad illa quibus excommunicationis cen- » sura annexa est. » Et canone 11 : « Si quis dixerit epi-

» scopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad » externam politiam..... anathema sit. »

Prob. 2° *constanti usu et praxi Ecclesiæ.* Et revera jurisdictio pendet a voluntate Ordinariorum : ergo limitari potest saltem in delegatis. Major est difficultas pro inferioribus Ordinariis : attamen, cum superior veram habeat jurisdictionem in eos, v. g., summus Pontifex in episcopos, non repugnat quod illorum jurisdictionem intra certos limites coerceat, ad sensum concil. Trid.

Colliges reservationem factam sine causa et injuste, graviter quidem illicitam esse ex parte superioris, et tamen validam, quia jurisdictio pendet a voluntate Ordinarii.

III. Casus reservati tum summo pontifici, tum episcopis. — 1° Exustio voluntaria ædificiorum, aut sacrorum, aut profanorum, cum incendiarius est ob hoc nominatim et publice denuntiatus. *Decretal.*, l. v, tit. 39, cap. 19; *Giraldi*, t. II, p. 735.

2° Effractio cum spoliatione sacrorum ædium aut monasteriorum, post effractoris et spoliatoris excommunicationem nominalem denuntiatam. *Reiffenst.*, t. III, p. 278 *Giraldi*, t. II, p. 666.

3° Simonia publica, sive in Ordinibus, sive in beneficiis, realis ex utraque parte; id est, hinc dato spiritali, inde temporali, saltem in aliqua parte. *Extrav. comm.*, lib. v, cap. 2. Confidentia similiter publica : mediatores et procuratores comprehenduntur in utroque casu. *Reiffenst.*, t. III, p. 117.

4° Occisio, mutilatio, vel atrox percussio clerici in sacris Ordinibus constituti et clericali habitu induti; vel religiosi, sive professi, sive novitii, habitum religionis gestantis; sive monialis professæ aut novitiæ habitu sacro indutæ. *Decret.* part. II, causa 16, quæst. 4, can. 29, col. 129.

5° Percussio etiam non atrox, sed graviter injuriosa episcopi, alterius prælati, vel superioris ecclesiastici, ut parochi. *Decretal.*, l. v, tit. 39, cap. 5 et 17; *Giraldi*, t. II, p. 71; S. Lig., l. VI, n. 298.

6° Falsificatio bullarum vel litterarum apostolicarum. *Decretal.* l. v, tit. 20, cap. 7; *Giraldi*, t. II, p. 683.

Nota 1° prædictos casus, si sint occulti, proprio delinquentium episcopo, cum sua censura, esse reservatos; siquidem « licet episcopis in quibuscumque casibus occul- » tis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quos- » cumque sibi subditos in diœcesi sua absolvere. » *Concil. Trid.* sess. 24, de Reform. cap. 6. Illi autem casus reputantur occulti, qui in judicio non fuerunt probati et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, ut si paucis, v. g., tribus aut quatuor personis discretis innotescerent, aut si factum appareret dubium.

Quoniam casus papales ob excommunicationem præcipue reservantur, si excommunicatio ob ignorantiam non incurratur aut tollatur, eo ipso, ex communi doctorum sententia, cessat reservatio. Sacerdos a Papa delegatus ut a peccato ei reservato absolvat, eo ipso ab excommunicatione eidem peccato annexa absolvere potest. Ita generaliter theologi et cum iis *Billuart*.

Nota 2° episcopum ab iisdem casibus etiam non occultis absolvere posse regulares, moniales, feminas, paupères, senes, valetudinarios, et denique eos omnes qui Romam moraliter adire nequeunt. *Ferraris*, v° *Absol.*, art. 1, n. 6; S. Lig. l. vi, n. 585, et l. vii, n. 85.

Nota. 3° percussionem clerici non atrocem, vel clerici Ordinibus sacris non initiati, episcopo tantum reservari.

Nota 4°. Præter hos casus summo Pontifici reservatos, alii sunt in jure communi expressi; sed in his regionibus rarissime eveniunt : alii vero multo frequentius occurrentes reperiuntur in bulla *In cœna Domini*.

Casus autem episcopis reservati pro diœcesibus variantur. Legendi sunt in Ritualibus, vel in libellis eos continentibus.

Si reservatio facta sit propter censuram, ubi censura non incurritur vel tollitur, cessat reservatio. Sic in jure plurimæ annexæ sunt censuræ casibus qui non declarantur reservati; sublatis censuris, nulla existit reservatio.

Quando illæ censuræ non declarantur reservatæ, nulla est reservatio.

Si censuræ illæ sunt reservatæ, vel agitur de excommunicatione, et tunc confessarius pro reservatis non approbatus, pœnitentem absolvere nequit, *ut patet :* si vero agatur de suspensione, eum absolvere potest, siquidem suspensio et irregularitas a sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ non excludunt.

Facultas igitur absolvendi a casibus reservatis distingui potest a facultate absolvendi a censuris et a facultate dispensandi ab irregularitatibus occultis.

Sciat ergo quilibet sacerdos ad audiendas confessiones deputatus, quænam facultates sibi fuerint concessæ et eas non prætergrediatur.

Qui obtinet ab episcopo facultatem a determinatis casibus reservatis absolvendi, eo ipso ab excommunicatione eis annexa absolvere potest, alioquin reipsa non posset absolvere. Idem dici non potest de suspensione et irregularitate, *ut patet.*

IV. De potestate absolvendi peccata reservata. — Ex eo quod summus Pontifex et episcopi jus habeant quædam peccata reservandi, sequitur quemlibet sacerdotem etiam jurisdictione ordinaria pollentem ea remittere non posse; quod ad majorem elucidationem infra explicatur.

PROPOSITIO.

Extra mortis articulum vel probabile ejus periculum, solus superior, cui casus reservantur, vel ipsius delegati, ab eis valide absolvere possunt.

Prob. ex conc. Trid., sess. 14, cap. 7, in fine. « Extra » quem articulum, sacerdotes, cum nihil possint in casi» bus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere ni» tantur ut ad superiores et legitimos judices pro bene» ficio absolutionis accedant. »

Idem constat ratione. Absolutio sine jurisdictione nulla est : reservatio autem est limitatio jurisdictionis, quæ

tolli non potest nisi a superiore cui casus reservantur, vel ab ipsius delegatis : ergo.

Diximus *in articulo mortis*, quia ex jure communi, tunc nulla est reservatio, et qui in eo casu a sacerdote pro reservatis non approbato fuit absolutus, si supervixerit, ad approbatum pro reservatis recurrere non tenetur; peccatum enim semel remissum non reviviscit, nec censura ei annexa, si absolutione sublata sit, per se renovatur.

Hinc 1° Absolutio ab inferiori sacerdote, specialiter non delegato, extra periculum mortis concessa, quatumvis ex ignorantia et inadvertentia id fiat, est jure communi nulla : attamen statuitur in nostra diœcesi, ex indulgentia charitatis, ut pœnitens qui bona fide casus reservatos confitetur confessario approbato quidem, sed non pro reservatis, valide absolvatur; et confessarius, si ex contemptu legis vel ex ignorantia graviter culpabili sic egerit, suspensionem ipso facto incurrat.

Confessarius pro reservatis non approbatus, a non reservatis eumdem pœnitentem absolvere nequit, *ut patet*, nec idcirco pergere debet in audienda confessione si advertat existere casum reservatum, nisi præsumat se licentiam a superiore obtenturum, et pœnitens in dilationem absolutionis consentiat.

Juxta S. Lig. l. VI, n. 585 communis sententia est simplicem confessarium posse indirecte absolvere a reservatis, quando facultas peti nequit a superiore et gravissimum incommodum ex mora secuturum est.

2° Qui a Sancta Sede pro casibus pontificis delegaretur, non ideo pro casibus episcopo reservatis approbatus esset, quia unum in altero non comprehenditur. Nec qui pro casibus episcopalibus est approbatus, a casibus pontificiis episcopo devolutis absolvere posset, nisi hoc expressisset episcopus in suis litteris aut verbis : concilium enim Trid. specialem requirit delegationem, quod *Suarez* et alii intelligunt de delegatione expressa.

3° Si absolutio, ex debita auctoritate ordinaria vel delegata concessa, sit formaliter nulla, id est sacrilega e

parte pœnitentis, non tollitur reservatio, nisi superior hoc expresse voluerit; quod sane præsumi non potest. Si autem simpliciter sit nulla, communis sententia est tolli reservationem, quia pœnitens finem legis sufficienter attigisse videtur. Ita Coll. Andeg., S. Ligorius, l. VI, n. 598, cum multis aliis.

4° Qui in una diœcesi simpliciter est approbatus, absolvere potest pœnitentes alterius diœcesis ad se bona fide accedentes a casibus in ea diœcesi, non in sua reservatis; quia reservatio, cum sit limitatio jurisdictionis, confessarium et non pœnitentem afficit. Aliunde causa delicti finienda est secundum jura loci in quo judicium exercetur. Secus, si pœnitens in fraudem legis, id est, ad declinandam disciplinæ suæ diœcesis severitatem, vel simpliciter ut facilius absolvatur. Sic, cum multis, S. Ligorius, l. VI, n. 589.

5° Si quis bona fide peccatum reservatum oblitus, a confessario pro reservatis approbato rite absolvatur, tollitur reservatio, ac proinde peccatum istud cuilibet confessario simpliciter approbato confiteri potest.

Permultæ sunt aliæ difficultates in intricatissima hac materia, ut videre est apud Collatorem Andeg., S. Ligorium aliosque theologos. Eas nec solvere, nec exponere intendimus : in nostra diœcesi et in multis aliis, ut nobis videtur, facultas a reservatis et censuris eis annexis absolvendi, omnibus confessariis ipsisque vicariis et presbyteris habituatis nunc conceditur, ne in miseris nostris temporibus reservatio in destructionem potius quam in ædificationem vergat. Semper tamen excipitur peccatum contra castitatem exterius commissum, a quo sacerdos complicem, extra mortis articulum, nunquam absolvere potest, ut in Supplemento ad Tractatum *de Matrimonio* ostendimus. Excipiuntur etiam suspensiones in statutis diœcesanis nostris anni 1851 expressæ, tit. 4, cap. 3.

§ VI. — De juridictione in articulo mortis.

Duæ hic occurrunt quæstiones distinctæ, licet inter se affines, nempe 1° quinam in articulo mortis absolvere possint a communibus peccatis; et 2° quinam a reservatis.

I. De potestate absolvendi peccata communia in articulo mortis. — Fere omnes theologi concedunt quosvis sacerdotes in communione Ecclesiæ viventes absolvere posse, vi jurisdictionis quæ jure communi ipsis pro tunc delegatur, deficiente confessario approbato. Hoc patet ex Rituali Romano et ex communi theologorum doctrina.

At multi negant de iis qui ab unitate Ecclesiæ præcisi sunt, ut schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, irregulares, degradati, apostatæ, et nituntur 1° auctoritate S. Thomæ, qui in 3ª part., q. 82, art. 7, ad secundum, asserit hujusmodi sacerdotes, præter baptismum, in nullo casu alia sacramenta conferre posse; 2° veteri disciplina ante concilium Tridentinum ubique recepta, cui concilium derogare noluit; 3° declaratione S. Cong. Concil. pronuntiantis decretum capitis 7, sess. 14, de sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus intelligendum esse. Sic *Concina*, t. XX. Hæc decisio vero multis non videtur authentica.

Alii vero communissime affirmant prædictos sacerdotes a communione Ecclesiæ etiam notorie et nominative præcisos, in articulo mortis valide absolvere, defectu alterius sacerdotis in unitate catholica viventis, tum quia præsumendum est Ecclesiam in tali extremitate jurisdictionem supplere; tum quia ita multi sentiunt doctores, inter quos Navarrus, *Sanchez*, *Suarez*, *de Lugo*, *Soto*, Sylvius, *Tournely*, *Billuart*, *Dens*, *Ferraris*, etc.; tum quia hæc sententia in pluribus traditur Ritualibus et a multis admissa est episcopis Gallicanis tempore schismatis anni 1791; tandem quia Pius VI, hac de re consultus, respondit, die 1ª aprilis 1794, « non esse im-» probandam rationem quam inierunt nonnulli Gallicani » præsules, qui in articulo vel periculo mortis, Pœniten-

» tiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium » tabula, a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis in- » trusis, recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio » catholico sacerdote. » *Collection générale des Brefs*, t. II, p. 482. Ergo supponit ille Pontifex opinionem quæ stat pro validitate absolutionis esse saltem probabilem, alioquin eam improbasset. Cum autem, in necessitate, opinione probabili uti liceat, inde sequitur licitum esse et expedire absolutionem ab hujusmodi sacerdote, aliorum defectu, excipere.

Quoniam vero nostra opinio est duntaxat probabilis, si, confessione peracta, catholicus occurreret sacerdos, tutius manifeste esset eam iterare.

II. De potestate absolvendi peccata reservata in articulo mortis. — Certum est nullam esse reservationem in articulo mortis, ut expresse declarat conc. Trid., sess. 14, cap. 7, his verbis : « Verumtamen pie admo- » dum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia » Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in » articulo mortis; atque omnes sacerdotes quoslibet pœ- » nitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere pos- » sunt. »

Auctoritates modo allatæ probant etiam hanc facultatem absolvendi a reservatis in articulo mortis, ipsis similiter communicari sacerdotibus ab unitate Ecclesiæ præcisis, saltem deficiente catholico sacerdote etiam non approbato.

Nota. In omnibus quæ diximus, sub nomine articuli mortis comprehenditur etiam probabile ejus periculum, quamvis inter utrumque aliquod existat discrimen. Ita fere omnes theologi, ut videre est apud *Concina*, *Ferraris*, v° *Jurisdictio*, n. 27; S. Ligorium, l. VI, n. 561. Tale autem periculum adesse censetur in prælio, in longa navigatione, si confessarius non sit adfuturus, in partu difficili, etc. In multis diœcesibus id latius, ex speciali concessione, extenditur. Unusquisque statutis propriæ diœcesis stare debet.

Quæritur an simplex sacerdos, præsente approbato, moribundum in articulo mortis absolvere possit.

R. Plures affirmant, dicentes concilium Tridentinum jurisdictionem in articulo mortis omnibus sacerdotibus indistincte conferre, et ampliandos esse favores, odia vero restringenda. Sed communissima est sententia negans, hoc innixa fundamento, scilicet, jurisdictionem ab Ecclesia in sacerdotibus non approbatis suppleri propter necessitatem : porro dici non potest adesse necessitatem si sacerdos approbatus non deficiat, nisi confessionem excipere et absolutionem impertire nolit; vel forte, nisi ægrotus, tanta corripiatur repugnantia erga approbatum, ut conscientiam suam ei aperire nequeat, vel si confessio simplici sacerdoti jam incepta sit quando supervenit approbatus. Ita *Collet*, S. Ligorius et plures alii.

§ VII. — De approbatione.

I. Quid sit approbatio et an sit necessaria. — Approbatio est judicium authenticum superioris de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipiendas, cum consensu ut jurisdictionem obtineat, vel habita utatur. Ratio hujus definitionis ex verbis concilii Tridentini mox referendis desumitur.

Notandum est, ante concilium Tridentinum, omnes pastores ordinarios, sive episcopos, sive parochos, sive vicarios perpetuos, jurisdictionem in animas sibi commissas quibusvis sacerdotibus delegare potuisse : sed frequenter contingebat sacerdotes audiendis confessionibus minime idoneos advocari, idque in ingens animarum detrimentum; quod malum sancta synodus Tridentina præcavere volens, statuit ut deinceps nullus sacerdos delegari posset, nisi prius ab episcopo idoneus judicatus esset, et approbationem obtinuisset : sic se habet sancta synodus, sess. 23, cap. 15 de Reform.

« Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis » absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta » synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones » sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id ido- » neum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab

» episcopis per examen, si illis videbitur esse necessa-
» rium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem
» quæ gratis detur obtineat : privilegiis et consuetudine
» quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. »
Circa hoc decretum plurima sunt observanda, scilicet :

1° Approbationem necessariam esse ad validitatem sacramenti : nam qui non est idoneus ad audiendas confessiones, valide absolvere non potest; talis est sensus obvius, et ita omnes verba concilii intelligunt.

Non tantum pro mortalibus nondum confessis, sed pro venialibus et mortalibus jam remissis requiritur approbatio, ut docet Bened. XIV, Inst. 86, § 8.

2° Approbationem cunctis necessariam esse sacerdotibus beneficium parochiale non habentibus, etiam doctoribus, sive sæcularibus, sive regularibus.

3° Illam necessariam non esse parochis ad absolvendos parochianos suos ubicumque, bene vero, juxta communiorem sententiam, ad audiendas confessiones fidelium alterius parochiæ, sive apud se, sive alibi. Sub hoc respectu indigent jurisdictione delegata. Caveant ne limites sibi assignatos excedant.

4° Necessaria est approbatio pro confessionibus omnium sæcularium etiam sacerdotum, non vero pro confessionibus regularium qui, secundum jus antiquum cui concilium Tridentinum non derogavit, sacerdotibus regularibus, vel etiam sæcularibus, cum sola licentia superioris, confiteri possunt.

5° Cum approbatio a sola voluntate libera episcopi vel vicarii ejus generalis pendeat, limitari potest quoad locum, tempus, personas et peccata : hinc qui pro solis viris approbatur, mulieres audire non potest et invalide eas absolveret. Propter eamdem rationem, approbatio injuste denegata vel sine causa revocata, nihilominus est nulla, et invalida foret absolutio.

6° Quamvis approbatio a delegatione jurisdictionis separari possit, sicut diploma capacitatis ab institutione magistri pro scholis primariis nunc distinguitur, mos tamen invaluit, a conc. Tridentino, ut episcopi jurisdic-

tionem simul cum approbatione conferrent et eodem modo limitatam. Unde nunc parochi jurisdictionem delegare non possunt, siquidem eligere tenentur inter approbatos, et hæc disciplina viget in Belgio sicut in Gallia.

Quæritur an pro audiendis confessionibus monialium specialis requiratur approbatio episcopi.

R. Affirmative, etiam pro monialibus a jurisdictione episcopi exemptis. Patet 1° ex Constitutione Gregorii XV *Inscrutabili*, a Benedicto XII anno 1726 confirmata; 2° ex praxi communi Ecclesiæ; 3° ex decretis S. Congr. Conc. resolventis : — a) monialium confessiones auditas sine speciali approbatione esse nullas; — b) approbatum pro excipiendis confessionibus mulierum, non ideo censeri approbatum pro monialibus; — c) approbatum pro uno monasterio, non censeri pro alio monasterio approbatum. Hæc autem omnia confirmavit Clemens X, anno 1670, bulla *Superna magni patrisfamilias*. Ergo.

Nomine monialium, hic solæ intelliguntur mulieres vota solemnia emittentes et in claustro viventes; non vero illæ quæ vulgo dicuntur *Sœurs de charité*, et aliæ similes quæ vota simplicia emittunt. Certum est tamen episcopos statuere posse ut pro his audiendis specialis obtinenda sit approbatio. Apprime igitur noscere debent confessarii quid in singulis diœcesibus statutum fuerit in ordine ad confessiones hujusmodi sororum.

Moniales cum debita licentia iter agentes aut alia de causa extra monasterium degentes, apud quemlibet confessarium approbatum peccata sua deponere possunt, quia *odia restringi convenit*.

Confessarii monialium ab ipsis eligi non possunt, sed ab episcopo loci eligi et approbari debent. Ex prohibitione sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 4 martii 1591, confessarii monialium ad triennium duntaxat approbari debent, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio, sine licentia sacræ Congregationis. Sed illa dispositio sæpius apud nos in usu non est. Cum ad ministerium istud speciales requi-

rantur dotes, non facile inveniuntur idonei monialium confessarii. Qui pro illis audiendis semel sunt indefinite approbati auctoritatem suam non amittunt nisi per revocationem, demissionem acceptatam aut mortem.

« Præter ordinarium autem confessorem, alius extra- » ordinarius ab episcopo et aliis superioribus, bis aut ter » in anno, offeratur, qui omnium confessiones audire » debeat. » Sunt verba conc. Trid., sess. 25, de Regularibus et Monialibus, cap. 10.

Videnda sunt quæ dicturi sumus in t. V, ubi de monialium confessariis.

II. A QUO REPETENDA SIT APPROBATIO. — Episcopus autem, cujus approbatio requiritur, est episcopus loci in quo audienda est confessio; ut communiter docent auctores, ex variis summorum Pontificum Constitutionibus et ex praxi recepta. S. Lig., l. VI, n. 549. Si autem approbatio episcopi pœnitentis etiam necessaria sit, ut multi dicunt, sufficienter data intelligitur ex consuetudine generali, saltem quando iste episcopus expresse non obsistit. *Collet* in Curs. complet. t. XXII, col. 763.

Quæritur an capellani militum seu missionarii castrenses approbatione episcoporum indigeant.

R. Certum est illos absolvere non posse milites absque legitima approbatione; sed quæstio est an approbatio majoris capellani regii (*du grand aumônier*), si existat, eis sufficiat, an vero requiratur approbatio episcopi loci.

Cum majores capellani regii sola auctoritate civili fuerint instituti, nullam habent jurisdictionem ecclesiasticam ratione sui tituli, nec proinde eam delegare possunt, nisi facultatem id faciendi a Sede Apostolica obtinuerint.

Clemens XII, brevi diei 4 februarii anni 1736, precibus Philippi V, Hispaniarum regis, inclinatus, concessit majori capellano ab ipso pro tempore deputato, facultatem per se vel per alios sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos, sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad exercitus regios

(comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes. Eamdem facultatem Benedictus XIV concessit, die 28 maii 1746, majori capellano Caroli-Emmanuelis III, regis Sardiniæ.

In Gallia Ludovicus Napoleo III, Francorum imperator, a Pio IX petiit ut major capellanus constitueretur : quod concessit summus Pontifex, brevi diei 31 martii 1857. Idcirco major capellanus tribuere potest capellanis exercitus facultatem absolvendi a quibusvis peccatis et censuris tum militares copias tum personas omnes illarum servitio pertinentes, pro temporibus quibus militares copias extra Galliarum imperium ac territoria imperiali ditioni subjecta iter facere ac per aliquod temporis spatium manere contigerit, excepta semper alma Urbe ac pontificia ditione. Eadem facultas majori capellano constituta est pro personis familiæ imperialis, et cæteris quæ in palatiis imperialibus degunt.

« Capellani exercituum nequeunt absolvere milites » degentes in præsidiis sine facultate Sedis Apostolicæ » aut licentia Ordinarii, e pluribus S. Cong. decretis. » S. Lig., l. VI, n. 577.

A fortiori capellani scholarum militarium approbatione episcopi indigent.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII.

Inter obligationes confessarii, aliæ spectant confessionem, aliæ absolutionem, et aliæ sigillum.

§ I. — De obligationibus confessarii quæ spectent confessionem.

Necesse est 1° ut confessarius habeat probitatem; 2° scientiam; 3° prudentiam; 4° ut confessionibus audiendis paratum se præbeat; 5° ut pœnitentes prudenter interroget; 6° ut ignorantes moneat; et 7° ut contritionem in frigidis et obduratis excitare conetur.

Sectio prima. — *De probitate in confessario necessaria.*

Nomine probitatis requisitæ in ministro sacramenti Pœnitentiæ, quam alii vocant bonitatem, duo intelliguntur, videlicet : status gratiæ justificantis, habitualiter existentis, vel recuperatæ per ipsum Pœnitentiæ sacramentum, aut saltem per contritionem perfectam; dein eminentia in virtutibus ad munus confessarii rite obeundum necessariis, v. g., in pietate erga Deum, in charitate, compassione et misericordia erga proximum, in sollicitudine erga propriam salutem, etc.

I. De necessitate status gratiæ apud confessarium. — *Certum est* 1° statum gratiæ in ministro Pœnitentiæ non necessarium esse ad validitatem sacramenti, ut in Tractatu *de Sacramentis in genere*, cap. 5, art. 1, ostendimus.

Certum est 2° sacerdotem Pœnitentiæ sacramentum licite administrare non posse, nisi sit in statu gratiæ : id constat ex Tractatu *de Sacramentis in genere*, in quo probatur eum qui sacramentum aliquod in statu peccati mortalis scienter ministrat, mortaliter peccare. Sacerdos igitur peccato mortali inquinatus, tot admittit peccata mortalia quot dat absolutiones, quia tot sunt sacramenta e parte ipsius profanata, ac proinde tot sacrilegia numero distincta. Ita communissime theologi contra paucos qui volunt unicam esse in Deum irreverentiam, si confessiones successive et sine interruptione fuerint auditæ; quia, inquiunt, eadem est actio moralis, sicut actio plura vasa sacra simul furandi. Imo probabile est eum qui in statu peccati mortalis confessionem audit, et absolutionem ob justam rationem differt, vel antequam eam concedat perfecte conteritur, mortaliter peccare; quia magnam ministerii sui partem indigne exercet, et manifesto se exponit periculo aut pœnitentem injuste remittendi, aut sacrilege eum absolvendi.

Si quis tamen improviso ad moribundum vocatus, tempus se recolligendi non habeat, aut bona fide falso credat

se perfecte conteri, non peccat absolvendo. S. Ligorius, l. VI, n. 617.

II. De necessitate virtutis apud confessarium. — *Certum est* ministrum sacramenti Pœnitentiæ multis virtutibus pollere teneri ut munere suo digne fungatur, tum ad gloriam Dei promovendam, tum ad proximum recte ducendum, tum ad seipsum inter innumera pericula custodiendum atque salvandum : impossibile est quippe confessarium, de colendis virtutibus christianis parum sollicitum, eas pœnitentibus efficaciter persuadere, et multa non admittere peccata.

Sectio secunda. — *De scientia in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisita.*

I. An in confessario quædam requiratur scientia. — Certum est aliquam scientiam requiri in confessario, saltem ut munere suo licite fungatur : nam officium judicis, medici et ministri sacramenti exercet : at sub triplici hoc respectu aliquam scientiam habere tenetur.

1° *Ut judex.* Tunc scire debet quæ sit ipsius potestas, pro quo tempore, ad quas personas et ad quæ peccata se extendat; quæ dispositiones in pœnitentibus requirantur, quis dolor, quod propositum non peccandi de cætero; quid sit peccatum, quid non, quæ peccata ex genere suo sint mortalia, quæ venialia; quæ species peccati, quæ circumstantiæ in confessione explicandæ; quandonam peccata multiplicentur numero; quænam obligationem restituendi, aut famam reparandi, vel parti læsæ satisfaciendi inducant; quænam sint reservata et censuram aliquam sibi annexam habentia, etc., etc. Porro hæc omnia scientiam aliquam requirunt. Ergo 1°.

2° *Ut medicus.* Eo titulo scire tenetur ea quæ pertinent ad iterationem confessionum, si invalidæ fuerint; ad amovendas occasiones peccatorum, ad tollendos eorum habitus et radices, ad injungenda opportuna remedia, ad desperantes erigendos, pusillanimes confortandos, afflictos consolandos, duros emolliendos et ad compunctionem excitandos.

3° *Ut minister*, validitatem et honorem sacramenti procurare debet. Necesse est igitur ut sciat quidquid ad debitam administrationem ejus pertinet, scilicet materiam, formam, conditiones in pœnitente requisitas, et denique regulas in Scriptura, traditione et canonibus Ecclesiæ fundatas. Ergo.

Horum autem scientiam comparabit continua Scripturæ sacræ meditatione, juris canonici et theologiæ moralis studio, librorum spiritualium lectione, virtutum christianarum exercitatione et assidua orationis mentalis praxi.

II. Quænam requiratur scientia in confessario. — Diximus 1° *aliquam* in eo *requiri scientiam*; non enim summa scientia necessaria est, sed mediocris sufficit, ea scilicet qua confessarius intelligat quæ frequentius accidunt et in difficilioribus prudenter dubitet, ac pœnitentem ad doctiorem virum remittat; vel ipse doctiores aut libros consulat, suspensa interim absolutione, vel etiam aliquando concessa, si pœnitens promittat se facturum quod fuerit determinatum.

Major autem vel minor requiritur scientia pro diversitate locorum et personarum : sic major necessaria est eis qui audituri sunt confessiones in civitatibus vel in aulis principum, quam eis qui ministerium suum in pagis vel in collegiis tantum exercituri sunt; major pro audienda confessione presbyterorum quam monialium, etc.

Diximus 2° *saltem ut munere suo licite fungatur :* vix enim contingere potest ut absolutio sit nulla defectu scientiæ in confessario; quia, supposita materia legitima et forma integra, sufficit, ex communi doctorum sententia, ut minister peccata sub generali notione offensæ Dei cognoscat; porro fere impossibile est sacerdotem rationis compotem adeo ignarum esse ut peccata saltem sub hac ratione generali non apprehendat : ergo.

Attamen aliquo sensu, confessio fieri potest nulla per accidens, defectu scientiæ confessarii, in duplici casu : nempe : — a) si pœnitens mala fide quærat confessarium qui peccata ipsius non intelligat et conscientiam pruden-

ter judicare nequeat, quia sufficientes non habet dispositiones ut valide absolvatur; — b) si inter confitendum advertat confessarium quædam peccata non intelligere et apertius ea non dicat, quia præcepto divino confessionis non satisfacit. Hæc tamen potius ad defectum integritatis in confessione referenda videntur.

Confessarii autem qui absque scientia sufficienti tanto muneri se ingerunt, eo ipso mortaliter peccant, et insuper omnes falsæ decisiones quas daturi sunt, in eorum perniciem vertentur totque erunt ipsis peccata mortalia.

Similiter gravissime peccant superiores qui facultatem confessiones excipiendi hujusmodi ignaris concedunt, vel concessam non revocant, cum possunt, quia infinita inde oriuntur mala. Ita *Layman*, *Bonacina*, *de Lugo*, S. Ligorius, etc.

Excusatur tamen sacerdos ignarus qui ob solam necessitatem confessiones audit, v. g., in periculo mortis, alio capaciori deficiente, vel si episcopus, urgente confessariorum penuria, munus confessiones excipiendi ei cujus ignorantiam cognoscit, virtute obedientiæ imponat, et in hoc corrigendus nobis videtur P. *Antoine;* quia longe melius est ut sint confessarii minus docti, sed pii et moribus integri, quam nulli : si bona fide faciant quod in se est, materialiter tantum in falsis decisionibus peccabunt, sacramentum pœnitentibus vere contritis valide administrabunt, sicque salutem eorum absque proprio detrimento efficaciter adjuvabunt. Ergo.

Propter eamdem rationem, a peccato immunes sunt episcopi et vicarii generales qui, deficientibus magis idoneis, tales approbant sacerdotes. Eos tamen moneant de stricta obligatione quantum possunt ediscendi.

Quæritur an confessarius distinctam habere debeat singulorum peccatorum notitiam.

R. Necesse est ut singula peccata, dum accusantur, intelligat, alioquin præceptum de integra confessione facienda non impleretur. Unde confessarius qui, ex notabili negligentia vel ignorantia, peccatum mortale non intelligeret, graviter peccaret; secus si ex inadvertentia,

distractione, ob somnum gravantem, cantum, strepitum, linguam impeditam confitentis, etc., aliquod ipsi excidat peccatum; quia præceptum positivum de integritate confessionis non obligat ad ea quæ sunt moraliter impossibilia. Si tamen pœnitens advertat peccatum mortale a confessario non fuisse intellectum in sua gravitate, illud iterum confiteri tenetur : *sequitur ex dictis, ubi de præcepto divino confessionis.*

At non requiritur confessarium habere notitiam distinctam omnium peccatorum, ut satisfactionem imponat et licite absolvat : sufficit ut statum pœnitentis moraliter cognoscat.

Sectio tertia. — *De prudentia in confessario requisita.*

Prudentia est virtus hominem in quocumque statu spectatum recta via deducens, ut nec deficiat, nec excedat, ideoque aliarum virtutum oculus merito dicitur.

Certe dubitari non potest quin talis virtus confessario maxime sit necessaria, quod in concilio Lateranensi IV, can. *Omnis utriusque sexus*, sic exprimitur : « Sacerdos » autem cautus et discretus sit, ut more periti medici » superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, di- » ligenter inquirens et peccatoris circumstantias et pec- » cati per quas prudenter intelligat quale illi consilium » dare debeat, et cujusmodi remedium adhibere, diversis » experimentis utendo ad sanandum ægrotum. »

Necessaria est ergo prudentia, tum in suscipiendo et interrogando pœnitente, tum in dignoscenda et excitanda ejus contritione, tum in satisfactionibus ei injungendis, tum in servando invialabiliter confessionis sigillo : habenda est ratio ætatis, conditionis, status, sexus ac diversarum pœnitentis dispositionum; alioquin scientia vana esset, ipseque zelus plus noceret quam prodesset; unde recte et pro temporibus nostris sic se habet S. Bernardus, Serm. 49 in Cantica Canticorum : « Sequitur : *Ordinavit* » *in me charitatem;* omnino necessarie. Importabilis si- » quidem absque scientia est zelus. Ubi ergo vehemens

» æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est » ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scien- » tia minus efficax minusque utilis invenitur; plerumque » autem et perniciosus valde sentitur. »

SECTIO QUARTA. — *De obligatione audiendi confessiones.*

I. DE OBLIGATIONE SACERDOTUM QUI JURISDICTIONEM ET CURAM ANIMARUM HABENT. — 1° Parochus et omnis sacerdos habens officium cui annexa est cura animarum, tenetur sub peccato mortali confessiones fidelium sibi commissorum excipere tempore necessitatis et in Paschate : fideles enim ad confessionem in his casibus sub peccato mortali obligantur : porro grave præceptum confitendi pro fidelibus supponit in pastoribus gravem obligationem confessionem excipiendi. Eadem obligatione tenentur vicarii, saltem defectu parochorum, cum ad illos supplendos mittantur.

2° Tenentur insuper audire parochianos quoties hi rationabiliter sacramentum petunt; v. g., ad lucrandum jubilæum, ad honorandum festum, ad proficiendum in pietate, etc. Si tamen nimis frequenter aut intempestive fieret petitio, excusaretur denegatio, quia ipsimet parochi ad id solum quod rationabile est obligantur. *A fortiori* excusarentur si personas devotas quandoque remitterent ut peccatores audirent; imo graviter peccare possunt secus agendo, si omnes audire nequeant; bonus pastor nonaginta novem relinquit oves in deserto, *et vadit quærere eam quæ erravit*. Matth. XVIII, 12. Caveant tamen ne pigritia, impatientia, tædio aliisve motivis veræ pietati non congruis, animas simplices perfectionem christianam excolere cupientes repellant; tunc enim facile mortaliter peccarent.

3° An et quantum periculum vel incommodum subire teneatur, sive pastor, sive alius sacerdos, ad ministrandum Pœnitentiæ sacramentum, deduci poterit ex jam dictis in Tractatu *de Sacramentis*, cap. 5, art. 1, § 4, et ex dicendis

in Tractatu *de Decalogo*, ubi agetur de ordine in charitate servando.

II. De obligatione sacerdotum qui curam animarum non habent. — 1° In articulo vel in periculo mortis, quilibet sacerdos, etiam non approbatus, deficiente approbato, tenetur sub gravi confessionem moribundi audire eumque sufficienter dispositum absolvere, nam in gravi necessitate tenemur ex charitate proximo succurrere.

2° Extra hoc periculum mortis, sacerdotes simpliciter approbati confessiones audire non tenentur, aliis non deficientibus, nisi confessiones audire incœperint; quo in casu eas perficere debent, saltem ex charitate, ne pœnitentes illas iterare cogantur : aliis vero deficientibus, tenentur ex charitate necessitatibus, imo et utilitatibus fidelium subvenire.

Quæritur an in penuria confessariorum simplices sacerdotes possint tuta conscientia munus confessarii repellere, cum illud exercere queunt.

R. Testatur S. Ligorius, l. vi, n. 625, se apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium invenisse discussum : citat tamen libellum auctoris doctrina et pietate commendati, qui expresse docet sacerdotem, ad audiendas confessiones idoneum, sacramentum Pœnitentiæ administrare teneri, quando videt alios deesse confessarios, et ad id se præparare si nondum idoneus sit : refert insuper testimonium P. *Pavone*, e Societate Jesu, viri admodum pii et docti, idem docentis; et ipse eidem sententiæ subscribit, dicens sacerdotes a Christo institutos fuisse ut saluti animarum incumberent, docendo et sacramenta, præsertim Pœnitentiæ et Eucharistiæ, administrando, et ideo in ordinatione sua potestatem remittendi peccata accipere : ergo, saltem in gravi necessitate, potestatem sic divinitus acceptam exercere, et ad hoc se habiles reddere tenentur, ne dicatur quod in vacuum gratiam Dei receperint. Unde Cornelius a Lapide, in Matth. xxv, 18, ubi agitur de eo qui talentum tenuerat absconditum, ait : « Notent hoc qui ingenio, doc-» trina, aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad

» suam aliorumque salutem, ob desidiam vel metum » peccandi; ab iis enim rationem reposcet Christus in » die judicii. »

Nec excusarentur hi sacerdotes dicendo se alio modo saluti animarum incumbere, v. g., precibus, adhortationibus, exemplis, etc.; nam in eo genere subveniendum est proximo in quo laborat : non sufficeret dare vestes pauperi fame morienti : ergo nec sufficit docere et exhortari peccatorem sacramento reconciliationis indigentem.

SECTIO QUINTA. — *De obligatione interrogandi pœnitentes.*

I. DE OBLIGATIONE INTERROGANDI. — Sæpe accidit ut pœnitentes integre non confiteantur, alii ex timidate, alii ex verecundia, alii ex mala fide, alii quia sunt rudes, ignari et in rebus ad salutem spectantibus parum diligentes. In sequenti sectione ostendemus quandoque pœnitentem in ignorantia vel errore relinquendum esse; in eo casu vitandæ sunt interrogationes quæ indirecte monitioni æquivalerent.

Tali circumstantia excepta, certum est confessarium in his casibus integritatem confessionis aptis interrogationibus procurare teneri, et, si ex ignorantia culpabili vel gravi negligentia id omittat, mortaliter peccare : nam officium judicis, medici et ministri sacramenti gerit : atqui hoc triplici titulo pœnitentem in casibus supradictis interrogare tenetur.

1° *Ut judex.* Prudentem enim sententiam ferre non potest, nisi causam integre cognoscat; debet ergo, in quantum opus erit, veritatem aptis interrogationibus exquirere.

2° *Ut medicus.* Numquid ut prudens haberetur medicus qui, audita declaratione ægroti sibi suspecta et incompleta, sine ulla interrogatione remedia statim præscriberet? Ergo *a pari* confessarius imprudenter ageret, si pœnitentem aliquod necessarium tacentem non interrogaret.

3° *Ut minister sacramenti.* Eo enim titulo tenetur efficere, quantum in se est, ut sacramentum rite, juxta ipsius institutionem, administretur : curare igitur debet ut pœnitens integre confiteatur, vere conteratur, satisfacere sit paratus, tum Deo, tum hominibus : porro hæc communiter sine interrogationibus obtinere non potest : ergo. — Hæc assertio nostra confirmatur auctoritate concilii Lateranensis IV, can. 21, superius citati.

II. De momento quo interrogationes sunt faciendæ. — Quædam interrogationes faciendæ sunt ante confessionem, sed paucæ, ne pœnitens offendatur; v. g., quærendum est ab ipso a quo tempore ultimo confessus fuerit, an sincere et cum vero dolore cordis, an pœnitentiam sibi injunctam impleverit et a mandatis confessarii non recesserit.

Cæteræ quæstiones circa ætatem, conditionem, statum, ignorantiam, etc., convenientius fient intra confessionem, data occasione, sicque omnis suspicio levitatis aut curiositatis vitabitur, quod maxime necessarium est. Patienter audiendus est pœnitens sine interlocutione, increpatione, suspirio aut exsecratione, sine ullo tædii, horroris, admirationisve signo; sed benigne intermittendæ sunt quæstiones necessariæ ad detegendum numerum, circumstantias et consuetudines peccatorum, nec non obligationes eis annexas, v. g., restituendi, famam reparandi, cum inimicis se reconciliandi, etc.

Aliquando vero faciendæ sunt interrogationes post absolutam confessionem, si nempe judicetur aliquod essentiale fuisse omissum, aut si dispositiones pœnitentis sufficienter non cognoscantur. Caveatur tamen ne pœnitens bene institutus et sincere se accusans, indiscretis quæstionibus absque necessitate fatigetur; non enim summa, sed mediocri et capacitati suæ proportionata diligentia se examinare tenetur : sufficit ergo ut confessarius mediocri sollicitudine eum interroget; nec attendere debet ad integritatem materialem, sed ad eam cujus ille est moraliter capax, et vitare oportet quod sacramentum redderet pœnitentibus nimis onerosum et odiosum.

At si pœnitens sit rudis et a longo tempore non fuerit confessus, interrogandus est ab initio ad finem, percurrendo Decalogum, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, officia proprii status; ea tantum quærendo peccata quæ hujusmodi hominibus sunt communia, sive contra Deum, id est, contra fidem, spem, charitatem et religionem; sive contra proximum, scilicet contra charitatem et justitiam; sive contra seipsum, videlicet contra sobrietatem, abstinentiam et castitatem, etc.

III. De methodo qua interrogandi sunt pœnitentes. — 1° Eos interrogare oportet de iis tantum quæ personæ ejusdem conditionis committere solent, nisi ex speciali declaratione aut responsione videatur aliter faciendum, ne inutilibus quæsitis confessio ipsis fiat odiosa.

2° Cum experientia constet pueros et simplices peccata sua non fateri, si negativis quæstionibus interrogentur, sæpe juvat statim dicere ubi de peccatis apud eos consuetis agitur, v. g., *Quoties jurasti?* Si hæsitent in responsione, subjungendum est majorem numerum indicando, v. g., *Centies jurasti, blasphemasti?* etc. Tunc facilius respondent se excusando, et dicendo: *Oh! non toties. Quoties ergo?* addit confessarius. Pœnitens numerum certum vel præsumptum indicat, et sic confessarius veritatem cognoscit.

3° Quoad peccata contra castitatem, cautissime procedendum est, ne juniores ea doceantur quæ feliciter ignorant; incipiat ergo confessarius a levioribus, quærendo v. g., quot turpes cogitationes habuerint, quomodo his restiterint; deinde quoties turpia desideria conceperint, quoties verba obscena protulerint, quoties oscula vel tactus leves passi sint aut fecerint; in quibus si reperiantur innocentes, ultra progrediendum non erit. Si autem rei inveniantur circa cogitationes et desideria paulatim examinandi erunt circa oscula, aspectus et tactus; in quibus si iterum rei sint, interrogandi erunt de opere consummato. At si negent cogitationes turpes et peccata cordis, dum actus externos fatentur, signum est eos non satis intelligere quid sit peccatum internum, et adjuvanda est

eorum ignorantia aut verecundia. Et ideo quandoque, cum rudibus, incipiendum est ab actibus externis ut ad internos tutius deveniatur. Præterea, ut disponantur ad detegenda graviora crimina, præsertim contra castitatem, juvat eos interrogare an socii eos ad turpia sollicitaverint, quoties consenserint. Item a junioribus personis alterius sexus quæ turpia confiteri verentur, quærendum est an turpes cogitationes in mentem venerint, quoties eis consenserint, an se ab aliquo tangi passæ sint, etc. Quoad interrogationes faciendas personis conjugatis, remittimus ad calcem Supplementi nostri ad Tractatum *de Matrimonio*.

Jam vero, ne confessarius sibi vel pœnitenti causa existat turpis tentationis vel scandali, cum dispositionibus sequentibus sollicite curet interrogare : — a) pie, mentem ad Deum elevando; — b) pudice, verbis intelligibilibus quibusdam, sed omnino honestis et castitatem redolentibus utendo; — c) prudenter, ita ut circumstantias omnino necessarias inquirat, modos autem et circumstantias minus essentiales non scrutetur; præstat enim statum pœnitentis non omnino intelligere quam sibi vel illi scandalum creare; et qui secus faciunt, recte dicuntur contaminatores confessionis, potius quam confessores.

4° Circa alia peccata quæ non sunt contra castitatem, debet interrogare, prout prudentia suggesserit, non solum de opere externo, sed etiam de cogitatione morosa, de desiderio, de scandalo, de omissione, de consilio, etc. Quærendum est a pœnitente an periculo peccandi se exposuerit, an officio suo defuerit : pauci enim ad obligationes status sui attendunt, pauciores de peccatis circa eas admissis se accusant et multo minus se emendant. Denique optimum est quærere a pœnitente sub fine an insuper aliquid conscientiam ejus gravet.

Ut autem magis prosint interrogationes istæ et similes, si quos invenerit confessarius timidos, pusillanimes, aut peccata confiteri erubescentes, excitabit eos, proposita ipsis divina clementia, paterna misericordia, humana fragilitate ipsi nota, inutilitate incertæ confessionis, in-

violabilis sigilli obligatione, auxilio eis promisso. E contra, si protervos inveniat et impudentes, suaviter quidem, sed graviter moneat ipsos non ante hominem, sed ante Deum et Christum Dominum, cujus locum tenet confessarius, sisti, tanquam reos læsæ majestatis divinæ; Deum non irrideri, æternam eorum salutem periclitari, pœnas inferni impœnitentibus, et multo magis sacramento Pœnitentiæ abutentibus esse paratas, etc.

Has interrogandi formulas e Theologia Pictaviensi fere de verbo ad verbum extraximus, quia prudentiæ regulis fundatæ esse videntur.

Quæritur quid agere debeat confessarius qui novit peccatum quod pœnitens non accusat.

R. Vel peccatum istud cognoscit per alterius confessionem, vel per viam naturalem.

1° Si cognoscit illud per alterius confessionem, ea notitia uti non potest ad pœnitentem de illo specialiter interrogandum, nisi expressam ab altero obtinuerit licentiam: *hoc patebit ex infra dicendis, ubi de sigillo.* Debebit ergo sistere in interrogationibus generalibus, nisi peccatum sit commune personis conditionis pœnitentis; tunc, eum specialiter interrogare poterit de illo peccato, cavendo tamen ne aliquam suspicionem de confessione alterius præbeat.

Confessarius qui audit pœnitentem aliquod peccatum cum altero commissum declarantem, si complicem nondum in confessione audierit, sed auditurus sit, prudenter ageret petendo licentiam illum circa tale peccatum, prout opus erit, interrogandi: tunc in eo casu difficultatem e negatione peccati sequentem præcaveret. Si vero complicem jam audierit, sinceritatem ejus in suspicionem adduceret, licentiam eum interrogandi petendo, sicque inviolabilitatem sigilli læderet.

2° Si autem peccatum per viam naturalem cognoscat, v. g., quia transgressionem vidit, aut ex fama publica audivit, de illo specialiter interrogare potest.

SECTIO SEXTA.— *De obligatione monendi et erudiendi ignorantes.*

Sæpe occurrunt pœnitentes multa scitu necessaria ignorantes; juvat ergo statuere quomodo erga illos agere debeant confessarii. Ignorantia autem versari potest circa ea quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, ut sunt mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis; vel circa ea quæ necessaria sunt tantum necessitate præcepti. Rursus ignorantia potest esse vincibilis, vel invincibilis.

I. DE OBLIGATIONE ET MODO ERUDIENDI IGNORANTES. — *Certum est* 1° confessarium teneri interrogare et monere pœnitentem quem versari videt aut præsumit in ignorantia vincibili aut invincibili mysteriorum quorum fides explicita necessaria est necessitate medii; nam qui tali laborat ignorantia, incapax est absolutionis, ut constat ex damnatione sequentis propositionis n. 69 ab Innocentio XI : « Absolutionis capax est homo, quantumvis » laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per » negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanc- » tissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu » Christi. » Hæc altera n. 65 fuit pariter ab eodem Pontifice damnata : « Sufficit illa mysteria semel credidisse. Curs. compl., t. VI, col. 713 et 714. Sive ergo pœnitens monitioni confessarii cedere prævideatur, sive non, monendus est, cum in tali ignorantia absolvi nequeat. Unde Benedictus XIV, Const. *Etsi minime*, Bullarii, t. I, § 12 :

« Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud immo- » tumque animo semper habeat, invalidam esse absolu- » tionem sacramentalem quam quis ignoranti res neces- » sarias necessitate medii impertitur, nec posse homines » Deo per hujusmodi sacramentum reconciliari, nisi » prius, excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitio- » nem fidei adducantur. »

Certum est 2° monendum esse pœnitentem qui versatur in ignorantia mortaliter culpabili veritatum quarum fides explicita necessaria est necessitate præcepti; quia tali ignorantia laborans, absolutione indignus est. Idem di-

cendum est, si aliquid mortaliter malum ex ignorantia vincibili agat, aut in ignorantia officiorum proprii status versetur, quia non excusatur a peccato. Fieri tamen potest ut circa quædam officia status ignorantia excuset, saltem a mortali, præsertim ubi mos invaluit, et tunc redit regula prudentiæ interrogationibus faciendis.

Notandum est, in hoc et in præcedenti casu, confessiones cum tali ignorantia factas, nullas esse atque iterandas a tempore quo exstitit ignorantia. Sedulo igitur et prudenter interrogandi sunt pœnitentes, quoties datur locus suspicandi eos aliquid scitu necessarium ignorare. Si veritates creditu necessarias substantialiter intelligant, non inquietandi sunt circa confessiones præteritas, etsi aliquas forte in ignorantia olim fecerint.

Quæritur quid agendum sit erga senes, hebetes et rudes, qui mysteria necessitate medii necessaria discere aut retinere non possunt.

R. Si ex negligentia eorum id accidere videatur, instruendi sunt et remittendi donec didicerint quæ creditu sunt necessaria, juxta capacitatem suam. Si vero ex memoriæ imbecillitate id proveniat, et assidui conatus frustra adhibiti fuerint ad illos edocendos, tunc confessarius mysteria ipsis proponat, actum fidei actualis præformet et eis suggerat, sicque efficiet ut ipsi hujusmodi actum eliciant, et absolutionem impertiet. Simili methodo actus spei, charitatis et contritionis ab eis obtinebit, et curare debet ut ad se vel ad aliquem familiarem frequenter accedant, atque eadem via prædictos actus formaliter renovent. *Dens*, t. VI; *La Conduite des âmes*.

Solliciti esse debent pastores erga infelices hujusmodi homines, ne sacramentis Ecclesiæ maneant privati, et nihil non moliri ut eos per se vel per alios erudiant.

Eamdem habere debent sollicitudinem erga surdos-mutos, quos tenentur edocere, atque peccata eorum summatim intelligere, ut eos absolvere et ad Eucharistiam saltem in Paschate admittere possint. S. Ligor., Praxis conf., n. 102.

II. De obligatione monendi. — 1° Omnes fatentur con-

fessarium falsum dicere et pœnitentis errorem positive confirmare non posse, quia hoc esset intrinsece malum. Interrogatus ergo, veritatem aperire deberet, alioquin silentium ejus approbationi erroris æquivaleret. Prudenter tamen ultra petita respondere non deberet, ut recte notat S. Ligor., l. VI, n. 616.

2° Constat pariter monendum esse pœnitentem cujus ignorantia est invincibilis, si spes emendationis affulgeat, et aliquod ex monitione non prævideatur secuturum incommodum; ratio est, quia confessarius tenetur avertere peccatum materiale, in quantum potest. Si autem aliquod prævideatur secuturum incommodum, conferendum est incommodum quod timetur cum deformitate in peccato materiali existente, et pars quam prudentia suggesserit eligenda est.

Hinc vir qui nullitatem matrimonii sui ignorat, et prævidetur quod monitus, illud non convalidaturus sit, non monendus est; prævidetur e contra quod illud convalidare paratus esset, sed uxor obstinate recusabit, et nihilominus ambo rem secum habebunt, iterum non monendus est, et tamen absolvendus, quia minus malum est illum in peccato materiali relinquere, quam utrumque evidenti periculo formaliter peccandi exponere.

3° Si autem ignorantia pœnitentis sit invincibilis et nulla ex monitione affulgeat spes emendationis, petitur quid agere debeat confessarius.

R. Plurimi contra paucos dicunt *regulariter* admonendum non esse pœnitentem. Prudentia quippe suadet non facere monitionem quæ pœnitenti obfutura est, efficiens ut deinceps formaliter peccet, dum antea materialiter tantum peccaret, et nullo modo prodesse debet, ut supponitur.

Diximus *communiter;* nam facienda est monitio, — a) si prævideatur fore ut resistentia pœnitentis aut ignorantia ejus brevi cessatura sit, quod ex variis æstimatur circumstantiis; — b) si pœnitens bona fide versetur in proxima occasione formaliter peccandi, quia tunc silentium finem propositum non obtineret; — c) ordinarie, si pœnitentis

ignorantia bono publico damnum directe inferat, puta si quis falso credit se esse sacerdotem ; — d) tandem communius, si confessarii silentium in scandalum multorum vergere debeat, v. g., si praxis de re illicita apud multos obfirmanda sit. In hoc casu attente pensanda sunt sive bona, sive mala quæ ex monitione vel ex silentio, tum pœnitenti, tum aliis obventura prævidentur, et minus eligendum est malum.

Dices : Qui non paratus est Deum omnibus anteferre, indignus est absolutione : at ille quem confessarius prævidet monitioni non cessurum, non paratus est Deum omnibus anteferre : ergo indignus est absolutione. Ita auctor operis aliunde commendandi, cui titulus : *La Conduite des Confesseurs*.

R. Nego min. Qui enim paratus est omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere, Deum omnibus anteponit : atqui prævisio confessarii non impedit quin pœnitens hic et nunc paratus sit omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere : non enim judicandus est ex possibilibus, nec ex probabilibus, habita ratione circumstantiarum in quibus supponeretur constitutus, sed ex dispositionibus ejus realiter existentibus : et confessarius qui fingeret hypotheses difficiles easque pœnitenti proponeret, stulte ageret atque imprudenter eum tentaret, ait S. Thomas, Quodlib. 1, art. 9. Quot enim homines qui leviter tentati facile vincunt et in gravioribus periculis miserabiliter ruerent! Numquid hæc prævisio eos reddit absolutione indignos? Certe hoc admitti non potest, alioquin dicendum foret hominem puniendum esse pro peccatis possibilibus quæ nunquam admittet : porro hæc sequela ab omnibus rejicitur. Ergo dici non debet quod pœnitens sit indispositus, sed quod esset indispositus, si moneretur.

In dubio autem an monitio profutura vel obfutura sit, omnia sedulo perpendi debent, et quod videtur minus malum est eligendum : si vero, omnibus perpensis, dubium perseveret, omittenda est monitio. Sic cum aliis S. Ligorius, l. VI, n. 616, in fine.

Cæterum, animadverte confessarium teneri pœnitentem ignarum pro viribus instruere, mysteria fidei lucide exponendo, motiva credibilitatis explanando, regulas morum nitide pieque proponendo, etc.

Quæritur an confessarius absolvere possit pœnitentem quem videt sequi opinionem minus tutam et minus probabilem.

R. Si pœnitens ipse judicet opinionem quam sequitur esse minus probabilem vel tantum æque probabilem, conscientiam non habet actionem suam esse bonam, sed in dubio constituitur : ergo absolvi non potest, nisi, juxta non paucos, conscientiam per principia reflexa sibi efformet, et credat talem agendi rationem sibi esse licitam; de hoc alibi. Si vero opinio sit in materia controversa, et uni probabilior, alteri minus probabilis videatur, confessarius exigere non potest ut pœnitens, præsertim doctus, sententiam mutet; non enim opinionum est judex, nec ipsius est officium cunctas controversias auctoritate sua dirimere. Ita, contra *Concina*, P. *Antoine* aliosque paucos, communiter theologi, ut videre est apud S. Ligorium, lib. VI, n. 604.

SECTIO SEPTIMA. — *De obligatione quam habet confessarius dignoscendi in procurandi contritionem et pœnitente.*

I. DE SIGNIS CONTRITIONIS. — Contritio est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ : confessarius ergo absolutionem, extra casum necessitatis, dare non potest, nisi prudenter judicet adesse in pœnitente contritionem sufficientem. Præcipua autem signa quibus eam dignoscet, sunt : 1° si pœnitens, satis instructus, cordate asseveret se de peccatis sinceriter dolere, et firmum habere propositum non peccandi de cætero; 2° si ante confessionem maturum examen adhibuerit, oraverit, desiderium veræ contritionis habuerit, eamque pia consideratione excitare tentaverit; 3° si omnia peccata sua, etiam majora et turpia, candide et humiliter declaret, sine ulla tergiversatione aut vana excusatione; 4° si e pio aliquo motivo ad

confessionem libere accesserit, non vero ex aliquo respectu humano; 5° si e desiderio conversionis a peccato jam cessaverit, occasiones, v. g., tabernas, talem aut talem personam, deseruerit; 6° si pœnitentiam sibi injunctam et peccatis proportionatam libenter acceptet aut majorem postulet.

Hæc contritionis signa aliaque similia ordinarie sufficiunt. Dicimus *ordinarie*, quia fieri potest ut specialis aliqua circumstantia suadeat majora requirenda esse conversionis indicia.

II. De obligatione et modo procurandi contritionem.— Dubitari non potest quin confessarius teneatur, ratione officii sui, contritionem excitare in pœnitente, quem prudenter judicare non potest sufficienter contritum : alioquin periculo absolvendi indignum se exponeret, et animam sibi commissam in discrimen salutis conjiceret. Paratas igitur habeat rationes urgentes e libris spiritualibus, et præsertim e meditationibus sanctis haustas, quas pro diversa pœnitentis qualitate breviter, clare et pie studebit proponere, ut eum ad detestationem, vitæ præteritæ et emendationem futuræ excitet. Interdum quæret ab eo an pœniteat, an firmum habeat propositum non peccandi; et quandoque juvabit eum differre, vel aliquam moram ei concedere, ut gratiam veræ contritionis a Deo postulet, motiva proposita perpendat, peccata detestetur atque ea deinceps vitare firmiter sibi proponat, et postea ad suscipiendam absolutionem redeat.

Motiva quæ metum incutiunt, aptiora sunt rudibus peccato assuetis : proponenda sunt ipsis æterna damnatorum supplicia, dæmonum cruciatus, ira Dei omnipotentis in cujus manus horrendum est incidere; enumerari possunt bona peccato amissa, ut gratia Dei, filiatio, hæreditas ejus, dona supernaturalia, immensæ divitiæ quibus nudata est eorum anima, cum, peccato mortua, facta est dæmonum hospitium. Narrabit etiam confessarius punitionem Angelorum, vel Core et ejus asseclarum, qui terra dehiscente, sepulti sunt viventes in inferno. Addere poterit : Vos eodem supplicio jam torque-

remini, nisi benignitas Dei, qui non irridetur, pœnitentiam vestram exspectasset.

Motiva amoris proponi debent iis qui facilius emolliri possunt, v. g., summa Dei bonitas, suprema ipsius majestas, immensa Christi charitas, passionis ejus tormenta, sputa, opprobria, mors ignominiosa et simul dolorosa; ingratitudo peccatorum qui reddunt Deo odium pro dilectione, injurias pro beneficiis; insania peccatorum qui totum vitæ tempus in obsequium diaboli, mundi et carnis impendunt, etc.

Si quis in malo obduratus, his aliisve similibus motivis non emolliatur, nec contritus appareat, dimittendus est non absolutus, ne pœnitentia quidem illi injuncta, si nihil promittere velit : si vero conversionem suam desiderare judicetur, bonum erit ipsi injungere ut singulis diebus multoties contritionem petat, fidem in se excitet, novissima hominis magis ac magis consideret, et, post aliquot dies, ad confessarium redeat.

§ II. — De obligationibus confessarii quæ spectant ad absolutionem.

Nobis dicendum est 1° de ipsius obligatione generali dandi aut differendi absolutionem; 2° de ejusdem agendi ratione erga eos qui tenentur ad restitutionem, reparationem injuriæ, aut ad reconciliationem; 3° erga eos qui in proxima occasione peccati versantur; 4° erga consuetudinarios et recidivos; 5° erga eos qui peccata sua negant; 6° erga moribundos sensibus destitutos; 7° erga scrupulosos; 8° ergo personas devotas; 9° erga eos quos male absolvit.

Sectio prima. — *De generali obligatione confessarii in danda aut differenda absolutione.*

Præter dilationem absolutionis, fere omnes theologi dicunt illam quandoque negandam esse : potest equidem aliquod discrimen inter dilationem et negationem assignari, quasi absolutio differatur indispositis, donec me-

lius disponantur, et absolute negetur indignis. Attamen, cum omnes se disponere possint, et nullus rejiciendus sit ut desperandus, rectius est dicere absolutionem stricte non negandam, sed, extra casum necessitatis, differendam esse donec requisitæ dispositiones existant.

I. Quando absolutio danda sit aut neganda. — *Certum est* 1° confessarium teneri ex justitia regulariter absolvere pœnitentem rite confessum et legitime dispositum : nam ipso confessionis facto quidam initus est contractus sacer, vi cujus pœnitens, rite confessus et legitime dispositus, habet jus ad sacramentum. Ergo.

Diximus *regulariter ;* quia si confessarius aliquo indigeat tempore ad consulendos libros aut viros doctos super peccata sibi declarata, absolutionem differre potest; item si prudenter judicet dilationem pœnitenti fore utilem ad præcavendos relapsus, quia non tantum est judex, sed et medicus.

Certum est 2° indispositum non absolvendum esse, et confessarium in eo casu, nisi errore inculpabili aut venialiter tantum culpabili excusaretur, mortaliter peccare, licet sacramentum sit nullum; nam profanatio ritus sacramentalis, ex omnium confesso, sufficit ad constituendum peccatum mortale.

II. Quandonam differenda sit absolutio. — Obligatio autem dandi aut differendi absolutionem, juxta dispositiones pœnitentis, verbis institutionis sacramenti, *Quorum remiseritis... Quorum retinueritis*, etc., fundatur : confessarius igitur sedula investigatione dignos ab indignis secernere debet : quia non minus ipsi periculum est in injusta denegatione quam in indigna absolutionis concessione; imo, ut sapienter observat *Dens*, post *Steyaert*, regula est absolvere, cum sacramentum ad reconciliationem institutum fuerit, et exceptio absolutionem differre, nempe eis qui nondum parati sunt. Caute igitur gradiatur confessarius inter duo extrema, pari sollicitudine devitans et laxitatem quæ peccatores in vitiis sopitos ad inferos deducit, et rigiditatem quæ eos desperans, a sacramento proindeque a via salutis retrahit. Omnes affectu

paterno suscipiat et præsertim quos remittere cogitur, ut dilatio ipsis tolerabilior fiat.

Quæritur an requiratur certitudo de dispositionibus pœnitentis ut absolutio dari possit.

R. Quidam theologi dicunt pœnitentem absolvendum non esse, nisi confessarius moraliter certus sit de præsentia legitimarum ipsius dispositionum.

Alii vero multo rectius dicunt sufficere ut prudenter judicet pœnitentem esse dispositum, id est, ut innitatur motivo non certo et infallibili, sed gravi et comparative probabiliori quo vir prudens in assensum determinetur. Quando materia sacramentorum est physica, ut in Baptismo et Eucharistia, requiritur certitudo physica ad licitam eorum administrationem; sed ubi materia est moralis, ut in Pœnitentia, sufficit confessarium habere prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, licet aliqua suspicio indispositionis subsistat; alias vix ullus absolvi posset, cum quælibet signa pœnitentium probabilitatem tantum subministrent.

Confessarii igitur qui peccatorem absolvere nolunt, nisi evidenter judicent illum esse recte dispositum, graviter errant, et clavibus Ecclesiæ sibi commissis, non ad aperiendum, sed ad claudendum regnum cœlorum utuntur : dum alii, omnes indiscriminatim absolventes, æternaliter cum eis pereunt.

Sequitur ex dictis pœnitentem, cujus dispositiones sunt tantum dubiæ, extra necessitatem absolvi non posse, quia tunc non adest judicium prudens illum esse recte dispositum.

Dicimus *extra necessitatem* : omnes enim fatentur sacramenta in necessitate potius exponenda esse quam hominis salutem, quia propter homines fuerunt instituta. Tunc confessarius prudenter judicat, non quidem de dispositionibus pœnitentis, sed de bonitate suæ actionis; sic in dubio absolvit moribundos, ut infra dicemus.

Alius est casus cujusdam necessitatis *moralis*, juxta multos; nempe, si, ex denegatione absolutionis, pœnitens in desperationem sit conjiciendus, a confessione amoven-

dus in posterum, etc.; tunc non pauci aiunt sacramentum nullitati exponendum esse, innixi hoc principio: Sacramenta sunt propter homines. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 432.

Verum hæc sententia non nisi cum maxima cautione admittenda est in praxi, alioquin tota confessionis disciplina evanesceret. Aliunde non facile concipitur quomodo liceat sacramentum pœnitentiæ probabili periculo exponere ob necessitatem quæ a sola pœnitentis malitia pendet.

Hæc igitur necessitas moralis orta ex metu ne pœnitens desperetur, confessionem deserat, in sectam schismaticam aut hæreticam transeat, confessarium et veritatem detestetur, confessarium laxum adeat, scandalum faciat, infamiam vel damnum quoddam incurrat, etc., nobis quidem videtur rationabile motivum ut facilius aut promptius absolutio concedatur, habita ratione circumstantiarum, non autem ut generaliter detur absque prudenti judicio de dispositionibus pœnitentis.

Confessarius de dispositionibus sui pœnitentis, omnibus perpensis, adhuc dubitans, eum interrogare potest, v. g., an vere doleat, an firmum habeat propositum non peccandi, etc.: et tunc ei non semper credet, ut quidam volunt, sed ex responsionibus ejus quandoque prudens efformare poterit judicium.

SECTIO SECUNDA. — *De agendi ratione confessarii erga eos qui ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem tenentur.*

Certum est pœnitentem qui, ex principiis alibi expositis vel exponendis, ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem cum inimicis tenetur, et huic obligationi satisfacere recusat, absolvi non posse; actualem enim et perseverantem habet votuntatem peccandi. Si autem promittat se quamprimum satisfacturum, et videatur sincerus, una et altera vice sub hac promissione absolvi poterit; præsertim si aliqua ratio prudentiæ id faciendum suadeat. At ubi semel aut iterum promissioni

defuit, neganda est regulariter absolutio donec satisfecerit, quia confessarius jam prudenter judicare non potest ipsius propositum esse sincerum.

Diximus *regulariter;* nam tales occurrere possunt circumstantiæ extraordinariæ, ut prudenter judicari possit pœnitentem non futurum infidelem, sicut antea fuit: tunc absolvi potest, imo et debet, si jus ad sacramentum habeat.

In articulo mortis absolvendus foret etiamsi propositum non magis videretur sincerum, *ut ex infra dicendis patebit.*

Eodem modo ratiocinandum est de iis qui res creditu necessarias necessitate præcepti ignorant, vel eas ediscere promittunt, et tunc semel aut iterum absolvi possunt: si autem promissioni non steterint, differenda est absolutio, extra casum necessitatis, donec eas sufficienter didicerint. *Ita omnes theologi.* Si vero erudiri nolint, certe absolvi nequeunt.

SECTIO TERTIA. — *De agendi ratione confessarii erga eos qui versantur in occasione peccandi.*

I. QUID ET QUALIS SIT OCCASIO. — Quælibet res externa ad peccatum inducens, dicitur occasio peccati; alia est remota et alia proxima; alia voluntaria et alia necessaria. Occasio remota ea est quæ probabiliter de facto non ducet ad peccatum: proxima vero est illa in qua homo verisimiliter peccaturus est. Unde alia est absolute proxima quæ nata omnes in peccatum inducit, ut turpes aspectus vel tactus, præsertim in personas alterius sexus; alia vero respectiva, quæ respectu unius est proxima, dum respectu alterius esset remota, quales esse possunt saltationes et choreæ.

Occasio igitur non est remota vel proxima, prout raro vel frequentius in peccatum inducit: potest esse proxima respectu unius personæ quæ nondum peccavit, v. g., si junior puella adhuc innocens sola cohabitatura sit cum viro moribus perdito, quia verisimile est eam peccaturam esse.

Occasio est voluntaria, si pœnitens eam tollere possit,

ut si ebriosus adeat cauponem, vel si herus retineat ancillam quæ sibi est causa ruinæ; est vero involuntaria, quando pœnitens eam auferre nequit, ut, v. g., si filiafamilias a servo patris, vel a fratre suo sollicitetur in crimen. Impossibilitas eam tollendi potest esse physica, ut si quis cum concubina incarceretur; vel moralis, si nempe occasio deseri non possit sine peccato, ut esset uxor respectu mariti, vel sine gravi detrimento, ut officium confessarii, chirurgi, mercatoris, etc.

II. De modo agendi confessarii, juxta diversas occasiones. — *Certum est* 1° quæstionem non moveri de occasione remota; si enim stricta daretur obligatio fugiendi omnes occasiones remotas peccandi, exeundum esset de mundo, cum fere nihil sit in terra quod plus minusve remote inducere non possit ad peccandum.

Certum est 2° quæstionem pariter non esse de occasione sive remota sive proxima peccandi venialiter; cum enim peccatum veniale non sit materia necessaria sacramenti, nec occasio proxime ad illud inducens, secluso periculo ulterius progrediendi.

Sola igitur difficultas nunc examinanda respicit eos qui in occasione proxima, sive voluntaria, sive involuntaria, mortaliter peccandi versantur.

Certum est 3° confessarium absolutionem denegare non posse ei qui versatur in occasione proxima peccandi mortaliter, quam physice tollere non potest, præcise ob istam occasionem, siquidem nemo ad impossibile tenetur : debet ergo præscribere illi remedia quibus occasio ex proxima fiet remota; quod si pœnitens his remediis uti nolit, aut si emendatio ejus sit nulla, certe absolvi non debet extra periculum mortis, quia prudenter judicari non potest illum esse dispositum. Si vero remediis propositis sincere utatur, et ipsius relapsus notabiliter minuantur, identidem absolvendus est, ut gratia sacramenti adjutus, tentationes facilius superet et omnino emendetur; tunc enim licet prævideatur ex fragilitate relapsurus, potest esse hic et nunc legitime dispositus. Sic *Billuart*, S. Ligorius, l. VI, n. 455; *Dens*, etc.

4° Communius theologi dicunt, contra paucos, pœnitentes non teneri occasionem proximam peccandi mortaliter cum gravi detrimento famæ, honoris aut fortunæ deserere, modo utantur mediis sibi indicatis, et firmum habeant propositum amplius non peccandi : nam occasio peccandi per se non est peccatum, nec in necessitate peccandi constituit. Si ergo moraliter auferri non possit, excusatur pœnitens eam non deserens, et eodem sensu ac in numero præcedenti absolvi potest.

Prudens autem confessarius efficaciora quærere debet remedia juxta conditionem pœnitentis et naturam periculi, ut illorum adjutorio occasio ex proxima fiat remota, v. g., ut puella quæ in domo paterna a servo sollicitatur ad turpia, consortium ejus fugiat, nunquam sola cum illo solo loquatur, blanditiis ejus non respondeat, severe et tantum ex necessitate illum alloquatur, pignora amicitiæ acceptata reddat vel destruat; orationes, jejunia, pias lectiones, frequentem confessionem adhibeat : si hæc non sufficiant, matrem vel patrem de periculo in quo versatur moneat: et tandem si novi semper eveniant relapsus sine spe emendationis, cum qualicumque detrimento deserenda est occasio, sive puella domo paterno sub aliquo prætextu egrediatur, sive obtineat ut servus ejiciatur.

Similiter, qui in exercitio professionis vel artis suæ proximam invenit occasionem mortaliter peccandi, v. g., confessarius, chirurgus, caupo, mercator, non tenetur eam statim deserere. Si opportunis remediis sincere quærat periculum minuere et occasionem e proxima remotam facere secundum jam dicta, absolvi poterit. Si vero, omnibus remediis frustra tentatis, spes emendationis non affulgeat, valedicendum est sive arti, sive professioni, etiam cum gravissimo detrimento; secus, ordinarie negando est absolutio.

Dicimus *ordinarie*, quia in articulo mortis non negaretur.

5° Qui versatur in occasione proxima perseverante, quam sine gravi detrimento famæ, honoris aut fortunæ

deserere potest, v. g., qui retinet apud se puellam, quæ sibi est graviter periculosa, regulariter absolvi non potest nisi eam deseruerit; nam in ea occasione remanens, periculo peccandi voluntarie se exponit; scriptum est enim, Eccli III, 27 : *Qui amat periculum in illo peribit.* Unde Innocentius XI, per decretum diei 2 martii 1679, sequentes damnavit propositiones : « Potest aliquando absolvi » qui in proxima occasione peccandi versatur, quam po» test et non vult omittere, quinimo directe et ex pro» posito quærit, aut ei se ingerit. » — « Proxima occasio » peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis » aut honesta non fugiendi occurrit. » — « Licitum est » quærere directe occasionem proximam peccandi pro » bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. » Curs. compl., t. VI, col. 713.

Diximus *regulariter;* quia nonnulli sunt casus in quibus conferenda est absolutio sub promissione occasionem dimittendi, v. g., — a) si mors immineat et tempus necessarium non suppetat; — b) si pœnitens ab occasione longe distet eamque hic et nunc dimittere non possit, et sincere dispositus appareat; — c) si huc usque obligationem dimittendi occasionem non intellexerit, et fidenter promittat se eam dimissurum.

6° Si occasio proxima non sit perseverans, sed interrupta, ut, v. g., si quis fornicari soleat cum muliere absente quam aliquoties per annum visitat, se inebriare quando apud cauponem bibit, blasphemare quando in ludo perdit, etc.; prima, secunda aut etiam quandoque tertia vice absolvi potest, sub expressa promissione talem occasionem devitandi, quia sufficiens datur ratio prudenter judicandi illum esse recte dispositum. At si bis aut ter promissioni defuerit, absolutio ordinarie differenda est, donec opere probaverit se melius esse dispositum.

SECTIO QUARTA. — *De agendi ratione confessarii erga consuetudinarios et recidivos.*

I. DE CONSUETUDINARIIS. — Consuetudinarius ille est qui ex actibus sæpe repetitis in uno genere, v. g., fornicandi, blasphemandi, etc., facilitatem contraxit idem peccatum iterandi; recidivus autem ille est qui, post absolutionem, in idem peccatum relabitur : unde quis potest esse consuetudinarius et non recidivus, nempe si a peccatis quibus assuefactus est nondum fuit absolutus; vel recidivus et non consuetudinarius, ut si a peccato semel aut iterum commisso absolutus, in idem relapsus fuerit.

Consuetudinarius qui prima vice ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accedit, et vera contritionis signa præbet, absolvi potest; non datur enim in illo casu ratio sufficiens bonam fidem ejus suspicandi; ipsius spontanea confessio indicat illum habere propositum a peccato recedendi. *Ita communiter theologi*. Si tamen nulla circumstantia concessionem absolutionis urgeat, prudentius est eam differre, maxime si pœnitens dilationem non ægre ferat; tunc a peccato abstinens, ad absolutionem cum majori fructu suscipiendam se præparabit et tutiora conversionis signa exhibebit; talis est praxis optimorum confessariorum, et aliunde experientia docet consuetudinarios non ita facile se ab habitu peccandi retrahere.

II. DE RECIDIVIS. — Præcipua difficultas in hac materia est circa recidivos, an scilicet, et quando absolvi debeant. Plures contendunt eos toties absolvendos esse quoties confitentur : nam, inquiunt, qui libere confitetur et dicit se pœnitere, credendus et judicandus est dispositus, nisi aliqua particularis circumstantia denotet illum indispositum esse. Alii, e contra, inter quos Merbesius, *Juénin*, *Habert* et *Concina*, dicunt consuetudinarium absolvi non posse, nisi conversionem suam per longam perseverantiam probaverit, præsertim si pluries jam absolutus, sæpe relapsus fuerit : nam, inquiunt, per solam perse-

verantiam in proposito prudenter judicari potest conversus. Utraque opinio falsa est; una nimia laxitate, et altera nimia rigiditate peccat. Tertia igitur, quæ communiter admittitur, sic se habet:

PROPOSITIO.

Peccator pluries absolutus et cum eodem habitu pravo rediens, absolvi non potest, extra necessitatem, nisi extraordinaria det signa conversionis.

Prob. 1° *auctoritate Innocentii XI,* qui citato decreto, sequentem damnavit propositionem numero 60 : « Pœni» tenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, » naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla ap» pareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, » dummodo ore proferat se dolere et proponere emenda» tionem. »

Prob. 2° *praxi et documentis sanctorum atque piorum hominum.* S. Aug., Serm. 117, in Appendice, ait : « Ista » est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis ut non » revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat. » S. Isidorus Hispalensis, de Ecclesiasticis officiis, l. II, cap. 16, de Pœnitentibus, ait : « Ille autem vere pœnitentiam agit, » qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœni» tendo committit : qui vero lacrymas indesinenter effun» dit, et tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, » sed mundationem non habet. »

Idem dictis et exemplis docuerunt S. Franciscus Xaverius, ut patet ex ejus epistolis, S. Franciscus Salesius, omnium mitissimus, et S. Carolus, Instruct. ad confess., Act. ecclesiæ Mediol, t. I, p. 653, qui sic se habet : « Pro» roganda adhuc absolutio, donec hi emendentur qui, licet » se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen » non separandos confessor suspicatur, ut sunt... et præ» sertim juvenes otiosi qui solent majori temporis parte » aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blasphe» miis, inhonestis conversationibus, dissensionibus, odiis

» et detractionibus vacare, aut qui Quadragesimæ diebus » tantum ultimis peccata depositurî accedunt, aut qui a » multis annis in iisdem peccatis perseverarunt, nec ut » emendarentur laborarunt.

Prob. 3° *ratione.* Absolutio enim concedi non potest nisi confessarius prudenter judicet pœnitentem esse recte dispositum : at, ubi videt eum, post admonitiones iteratas, cum eodem habitu pravo redeuntem, prudenter judicare non potest eum recte esse dispositum ; qui enim rem sibi possibilem firmiter proponit, non tam facile propositi sui obliviscitur ; saltem conatus adhibet, per aliquod tempus perseverat, difficilius aut rarius cadit. Aliunde ex prudenti dilatione absolutionis, plures optimi sequentur effectus : — a) profanatio saltem valde probabilis sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ vitatur ; — b) pœnitentes gravitatem peccati melius agnoscunt, juxta hæc verba Jer. II, 19 : *Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum ;* — c) vigilantiores et cautiores in vitandis peccatis redduntur, et in proposito suo efficacius confirmantur. Ergo.

Diximus in propositione *extra necessitatem,* id est extra mortis periculum, de quo infra dicturi sumus, vel extra necessitatem moralem, de qua supra diximus ad finem sectionis primæ.

Objici solet, quod si hæc principia admittantur, 1° multis deneganda sit absolutio ; 2° quod salus æterna peccatorum sic dimissorum periclitatura sit, quia repentina morte corripi possunt ; 3° quod potius misericordia quam severitate peccandum sit.

Sed 1° verum est quidem multis non præcise negandam, sed differendam esse absolutionem, quia imparati accedunt : confessarius, zelo animarum flagrans, nihil omittet ut istius modi peccatores ad veram conversionem deducat, eosque ad suscipiendam absolutionem cum fructu disponat ; indignos vero non absolvet. 2° Non inficiamur salutem æternam peccatorum sic dimissorum graviter periclitari, sed periculum quod subeunt, non ex dilatione absolutionis quam indigne susciperent oritur, bene vero

ex perseverantia ipsorum in peccato. 3° Nimia facilitas in absolvendis recidivis non est misericordia, sed horrenda crudelitas quæ, sub larva indulgentiæ, animas necat et in profundum abyssi demergit.

Objicitur adhuc sequens Catechismi conc. Trid. textus, de Pœnit., n. 60, et in versione D. *Doney*, t. II : « Si, » audita confessione, judicaverit neque in enumerandis » peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœ» nitenti omnino defuisse, absolvi poterit. » Porro sæpe dici potest neque diligentiam neque dolorem recidivis omnino deesse. Ergo.

Verum sensus verbi *omnino* non est minimam diligentiam minimumque dolorem sufficere, alioquin Catechismus citatus concilio Tridentino accuratam diligentiam in enumerandis peccatis et animi dolorem ac detestationem requirenti evidenter contradiceret : sensus ergo est absolutionem impertiendam esse, si confessarius prudenter judicet diligentiam et dolorem *omnino* non defuisse, id est minime defuisse. Ergo.

Diximus in propositione 1° *Cum eodem habitu pravo rediens*, nam si notabiliter sit emendatus, licet pluries adhuc ceciderit, aut si difficilius et post majorem resistentiam lapsus fuerit, adeo ut prudenter judicetur illum sincerum habere propositum se emendandi, sed ex fragilitate et pondere habitus aliquando vinci, absolvi debet : gratia enim sacramenti adjutus, novas tentationes facilius superabit, et paulatim veterem habitum imminuens illum penitus destruet. Si, e contra, semper remitteretur donec omnino emendatus esset, repulsibus continuis fatigatus, confessionem desereret, in vitiis sine habenis se volutaret, obduresceret, et fere nulla spes eum ad meliorem frugem redeuntem videndi affulgeret, ut quotidiana experientia constat. Hinc qui sexies singulis diebus circiter blasphemabat, vel turpia proferebat, et adhibitis conatibus, semel aut iterum relabitur, et firmum habere videtur propositum se emendandi, absolvi potest.

Errant igitur qui dicunt confessarium absolvere non posse pœnitentem quem prævidet relapsurum : sufficit ut

rite confessus verum nunc habeat dolorem de præterito, et firmum propositum non peccandi de futuro : at illæ dispositiones in eo existere possunt qui prævidetur relapsurus, videlicet ex fragilitate vel ex mutatione propositi.

At si imminutio culparum non ex proposito emendationis, sed ex alia causa, v. g., ex defectu occasionis, contigerit, non erit signum contritionis, *ut patet.*

Diximus 2° *nisi extraordinaria det signa conversionis.* Quamvis enim pœnitens, pluries monitus, eodem modo semper relapsus fuerit, potest ex aliqua circumstantia, adjuvante gratia Dei, extraordinarie commoveri et spem fundatam emendationis præbere : tunc absolvi potest, quia prudenter judicatur dispositus; imo absolvendus est, si aliqua ratio id suadeat, v. g., si confessarius sit extraneus et redire non debeat, si pœnitens longe distans habeat domicilium, si matrimonio jungendus sit, si confirmandus; si quamdam timeat infamiam, nisi ad sacram synaxim accedat, etc.

Ut signa contritionis extraordinaria habentur apud auctores : — a) lacrymæ et suspiria motivis naturalibus non tribuenda; — b) minor peccatorum numerus; — c) studium ad emendationem adhibitum; — d) spontanea confessio nullo naturali incitamento determinata; — e) singularis eventus mentem fortiter commovens, ut concio eloquens, mors amici, terræmotus, felix a periculo gravi liberatio, etc. Attamen sufficit ut confessarius prudenter judicare possit pœnitentem hic et nunc esse rite contritum; tunc concedere debet absolutionem.

III. Quæstiones specialiores circa consuetudinarios et recidivos. — *Quæritur* 1° quanto tempore probandus sit consuetudinarius recidivus, ut tuto absolvi possit.

R. Si relapsus fiant ex causa intrinseca, ut accidit in peccatis incontinentiæ secretæ, prudentia suggerit hujusmodi pœnitentes frequenter audire, eos saltem per unum mensem differendo, ut præparentur ad suscipiendam absolutionem cum abundantiori gratia et efficaciori perseverantia : imo dilatio unius mensis communius non sufficit, ut consuetudo eradicetur. Attamen si ratio valida

tantam non patiatur dilationem, v. g., si pœnitens in quadam sit necessitate absolutionem suscipiendi, si timeatur ne desperatus non redeat, etc., citius absolvendus erit, et forsan post quindecim vel octo dies, ut plures theologi aiunt, si relapsus antea frequentes, omnino cessaverint vel notabiliter imminuti sint, atque firmum existat emendationis propositum.

Tempus autem probationis longius esse debet, si recidivus raro habeat occasionem peccandi : v. g., qui singulis diebus dominicis solebat inebriari non tam probatur intra mensem quam prædictus blasphemator intra octo dies. Cæterum, confessarius ad multas circumstantias attendere debet ut prudens ferat judicium, et quod utilius erit pœnitenti eligat.

Quæritur 2° quid sentiendum sit de iis hominibus qui in Quadragesima tantum confiteri volunt, et quotannis eadem referunt peccata mortalia.

R. Ex modo dictis hi homines judicandi sunt : vel cum eodem pravo habitu sine ulla emendatione redeunt, et tunc, post aliqua tentamina, differri debent donec signis sufficientibus ostendant se melius esse dispositos; vel in eis apparent emendationis signa, quibus prudenter judicatur eosdem vere esse contritos, v. g., minus frequenter relapsi sunt, diutius post absolutionem perseverarunt, majores conatus adhibuerunt, extraordinariis tentationibus objecti sunt, etc.; et absolvi debent, modo sincere affirment se firmum habere propositum amplius non peccandi. Conandum est tamen ut ad sacrum tribunal sæpius accedant; frequens enim confessio efficacius est medium quo hujusmodi peccatores corrigantur. Verumtamen absolutio ipsis denegari non posset, præcise quia semel tantum in anno confiteri volunt.

Quæritur 3° quandonam confessiones recidivorum iterandæ sint.

R. Confessiones recidivorum judicandæ sunt validæ vel nullæ ex modo quo relapsus contigerunt; si nulli aut fere nulli adhibiti sunt conatus, sæpe reputari debent nullæ atque iterandæ sunt. Validæ, e contra, judicantur

si peccatores adhibitis mediis sibi indicatis, saltem aliquandiu perseveraverint, et ex fragilitate vel ex mutatione propositi relapsi sint, quod ex adjunctis prudenter æstimatur. Iteratio autem confessionum non leviter præscribenda est, ne sacramentum reddatur nimis onerosum.

SECTIO QUINTA. — *De agendi ratione confessarii erga eos qui peccata sua negant.*

Vel confessarius cognoscit peccata a pœnitente negata per alterius confessionem, vel per viam naturalem.

In priori casu S. Ligorius dicit, l. VI, n. 631, cum quibusdam aliis, absolutionem non esse concedendam, sed voce submissa aliquid orandum ad negationem ejus occultandam, et sic dimittendum esse pœnitentem; alii vero contendunt absolutionem negari non posse, quia confessarius notitia per confessionem alterius obtenta nullo modo uti potest. Ita *Billuart* et alii non pauci, quibus assentimus.

In posteriori casu, id est, si confessarius peccata sui pœnitentis via naturali certo cognoscat, v. g., quia illum vidit furantem, turpia facientem, audivit blasphemantem, etc.; eum diligenter interrogatum et hæc peccata semper negantem absolvere non debet, ut pote certo indispositum, nisi forte prudens adsit dubium an alteri confessus fuerit, aut justam habeat rationem ea retinendi peccata. Ita *Layman*, *Suarez*, card. *de Lugo*, *Concina*, *Billuart*, S. Ligorius et generaliter alii. Si vero ex suspicione tantum vel ex aliorum relatione confessarius id sciat, communiter docent theologi pœnitentem, post diligentem interrogationem, absolvendum esse, quia præsumi potest illum tale peccatum fuisse oblitum, vel alteri confessum, vel habere justam rationem illud tacendi, vel relatores fuisse deceptos; regula enim generalis est, ut docet S. Th., Quodlib. 1, art. 12, credendum esse pœnitenti contra se et pro se dicenti : unde confessarius, post diligentem causæ instructionem, judicare tenetur secundum allegata.

Si a pœnitente decipiatur, non peccabit eum absolvendo; graviter e contra peccaret si, ob præsumptionem malæ fidei, absolutionem injuste ei denegaret.

Attamen si, omnibus perpensis, ex aliorum relationibus certo judicaret pœnitentem peccata quæ obstinate negat vere commisisse et alteri non fuisse confessum, absolvere non deberet, quia illum videret certo indispositum.

Sectio sexta. — *De agendi ratione confessarii erga moribundos.*

Nullum est dubium quin sacerdos ad moribundum vocatus, vel ad eum ex officio accedens, ut pastor vel ejus vices gerens, vehementi zelo curare debeat illum ad tremenda Dei judicia præparare et Christo lucrifacere.

Inter moribundos, alii sunt recte dispositi, alii dubii, alii sunt ignari, alii scandalosi et alii sensibus destituti.

I. De moribundis qui sensibus non sunt destituti. — 1° Qui recte sunt dispositi, semper absolvi debent, *ut patet:* recte autem reputantur dispositi qui male quidem vixerunt, sed peccata sua agnoscunt et confitentur, de illis dolentes ac promittentes se talia nunquam admissuros.

2° Qui dubias tantum habent dispositiones et etiam improbabiles, modo non sint evidenter nullæ, absolvi debent, quia sacramenta sunt propter homines, non vero homines propter sacramenta; in extremitate igitur melius est sacramentum profanationi exponere, quam permittere salutem hominis periclitari. Verum qui peccato suo obstinate adhærent, vel obligationibus certis, v. g., restituendi, se reconciliandi, concubinam ejiciendi, etc., satisfacere nolunt, absolvi non possunt.

3° Qui necessaria necessitate medii ignorant, statim erudiendi sunt, vel saltem mysteriis dilucide eis propositis, curandum est ut actum fidei eliciant, et aptis interrogationibus obtinendum ut præteritas confessiones quantum possunt iterent.

4° Si agatur de peccatore scandaloso, v. g., bona aliena

retinente, in concubinatu vel in matrimonio tantum civili vivente, ad enormes usuras commodante, etc., communiter audiri non debet, nisi prius emendationem et debitam satisfactionem promiserit; nam timendum est ne præscriptis confessarii obtemperare nolit, ut frequentius contingit; si semel in confessione auditus fuerit, confessarius sigillo obstrictus sufficienti libertate non pollebit, et ultima sacramenta indigno ministrare cogetur. Hoc autem incommodum vitabit, moribundo de hujusmodi peccatis exterius loquendo. Ergo.

Dicimus *communiter*, quia fieri potest ut prudentia suadeat, habita ratione circumstantiarum, immediatam confessionis auditionem, et talis actus pœnitentis sufficiens appareat scandali reparatio, præsertim si periculum mortis urgeat.

II. De moribundis qui sensibus sunt destituti. — Major difficultas est quoad eos qui sensibus destituuntur. In quatuor autem classes dividi possunt : alii signa contritionis dederunt antequam sensibus orbarentur et sacramentum petierunt; alii nulla signa contritionis dederunt, sed christiane vivebant; alii in peccato certe vivebant et nullis indiciis ostenderunt se dolere de præteritis, et alii in actu peccati usum rationis amiserunt.

Certum est 1° eos qui sacramentum petierunt vel signa contritionis exhibuerunt absolvendos esse, licet peccata sua nullo modo confiteri possint; idque constat concil. Arausicano I, Carthag. IV, auctoritate S. Leonis papæ, Ritualis Romani et fere omnium theologorum. Ita expresse Bened. XIV, de Synodo diœc., l. VII, c. 15, n. 8.

Communis olim sententia theologorum fuit absolutionem negandam esse iis qui repentino casu opressi, cognitionem amittunt, etiamsi christiane vixissent, si nulla dent signa contritionis, propter defectum materiæ sensibilis sacramenti, scilicet contritionis et confessionis. Ita, inter alios, card. *de Lugo, Suarez, Layman*, Nathalis Alexander, *Pontas*, etc. Contra hanc opinionem fortiter insurrexit P. Morinus, l. X, cap. 10, contenditque absolutionem in eo casu impertiendam esse. Multo communius

theologi eamdem sententiam nunc tuentur, et sequentibus innituntur rationibus. — a) Auctoritate S. Aug., qui, l. I de Adult. conjug., c. 28, t. VI, col. 404, docet Baptismum conferendum esse catechumenis sensibus destitutis, et deinde addit : « Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. » — b) *Ratione*. Defectus materiæ sensibilis est solum fundamentum quo nituntur adversarii; sed dici potest vitam christianam anteactam, quamdam esse speciem confessionis vel saltem petitionis sacramenti in extremis; aliunde, fieri potest ut ægrotus nonnullis signis a confessario non perceptis, v. g., suspiriis, motibus alicujus partis corporis, etc., conetur manifestare se absolutionem desiderare; et insuper non omnino certum est actus pœnitentis esse materiam sacramenti Pœnitentiæ. Datur ergo locus dubitandi an existat materia sufficiens : porro tale dubium, etiam tenue, sufficit ut in extremis absolutio conferatur : ergo. Ita, cum multis aliis, *Juénin, Tournely*, P. *Antoine, Billuart, Collet, Dens*, S. Ligorius, etc. Bened. XIV eamdem sententiam longius refert eamque approbare videtur, de Synodo diœc., lib. VII, cap. 15, n. 11.

Hinc pariter absolvendus est vir ignotus apud quem indicia catholicitatis inveniuntur, ut liber orationis, corona precatoria, etc. Imo in regione catholica, eum absolveremus qui nulla hujusmodi haberet signa, quia probabile est eum esse catholicum; secus ageremus in regione omnino hæretica vel infideli, propter rationem oppositam; dici namque non potest hæreticum aut infidelem habitualiter dispositum esse ad cupiendam absolutionem, et fortasse aliquo signo eam postulare. Ergo.

2° Qui certo male vivebant, sed fidem catholicam adhuc tenebant, similiter absolvendi sunt, tum quia fides quam profitebantur signum erat eos esse dispositos ad petendum sacramentum in casu necessitatis; tum quia præsumi potest eos aliquo signo conari desiderium suum actuale manifestare; tum denique quia S. Aug. dicit, loco

citato, baptizandos esse catechumenos, *qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia*, addens : « Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis ille- » cebra usque ad Baptismum statuerat detineri? » Ita expresse *Billuart*, *Dens*, etc.

3° Qui vero fidem catholicam non profitebantur, ut hæretici, schismatici, apostatæ et increduli manifesti, absolvi non possunt, nisi aliquod exhibuerint signum conversionis : nulla quippe est ratio præsumendi eos absolutionem desiderare.

4° Deneganda est absolutio iis qui in ipsomet actu peccati, v. g., in ebrietate voluntaria, in duello, etc., sensibus destituuntur, donec aliquo signo dent locum suspicandi ipsos dolere, quia huc usque judicantur indigni. Plures tamen arbitrantur eos absolvendos esse, modo constet fuisse catholicos, quia præsumi potest illos periculum advertentes, et dolere et dolorem exterius manifestare conari. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 483, plures alios citans, contra *Gonet*, *Habert*, *Juénin* et *Concina*. *Dens* autem hanc decisionem limitare videtur ad eos qui uno die aut altero obmutescentes supervivunt. In tali extremitate neque absolventes neque absolutionem negantes condemnare auderemus.

In cunctis his casibus, cum dispositiones pœnitentis sint dubiæ, absolutio danda est sub conditione tacita.

SECTIO SEPTIMA. — *De agendi ratione confessarii erga scrupulosos.*

I. DE AGENDI RATIONE ERGA SCRUPULOSOS IN GENERE. — Scrupuli considerandi sunt ut morbus animi gravis, periculosus et ad infelices exitus sæpe deducens : conscientiam anxietatibus torquent, facultates morales obtundunt, indolem mutant, in desperationem conjiciunt, impelluntque ad mortem sibi inferendam, ut pluries accidit; vel ad laxandum habenas cunctis vitiis, quod frequenti experientia constat. Sapiens igitur confessarius totus esse debet ut scrupulos nascentes præcaveat, vel natos quamprimum compescat et eradicet.

Unica autem est via eos sedandi atque tollendi, nempe obedientia cæca, constans et universalis. Ita omnes doctores et vitæ spiritualis magistri inter quos S. Bernardus, S. Antoninus, S. Franciscus Salesius, S. Philippus Nereius, Sta Theresia, S. Joannes a Cruce, S. Ignatius *de Loyola*, *Gerson* et omnes theologi. Unde scrupulosus vel ad scrupulos tendens nullo timore angi debet nisi timore non plene obediendi, propter periculum cui se exponat. S. Philippus Nereius affirmabat eum qui paret confessario, securum esse de non reddenda ratione actionum suarum; S. Joannes a Cruce dicebat, e contra, dictis confessarii non obtemperare, superbiam esse et fidei inobservantiam.

Confessarius igitur conetur pœnitenti suo persuadere 1° plenam habendam esse fiduciam in merita Christi et in patrocinium sanctissimæ Matris ejus; 2° consilia Dei ipsiusque judicia non esse scrutanda; 3° eum viscera patris tenerrimi erga nos habere, atque salutem nostram velle : nos idcirco filios obsequentissimos erga ipsum esse oportere; 4° plenam non quærendam esse certitudinem de bonitate actionum nostrarum in se, sed moralem, quæ ex judicio prudentis confessarii noscitur sufficere; 5° etiamsi confessarius erraret in præcipiendo, pœnitentem non erraturum in obediendo; 6° consortium scrupulosorum esse fugiendum; 7° diversos doctores aut confessarios non esse passim consulendos; 8° a lectione librorum nimiæ severitati faventium ipsis abstinendum.

II. De agendi ratione erga diversos scrupulosos in specie. — Præcipua scrupulorum objecta sunt dubia circa fidem, malæ cogitationes contra castitatem aut adversus charitatem, integritas confessionis, validitas confessionum præteritarum et timor ne in omnibus peccetur.

1° Expendere debet confessarius an pœnitens de veritate religionis in genere, aut de veritate alicujus dogmatis in particulari reipsa dubitet, an vero anxietatibus exagitetur sine ulla ratione positiva : in priori casu, solutis per ordinem objectis, lucide proponenda est veritas cum argumentis ad producendam convictionem magis idoneis;

in posteriori autem casu, præscribendum est pœnitenti ut dubia de quibus queritur, contemnat, rationes convictionis non exquirat, officia proprii status christiane impleat, et securus maneat.

2° Qui cogitationibus adversus castitatem aut charitatem vexantur, interrogandi sunt an malum sibi interius repræsentatum, data occasione, facere vellent : si incunctanter respondeant quod nollent, et revera caste vivant aut nihil contra charitatem admittant judicandi sunt in hoc puncto scrupulosi; tunc exigendum est ab eis ut tales cogitationes tanquam mera imaginationis deliria habeant, circa illas conscientiam non examinent, nec de illis se accusent.

3° Iis qui semper timent ne peccata sufficienter non aperiant, ostendendum est confessiones nunquam esse nullas defectu integritatis, quando pœnitens nihil vult occultare; sola peccata mortalia et circumstantias mortales esse materiam sacramenti necessariam, a cujus declaratione ignorantia, bona fides et præceptum confessarii excusare possunt. Ab hujusmodi personis quandoque exigendum est ut seipsas non accusent, sed quæsitis confessarii duntaxat breviter respondeant.

4° Iis autem qui circa validitatem præteritarum confessionum anxii sunt, vel quia omnia peccata et circumstantias eorum non satis explicuerunt, vel quia dolore requisito caruerunt, post interrogationes necessarias ad eos recte cognoscendos, prohibendum est, maxime si unam aut plures confessiones generales jam fecerint, ne ullum de præteritis confessionibus dicant verbum, nisi tam certo judicent se peccatum mortale admisisse et non declarasse, ut hoc utrumque cum juramento affirmare possint. Sciant quod, si forte aliquod peccatum mortale non declaraverint, aut si quædam vel omnes confessiones eorum præteritæ sint nullæ defectu doloris, nihilominus in præsenti confessione justificandi sunt modo vere doleant; quid igitur eos perturbare posset?

5° Suadendum est iis qui pavent peccare in omni re quam faciunt, ut libere agant sicut cæteri solent agere,

et peccatum non formident quoties evidenter non advertunt rem esse malam.

Benigne tractandi sunt scrupulosi, modo pareant : « Sed circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhi- » bendus; si enim hanc obedientiæ anchoram amittunt, » certum incurrunt naufragium ; nam aut amentes eva- » dent, aut habenas in vitia relaxabunt, inquit S. Ligorius, Praxis confess., n. 95.

Quidam sunt scrupulosi sub aliquo respectu qui sub aliis respectibus graviter delinquunt; fortiter increpandi sunt, et a sacramentis removendi, donec resipiscant et emendationem sincere promittant. Qui vero timoratæ sunt conscientiæ et præ metu sacram Eucharistiam accipere non audent, aliquando jubendi sunt virtute obedientiæ ad illam accedere, vel post absolutionem, vel etiam sine absolutione.

SECTIO OCTAVA. — *De agendi ratione confessarii erga personas devotas.*

1° Caveat confessarius ne personas ad devotionem vocatas verbis minus discretis, negligentia, impatientia aut frigiditate a proposito avertat, vel retardet; facile graviter peccaret. Eas, e contra, honoret, adjuvet et velut pretiosiorem gregis Christi portionem habeat. Attamen quamlibet familiaritatem externam cum illis sedulo fugiat; et si advertat aliquam sibi naturaliter adhærere, eam ad alium confessarium statim remittat.

2° Curare debet ut quæ ad sacram synaxim frequenter accedere dignæ sunt, singulis hebdomadis aut saltem quindenis confiteantur et absolutionem ordinarie suscipiant.

Dicimus *ordinarie ;* quia non necesse est ut singulis vicibus absolvantur; pii enim confessarii benedictionem tantum eis impertiunt easque ad communionem nihilominus admittunt, quando vident illas potius naturales defectus quam peccata venialia declarare; alii vero non minus pii gratiam sacramentalem illis procurare volentes,

eas semper absolvunt, modo peccata vitæ anteactæ certa saltem in genere confiteantur, dicendo, v. g.: De omnibus peccatis totius vitæ meæ, et præsertim de iis quæ contra talem vel talem virtutem commisi, accuso me, de illis veniam a Deo postulo, et a te, Pater, pœnitentiam et absolutionem.

Juvat ista methodo in frequentibus confessionibus semper uti, etiam quando peccata certo venialia declarantur, ut materia sacramenti assecuretur; timendum est enim ne peccata quæ declarantur sint dubia, aut ne insufficiens de illis habeatur contritio: contra vero si gravia peccata jam remissa declarentur et actualis eliciatur contritio circa illa, certa est materia, et gratia sacramentalis confertur. Ergo.

3° Si quis de venialibus quotidianis, v. g., de impatientiis, intemperantiis, distractionibus aliisque similibus confiteantur, spectandum est an aliquando vim sibi intulerit ut passionem superaret, an vero sine resistentia relapsus fuerit: in priori casu, potius ex humana fragilitate quam ex defectu propositi peccare judicatur, et absolvi potest; in posteriori casu, proposito caret et sufficientem contritionem non habet: igitur absolvi non potest, nisi alia declaret peccata de quibus vere doleat.

4° Cavere debet confessarius ne pœnitentibus suis, præsertim feminis, prohibeat ad alium confessarium accedere; et si resciverit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse, nisi ageretur de scrupulosis qui periculose ad alios accederent propter varietatem decisionum. Non facile autem ipse suscipiat eos qui confessarium mutare volunt: nam talis mutatio, aliquando necessaria, frequenter ex levitate aut curiositate, vel etiam ex prava intentione procedit, ut pluries, nobis scientibus, accidit.

5° Summa etiam utatur prudentia ne a falsis devotis decipiatur; superbas, morosas, de aliis detrahentes, curam familiæ negligentes, etc., cum aliorum scandalo, ad mensam sacram frequenter non admittat. Vera enim devotio frenum cunctis vitiis imponit, et omnia proprii status officia fideliter adimpleri procurat.

SECTIO NOVA. — *De agendi ratione confessarii erga eos quos male absolvit.*

Triplex contingere potest defectus in absolutione, scilicet essentialis, accidentalis proximo non nocens, et alter proximo nocens.

1° Si ob defectum essentialem absolutio fuerit nulla, confessarius tenetur pro posse hunc defectum corrigere, quia pœnitens alioquin in re gravi deciperetur. Vel autem prævidet pœnitentem ad se mox reversurum, et tunc eum exspectabit ut moneat; vel talem non habet prævisionem, et eum extra confessionem monere debet, prius petita et obtenta licentia illi de re ad confessionem pertinente loquendi. Si autem judicet se hujusmodi licentiam prudenter petere non posse, rem misericordiæ Dei committat et de culpa, si quam admiserit, doleat; ad nihil ultra tenetur.

Si vero adverteret se male absolvisse pœnitentem adhuc moraliter præsentem, v. g., in ecclesia non longe orantem, et rite dispositum, illum secreto absolvere posset et deberet.

2° Si contigerit defectus non essentialis, nec cum damno proximi conjunctus, v. g., si confessarius omiserit interrogare de numero et circumstantiis peccatorum, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad agendam pœnitentiam de peccato. Si pœnitens redeat, defectum in alia confessione corrigere poterit: si non redeat, eum extra confessionem, petita licentia, admonere non tenetur, nisi positive eum deceperit, dicendo, v. g., non declarandas esse circumstantias speciem peccati mutantes, non tollendam esse occasionem proximam, vel ita tacuerit ut pœnitens intellexerit se tollere occasionem, vel restituere, etc., non teneri.

3° Si defectus tertiæ personæ noceat, v. g., si confessarius omiserit restitutionem injungere, pœnitentem modo superius exposito admonere tenetur; et si positive ex malitia, vel ex ignorantia culpabili aut negligentia gravi

affirmaverit non esse restituendum, ipse restituere tenebitur, nisi pœnitentem efficaciter admonuerit.

§ III. — De obligationibus confessarii quæ spectant ad sigillum.

Nomine sigilli, intelligitur obligatio celandi ea quæ ex sacramentali confessione accepta sunt, sumpta metaphora a sigillo quo ea obsignamus quæ volumus esse secreta. Dicemus 1° de obligatione servandi sigillum; 2° de iis quæ cadunt sub sigillo; 3° et de iis qui tenentur ad sigillum.

Sectio prima. — *De obligatione servandi sigillum.*

PROPOSITIO.

Strictissima est obligatio inviolabiliter servandi sigillum confessionis.

Prob. Quod jure naturali, divino et ecclesiastico præcipitur, strictissimæ est obligationis : atqui tale est sigillum confessionis.

1° *Jure naturali præcipitur.* Jus enim naturale prohibet ne diffametur proximus, violetur religio secreti, sacramentum ludibrio et odio exponatur : hæc tamen omnia faceret sacerdos sigillum confessionis violando : ergo.

2° *Jure divino.* Qui enim præcipit finem, præcipit media ad illum assequendum necessaria : porro Christus præcipit confessionem; confessio autem impossibilis est nisi altissimum servetur secretum circa ea quæ declarantur : ergo.

3° *Jure ecclesiastico.* Nam in decreto. part, 2, causa 33, quæstione 3, dist. 6 de Pœnit., can. 2, sic habetur : « Sa» cerdos ante omnia caveat ne de his quæ ei confitentur » peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, » neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fe» cerit, deponatur et omnibus diebus vitæ suæ ignomi» niosus peregrinando pergat. »

Concil. Lateran. IV, can. 21, pœnam depositionis in violatores sigilli renovavit, sed perpetuam peregrinationem in perpetuam pœnitentiam in arctiori monasterio agendam commutavit. Innocentius III non dubitavit dicere sacerdotem peccatum apud se depositum revelantem, gravius peccare quam hominem illud committentem. Ergo.

Diximus 1° *strictissima obligatio;* — a) quia triplici fundatur præcepto, et violatio ejus triplicem complecteretur malitiam, unam contra famam proximi, secundam contra fidelitatem in pacto tacito promissam, et tertiam contra reverentiam sacramento debitam; — b) quia nulla dispensatione, nec summi Pontificis, nec concilii generalis tolli potest; — c) quia in nullo prorsus casu, et propter nullum finem, quantumvis bonum, honestum, utilem aut necessarium, violari potest, nec pro tuenda confessarii vita, nec pro bono temporali aut spirituali ipsius pœnitentis, nec pro servanda republica, fide aut Ecclesia: nam existentia sacramenti Pœnitentiæ, ac consequenter religionis, ab inviolabilitate sigilli pendet; hoc autem bonum tantum est ut nullo alteri comparari possit.

Omnes fatentur transgressionem hujusce obligationis levitatem materiæ non admittere : revelatio igitur minimæ culpæ peccatum esset mortale.

Diximus 2° *inviolabiliter servandi*, id est—a) nec verbo, nec facto, nec signo, nec scripto, nec ullo alio modo significare liceat ea quæ audita sunt in confessione; — b) neque ante mortem, neque post mortem pœnitentis, neque ipsi, extra tribunal, neque aliis, quamvis alia via culpam in confessione declaratam rescivisset confessarius ; — c) neque directe et expresse, neque indirecte, aliquid faciendo aut omittendo unde detegatur vel in suspicionem veniat confessio pœnitentis, vel unde ipse judicare vel suspicari possit confessarium iis in confessione acceptis uti, etc.

Hinc 1° qui duos audivit fratres, dicere non potest unum habere tantum venialia, quia indirecte revelaret alterum habere mortalia.

Hinc 2° contra inviolabilitatem sigilli peccaret qui diceret, v. g.: Prima persona quam audivi, tale declaravit peccatum, quia periculo eam manifestandi per aliorum conjecturas se exponeret. Item non licet dicere peccata extraordinaria, sive genere, sive numero, sive circumstantiis, in tali communitate, vel in tali parochia esse consueta; nam inde aliqua infamia communitati aut parochiæ nasceretur.

Hinc 3° duo confessarii qui eamdem audierunt personam idem peccatum declarantem, de illo inter se colloqui non possunt; nam peccatum *istud* sciunt tantum sacramentaliter.

Hinc 4° qui interrogatur de auditis in confessione, affirmare et jurare potest, etiam coram justitia, se ea nescire; nescit quippe ut homo, cum ea didicerit tantum ut vices Christi gerens: si vero interrogaretur an talis persona hoc vel illud peccatum confessa fuerit, neque affirmare, neque negare potest, sed generaliter dicere se nescire, vel hanc quæstionem esse impiam et ad illam *nihil* respondendum esse.

Quæritur ex qua confessione oriatur obligatio sigilli.

R. Ex omni et sola confessione sacramentali, siquidem ipsius est proprietas. Illa autem confessio est sacramentalis quæ fit in ordine ad sacramentum, sive absolutio impertiatur, sive non.

Unde 1° confessio quæ scienter fit laico vel sacerdoti jurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis: secus dicendum si sacerdos credatur approbatus, quia confessio ex parte pœnitentis vere est sacramentalis. 2° Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum protrahendi, aliquid ab eo extorqueri, etc., in ordine ad sacramentum se non accusat: igitur confessio ejus obligationem sigilli non imponit. Vix tamen confessarius ea revelare posset quæ sic agnovisset, propter periculum ne haberetur ut violator sigilli. 3° E contra, qui conscientiam confessario aperit, sine voluntate absolutionem suscipiendi, sed ut consilium obtineat; ut præcepto Ecclesiæ

vel mandato superioris aliquo modo satisfaciat, confessionem obligationem sigilli inducentem facit. Ita Sylvius et *Billuart*. Hinc schedula confessionis hujusmodi pœnitentibus negari non potest; solum enim factum confessionis exprimere debet confessarius, sive absolutio concessa fuerit, sive non, his circiter verbis : *Ego, infra scriptus, testor N. peccata sua apud me deposuisse*, etc. 4° Quod sub sigillo confessionis, extra confessionem, acceptum est, sub sigillo reipsa non cadit, siquidem non fit confessio sacramentalis : est igitur duntaxat sub secreto naturali.

SECTIO SECUNDA. — *De iis quæ sub sigillo cadunt.*

Sub sigillo inviolabiliter concluduntur directe vel indirecte peccata mortalia et venialia, eorum objecta et circumstantiæ, pœnitentia imposita, defectus naturales, et generatim quidquid ex sola confessione cognitum, pœnitenti aliquo sensu molestum esset; nisi enim hæc omnia inviolabiliter custodirentur secreta, sacramentum redderetur odiosum.

1° Omnia peccata mortalia tam in genere quam in specie : unde qui diceret aliquem in censuram incidisse, casum reservatum habuisse, aliquid grave declarasse, sigillum frangeret. Item : si audito gravi peccato in tribunali, exclamaret vel ingemisceret, aliis audientibus.

2° Peccata venialia, tum in genere, tum in specie; nam obligatio sigilli levitatem materiæ non patitur, *ut diximus*. Quidam tamen docent revelationem non esse, si confessarius solummodo dicat de pœnitente : Venialia tantum confessus est; quia eo ipso quod confiteatur, saltem habet peccatum veniale; sed hoc periculosum est et caute vitandum.

3° Objecta peccatorum; unde si pœnitens declaret se male locutum esse de tali puella gravida, confessarius hanc circumstantiam manifestando, etiamsi aliis publice nota esset, contra sigillum ageret : quamdiu per solam confessionem illam cognoscit, tacere tenetur. Hinc eos

Billuart affirmat increpandos esse qui, orto scandalo publico, dicunt, ut frequens est, aures suas in confessionali continuo vexari allocutionibus contra istud peccatum.

4° Complices juste vel injuste in confessione detecti; et circumstantiæ etiam non necessariæ, sed quas pœnitens errore putavit esse declarandas. Alia vero in tribunali narrata, sed ad confessionem non pertinentia, sub sigillo non cadunt.

5° Pœnitentia injuncta; si enim gravis sit, qualis pro mortali peccato solet imponi, revelatio illius pœnitentem infamaret et sacramentum odiosum redderet. Similiter nec pœnitentis indispositionem, nec absolutionis denegationem revelare licet.

6° Defectus naturales, ut illegitimitas natalium negotiorum domesticorum implicatio et quidquid pœnitenti molestum est, vel tale ab ipso reputatur et ex sola confessione cognoscitur, sub sigillo obsignatur; unde qui ex confessione novit famulam furari pecuniam, arcam obserare non potest; qui didicit mortem sibi strui, nihil facere aut omittere potest quod molestum pœnitenti esse posset, nisi ab eo licentiam obtinuisset.

Cum sigillum in favorem pœnitentis institutum fuerit, narrare quæ ipsi molesta esse nequeunt, fractio sigilli non est : ea ratione excusantur magni viri confessarii qui testati sunt se nihil grave in tota vita alicujus sancti invenisse, quemadmodum fecit Bellarminus relative ad sanctum Aloysium a Gonzaga. Nec tamen, extra necessitatem, sic loquendum est, propter periculum revelationis indirectæ respectu aliorum, de quibus tale testimonium reddi non posset, et ne aliqua inde suboriatur suspicio quod sigillum aliquando violari possit.

Idcirco caveant confessarii ne passim inter se loquantur, absque necessitate, de rebus ad confessionem pertinentibus, et nunquam id faciant coram laicis, qui in hac materia facile scandalizantur.

SECTIO TERTIA. — *De iis qui ad sigillum obligantur.*

Hac obligatione obstringitur primario confessarius, et secundario ii omnes qui confessionis sacramentalis fiunt participes : hoc quippe ex institutione sacramenti sequitur. Hinc ad servandum illud secretum tenentur :

1° Non solum verus confessarius, sed et fictus, ut laicus fingens se esse sacerdotem, et confessionem excipiens : nam confessio ex parte pœnitentis fit in ordine ad sacramentum ;

2° Interpres cum pœnitente et confessario in ipsamet confessione communicans, et qui peccata rudis ea dictantis in ordine ad confessionem scribunt, si pœnitens id faciat ex quadam necessitate, non vero ex libera electione ; quo in casu scribentes ex obligatione naturali tantum ad secretum tenerentur ;

3° Qui peccata alicujus se accusantis voluntarie vel involuntarie audivit ;

4° Ii quibus revelatio confessionis facta fuisset, sive cum licentia pœnitentis, sive quolibet alio modo, etiamsi notitia ad innumeros pervenisset, quia cum onere sibi annexo sic pervadit ;

5° Juxta multos, qui industria vel casu legit scriptum peccata in ordine ad confessionem descripta continens, quia velut instrumentum confessionis sacramentalis habetur. Hic eadem admittenda est restrictio ac in numero 2° ;

6° Confessarius cui pœnitens de rebus ad confessiones suas attinentibus, extra confessionem, loquitur : non vero alii, sive laici sive sacerdotes, quibus fideles res conscientiæ ad quærendam consolationem, vel ad petenda consilia aperiunt ; tunc enim nullus est respectus ad confessionem sacramentalem ; igitur solum naturale secretum debetur. At si pœnitens eos in ordine ad confessionem consuleret, petendo, v. g., modum hæc vel illa peccata declarandi, quidam volunt inde procreari obligationem sigilli : sic P. *Antoine, Concina, Collet* et *Billuart*, contra

multos alios qui contendunt ibi solam adesse obligationem naturalem.

Quæritur 1° an ipse pœnitens obligatione sigilli teneatur.

R. negative. Nam sigillum in ipsius favorem fuit institutum : in tantum igitur ad secretum naturale tenetur, in quantum seipsum infamare, vel cum detrimento confessarii aut sacramenti loqui non debet.

Quæritur 2° an confessarius quandoque loqui possit cum pœnitente de ipsius confessione.

R. Potest in tribunali pœnitentiæ, sed discrete, ne illum offendat : at extra sacrum tribunal, ne ullum quidem verbum dicere potest absque pœnitentis licentia. Ex licentia autem ipsius spontanea et plene libera, loqui potest de confessione ejus, non solum cum ipso, sed et cum alio, dummodo fines licentiæ non excedat. Notandum quippe est hanc licentiam a sola voluntate pœnitentis pendere, et ideo limitari vel ad nutum revocari posse.

Quæritur 3° an confessarius aliquando uti possit notitia ex confessione accepta.

R. 1° Si rem aliunde quam per confessionem noscat, ea sub hoc respectu uti potest, dicendo se eam vidisse, vel tali aut tali via cognovisse. Si vero per solam confessionem eam cognoscat, nunquam ea notitia uti potest, si subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut gravaminis realis aut æstimati pœnitenti vel alteri advenientis : hoc ex natura sigilli sequitur.

Hinc superior cognitione per confessionem obtenta uti non potest ad exercendos actus pœnitenti vel alteri ingratos, v. g., ut vultum austeriorem ei ostendat, durius eum alloquatur, colloquium ejus fugiat aut ægre ferat, licentiam exeundi ei recuset, vel suffragium neget, eum ad ordines, ad officium vel ad pastoratum non promoveat, ut res suas diligentius servet, seras mutet, claves apud se custodiat, fenestram claudat, etc. Unde Clemens VIII, decreto diei 26 maii anni 1594, mandavit ut, « tam su» periores pro tempore existentes quam confessarii qui » postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant

» diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis » in confessione habuerint, ad externam gubernationem » utantur. » *Ferraris*, v° *Sigil.*, n. 13.

R. 2°. Si nullum sit periculum revelationis aut gravaminis, sive pœnitenti, sive alteri, scientia ex confessione hausta uti licitum est; quia tunc nihil est quod reverentiæ sacramento debitæ adversetur, vel pœnitenti obesse possit. Unde confessarii notitia per confessionem accepta uti possunt ad orandum pro pœnitentibus, ad studendum, ad consulendum, ad sibi invigilandum ne in similes casus labantur, ad benignius eos suscipiendos, ad speciales gratias eis concedendas; in hac enim agendi ratione nihil sacramentum reddit odiosum, nec gravamen imponit pœnitenti aut alteri.

APPENDIX

DE PURGATORIO ET INDULGENTIIS.

CAPUT PRIMUM.

DE PURGATORIO.

I. De purgatorii existentia quæstio generalis. — Nomine purgatorii intelligitur locus in quo, post mortem, mundantur animæ quibus aliquid superest luendum; vel, ut alii dicunt, locus in quo animæ justorum defunctorum pœnis temporalibus obnoxiæ satispatiuntur. Non dicitur *satisfaciunt*, quia jam libertatem non habent, nec igitur mereri possunt, sed tantum pœnas a Deo sibi inflictas sive pro peccatis mortalibus remissis, sive pro peccatis venialibus non expiatis, exsolvere.

Existentiam purgatorii olim negarunt Valdenses, et nunc fortiter negant Lutherani et Calvinistæ. « Clamandum, inquit Calvinus, Inst. lib. III, cap. 5, n. 6, non » modo vocis, sed gutturis ac laterum contentione, purgatorium exitiale esse Satanæ commentum, quod Christi » crucem evacuat. »

Notandum tamen plures inter protestantes non ita sentire, sed locum expiationis, preces suffragiaque pro mortuis admittere. Sic, ex Anglis, *Montagu, Gunnin, Scheldon, Barrow, Blancsford*, etc.; ex Germanis, *Molanus* apud *Bossuet, Leibnitz*, expresse in Syst. Theol., p. 348, *Less, Young*. Vid. P. *Perrone*, de Purgatorio.

PROPOSITIO.

Existit purgatorium.

Prob. Illa propositio tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus, traditione et ratione; atqui propositio nostra est de fide, etc.

Est de fide. Sic enim definita fuit in conc. Trid., sess. 6, can. 30: « Si quis, post acceptam justificationis gratiam, » cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat » reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, » vel in futuro, in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit. »

Prob. 1° *Scriptura sacra.* II Mach. XII, 43, Judas Machabæus, cum quidam Judæi in prælio adversus Gorgiam cecidissent, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans.* Deinde ℣. 46: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.*

Unde sic: Sacrificium et preces inservire possunt mortuis ut a peccatis solvantur: sed inservire non possunt beatis qui sunt in paradiso, nec damnatis qui in infernis

detinentur; ergo cæteris qui purgandi in alio loco morantur, id est, in purgatorio. Ergo.

Neque dicant hæretici libros Machabæorum non esse canonicos; cum enim in primis Ecclesiæ sæculis a Græcis et a Latinis inter libros canonicos annumerati fuerint, ut constat testimoniis Tertull., S. Cypriani, Luciferi Calarit., S. Aug. conc. Carth. III, can. 47, concil. Romani sub Gelasio celebrati, S. Innocentii I in Epist. ad Exuperium, etc., eorum *canonicitas* in dubium merito revocari non potest. Aliunde, etsi concederetur illos non esse canonicos, saltem negari non potest esse antiquissimos, et cuncta exemplaria, sive latina, sive græca, sive syriaca, eodem modo textum supra citatum exprimere: ergo fidem Judæorum sicut et Christianorum circa purgatorii existentiam testantur. Ergo.

Matth. XII, 32: *Quicumque verbum dixerit contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Christus loqui debuit modo intelligibili: porro verba ista, *neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non haberent sensum intelligibilem, si Apostoli credidissent nulla remitti peccata in futuro sæculo. Quid sentiremus de homine dicente: Non nubam, neque in hoc sæculo, neque in futuro? Insulse loqueretur, quia supponeret possibiles esse nuptias in altera vita: ergo similiter insane locutus fuisset Christus. Ergo.

Alia eruitur probatio ex I Cor. III, 15, ubi Apostolus dicit alios in die judicii mercedem statim recepturos, et alios detrimentum passuros; salvandos tamen, sed *quasi per ignem*. Ergo 1°.

Prob. 2° *SS. Patribus.* Tertull., lib. de Monogamia, cap. 10, loquens de vidua, dicit: « Pro anima ejus (con» jugis defuncti) orat et refrigerium interim adpostulat. » S. Epiphanius, Hæresi 75, n. 7 et 8: « Quæ pro mortuis » concipiuntur preces, eis utiles sunt; necessario facere » illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum a » majoribus acceperit. »

S. Aug., Serm. 172, cap. 12: « Orationibus sanctæ

» Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro
» eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mor-
» tuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Do-
» mino, quam eorum peccata meruerunt: hoc enim a
» Patribus traditum universa observat Ecclesia. »

Plures alii Patres citari possent. S. Epiphanii et S. Augustini testimonia probant morem pro defunctis exorandi ipsorum tempore fuisse antiquum, id est, a Judæis transmissum Christianis, et in Ecclesia universalem : insuper S. Aug. integrum fecit librum de cura pro mortuis gerenda, et ipse pro matre defuncta oravit eamque orationibus et sacrificiis lectorum suorum commendat, l. IX, Conf., cap. 13. Ergo 2°.

Prob. 3° *Traditione.* Præter ea enim quæ retulimus et quæ traditionis existentiam, tum apud Christianos, tum apud Judæos ostendunt, sequentia addi possunt: Græci Latinis in hoc dogmate consenserunt in concil. Florentino; in eorum liturgia, sicut in nostra, oratur pro defunctis; imo in omnibus liturgiis ecclesiarum orientalium, etiam antiquissimis et quæ ad ipsos Apostolos ascendunt, idem statuitur. Nec dissentiunt Judæi recentiores, ut ex libris Rabbinorum ostendunt Serarius et Genebrardus. Pro mortuis orant Islamitæ.

Plus minusve expresse eadem doctrina de purgatorio habetur apud veteres tum Græcos, tum Romanos, ut videre est apud Clem. Alex. de Stoicis, et apud alios. De Persis idem refert Eusebius, Præp. Evang., Zoroastrum citans. Suffragia pro mortuis admittunt Indi, ut patet ex variis relationibus itinerum.

Prob. 4° *Ratione.* Constat, remissa culpa, non semper remitti pœnam temporalem : si quis ergo cum pœna temporali non soluta, aut cum aliquo peccato veniali decedat, non statim introibit in regnum cœlorum, nec damnatur: ergo debet esse locus in quo pœnas debitas patiens mundabitur : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Inter rationes ab hæreticis contra dogma catholicum allegatas, objicitur 1° vocem *purgatorium* in Scriptura sacra non inveniri; 2° in Scriptura duos tantum exprimi

status hominum e vita decedentium; 3° Græcos a Latinis in pluribus dissentire.

Verum 1° quid refert quod vox *purgatorium* in Scriptura non inveniatur, si res ipsa reperiatur? Certe vox *consubstantialis* non invenitur in Scriptura, nec vox *Trinitas*, et tamen eas admittunt Protestantes. 2° Scriptura duos tantum exprimit status hominum in altera vita post ultimum judicium, ut in Matth. XXV, 34 et 41, scilicet statum beatorum et statum damnatorum; sed alibi, *ut ostendimus*, supponit existere locum inter utrumque medium, in quo mortui adjuvari possunt. 3° Græci a Latinis dissentiunt circa naturam pœnarum quibus animæ justæ plectuntur in purgatorio, non vero circa illarum existentiam. Ergo.

II. De purgatorio quæstiones speciales. — Duo puncta tantum ab Ecclesia fuerunt definita tanquam de fide catholica, scilicet, dari purgatorium et animas ibi detentas fidelium suffragiis, et potissimum salutari altaris sacrificio adjuvari: cætera liberæ theologorum discussioni relinquuntur.

Quæritur 1° quæ sit natura pœnarum in purgatorio luendarum.

R. Juxta omnes, duplex est pœna in purgatorio, una damni quæ est retardatio visionis beatificæ, et altera sensus. Hæc autem, secundum Græcos, per labores et dolores acerbos causatur: verum constans Latinorum sententia est, in purgatorio esse ignem materialem similem igni infernali, et ideo Ecclesiam pro animabus fidelium orantem, non petere tantum locum lucis et pacis, sed et refrigerii, videlicet contra ignis ardorem. Unde S. Thomas, Suppl., q. 70, art. 1, docet pœnam purgatorii quamlibet pœnam hujus vitæ excedere, quamvis pœnis inferni æquiparari non debeat, propter amicitiam Dei, spem obtinendi gloriam æternam et resignationem patientium.

Non æquales sunt pœnæ, sive in intensitate, sive in duratione, pro omnibus, quia non omnes eadem habent debita divinæ justitiæ solvenda. Hinc S. Bonaventura et Bellarminus dixerunt maximam purgatorii pœnam ma-

xima hujus vitæ pœna esse graviorem, non vero minimam purgatorii pœnam maxima hujus vitæ majorem esse.

Incertum est an dæmones justos in purgatorio torqueant; graves theologi cum S. Thoma negant : affirmat vero S. Bernardus cujus sententiæ favent liturgiæ, in quibus petitur a Deo ut animas illas liberet de ore leonis.

Quæritur 2° ubinam sit purgatorium.

R. Communiter docetur illud esse in visceribus terræ, prope infernum. Attamen S. Thomas, Suppl., q. 69, art. 7, concl., dicit animas extra hunc locum, Deo ita permittente, aliquando purgari et in terra divagari, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem.

Ut certum habetur infernum esse subterraneum. Alius est locus etiam subterraneus, ab inferno et a purgatorio valde probabilius distinctus, quem habitant qui cum solo peccato originali mortui sunt.

Quæritur 3° quanto tempore animæ justorum in purgatorio detineantur.

R. Hoc prorsus ignoratur. Alexander VII, per decretum diei 18 martii 1665, sequentem, numero 43, damnavit propositionem : « Annuum legatum pro anima relictum » non durat plus quam per decem annos. »

S. Aug. matrem suam tringinta annos post mortem ejus sacrificiis et orationibus lectorum suorum commendabat; Ecclesia celebrat anniversaria ante plura sæcula pro quibusdam fidelibus in particulari condita : ergo fieri potest ut animæ dintissime maneant in purgatorio : et plures hæc verba I Petr. III, 19 et 20 : *In quo et his qui in carcere erant spiritibus veniens, prædicavit; qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur arca,* interpretantur de animabus in purgatorio detentis a tempore diluvii usque ad descensum Christi in inferos, id est, per duo millia annorum et amplius.

Quomodo autem mundabuntur qui in fine sæculorum cum debitis temporalibus decedent, prorsus ignoramus :

Deus, cujus scientia est infinita, non carebit medio pœnas proportionatas eis infligendi.

Quæritur 4° an animæ in purgatorio detentæ, certæ sint de salutate sua.

R. affirmative, idque ob revelationem ipsis factam in judicio particulari, et quia, ex speciali Dei protectione, confirmatæ sunt in gratia : mereri quidem non possunt, sed etiam peccare nequeunt. Unde si Ecclesia, orans pro illis, postulet ut liberentur de pœnis inferni, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, etc., hoc est quia eas sibi et Deo repræsentat tanquam ex corpore exeuntes.

Quæritur 5° an animæ in purgatorio orare possint.

R. Quamvis illæ animæ mereri aut satisfacere nequeant, quia sunt in termino, actus virtutis, v. g., fidei, spei, charitatis et patientiæ exercere possunt; similiter et orando, aliquid a Deo impetrare valent, sive pro seipsis, v. g., aliquam remissionem pœnæ, ut fere omnes fatentur : sive, juxta multos, pro vivis, maxime pro illis qui orant pro ipsis, quia nobiscum sunt in communione sanctorum. Hinc nihil obstat, in ea sententia, quominus istæ animæ in privatis orationibus invocentur, sicut preces justorum viventium utiliter petuntur.

Quæritur 6° an animæ in purgatorio detentæ, suffragiis vivorum adjuvari possint.

R. De fide est eas adjuvari posse : hoc constat ex conc. Florent., decreto de Purgatorio, et ex conc. Trid., sess. 22, can. 3, et sess. 25, decreto de Purgatorio, ubi definit « purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suf- » fragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio » juvari. »

Aliunde dogma istud cum articulo symboli, de communione sanctorum, conjunctum est et perpetua ac universali Ecclesiæ praxi probatur, ut testimoniis in propositione de existentia purgatorii allatis, et ex multis aliis quæ afferri possent, innotescit. Ergo.

Bona opera quibus animæ in purgatorio adjuvari possunt, prout exponuntur in conc. Florent., sunt : « Vivo- » rum fidelium suffragia, Missarum sacrificia, orationes,

» eleemosynæ et alia pietatis officia. » His adjungenda est indulgentia quando ita conceditur ut defunctis applicari possit.

Sacrificium Missæ et officium nomine Ecclesiæ celebratum defunctis prosunt, licet a sacerdote in peccato mortali existente offerantur, quia hæc opera ex ipsius dispositione efficaciam suam non habent. Contra vero, orationes, jejunia aliaque opera personalia in statu peccati peracta, defunctis inservire nequeunt, quia non sunt viva nec Deo grata.

Determinare non possumus qua mensura suffragia vivorum, etiam præstantissima, ut sacrificium Missæ, pœnam in purgatorio solvendam minuant, nec quo modo illorum valor defunctis applicetur; hoc a multis circumstantiis pendere potest, v. g., a natura peccatorum pro quibus pœna solvenda est, a voluntate pœnitentiam agendi quam habuerunt defuncti, a sollicitudine qua movebantur viventes erga alios defunctos, a dispositionibus offerentium et orantium, etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE INDULGENTIIS.

Quid sit indulgentia. — Indulgentia recte definiri potest: *Remissio pœnæ temporalis, peccatis actualibus jam remissis quoad culpam debitæ, extra sacramentum Pœnitentiæ facta ab eis qui habent potestatem thesaurum Ecclesiæ spiritualem dispensandi.*

Dividitur 1° in plenariam et partialem. Indulgentia plenaria ea est quæ omnem pœnam peccatis debitam remittit: unde qui eam perfecte lucratus, statim decederet, in regnum cœlorum introiret. Indulgentia partialis ita vocatur, quia partem tantum, majorem vel minorem, pœnæ temporalis remittit.

Dividitur 2° in temporalem et in perpetuam. Indulgentia temporalis ea est quæ per aliquod tempus lucranda proponitur, et adveniente termino præfixo exspiratur; est vero perpetua, quando indefinite concessa est; non cessat nisi per revocationem sufficienter manifestatam.

Dividitur 3° in localem, realis et personalem. Indulgentia localis illa est quæ affixa est loco, v. g., alicui ecclesiæ, capellæ B. Mariæ; realem ea est quæ nonnulis objectis portatilibus, v. g., coronis, annexa est; indulgentia personalis illa est quæ uni vel pluribus personis annectitur : tales sunt indulgentiæ confraternitatibus concessæ quas confratres ubique lucrari possunt.

Breviter nobis dicendum est 1° de potestate Ecclesiæ concedendi indulgentias; 2° de iis qui hanc habent potestatem; 3° de causis ob quas licet indulgentias concedere; 4° de natura indulgentiarum; 5° de thesauro indulgentiarum; 6° de illarum efficacia; et 7° de conditionibus ad eas lucrandas requisitis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTESTATE ECCLESIÆ CONCEDENDI INDULGENTIAS.

Hanc potestatem plus minusve directe negaverunt Valdenses, Wiclefistæ, et deinde Lutherus, ac post ipsum cuncti Protestantes. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Existit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias.

Prob. Illa propositio negari non potest, quæ est de fide, ac probatur Scriptura sacra et traditione : atqui propositio nostra est de fide, probatur, etc.

Est de fide. Sic enim definita fuit in conc. Trid., sess. 25, decreto de Indulgentiis : « Sacrosancta synodus in» dulgentiarum usum christiano populo maxime saluta» rem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in

» Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque ana-
» themate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas
» concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. » Duo igitur fide catholica constant, scilicet Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias, et eas populo christiano esse salutares. Ergo.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Matth., XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*; et XVIII, 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Unde sic : Ecclesia habet potestatem, sine ulla restrictione, aperiendi cœlum, solvendo vincula quæ ingressum ejus impediunt : atqui pœna temporalis peccatis remissis debita, est vinculum ingressum cœli impediens : ergo.

Ea potestate B. Paulus utens erga incestuosum Corinthium quem in vindictam criminis publica pœnitentia affecerat reliquam pœnam *in persona Christi* indulsit, *ne abundantiori tristitia absorberetur*, II Cor. II, 7. Ergo 1°.

Prob. 2° *traditione.* — a) Ex monumento novissime reperto et in lucem edito (*Monuments inédits sur sainte Marie-Madeleine*, t. II, p. 627), Benedictus IX, anno 1040, per bullam confirmavit indulgentiam plenariam, antea et probabiliter a pluribus sæculis, visitationi ecclesiæ Sancti Victoris Massiliensis affixam. — b) Versus finem ejusdem sæculi, Urbanus II, in concilio Claromontano, anno 1095, longe ante Valdenses, plenariam concessit indulgentiam iis qui crucem adversus infideles sumerent; nemo redarguit Pontificem eo quod talem exerceret potestatem : ergo tunc constans et universalis erat traditio circa illud punctum. — c) In præcedentibus autem sæculis nullum deprehenditur vestigium institutionis hujus praxis : videmus e contra, in variis temporibus, quasdam indulgentiarum species in usu ; summi Pontifices et episcopi pœnitentias canonicas sæpius relaxabant, modo propter aliquam compensationem minorem, modo ad commendationem martyrum. Dici autem non posset has relaxationes in commodum mere temporale cessisse nec solvisse coram Deo,

quod tamen asserere non dubitant Protestantes. Nam, ut ait S. Thom., Suppl., q. 25, art. 1, concl. : Ecclesia hu- » jusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam » adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet » purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. » Græci usum indulgentiarum non exprobraverunt Latinis, et ipsi indulgentias concedunt. Ergo 2°.

Prob. 3° *ratione.* In Ecclesia est potestas ligandi per satisfactionem pro pœnis temporalibus impositam. Inde facile concipitur solvendi pro iisdem pœnis potestatem Ecclesiæ a Christo concedi potuisse.

Negari non potest plures olim irrepsisse abusus in concedendis indulgentiis, unde hæretici immerito sumpserunt occasionem adversus rem ipsam insurgendi : ipsis respondendum est per verba sacri concilii Tridentini, quod, « in his concedendis (indulgentiis) moderationem, » juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, » adhiberi cupit, ne, nimia facilitate, ecclesiastica disci- » plina enervetur; » sess. 25, decret. de Indulgentiis. Abusus ergo de quibus conquesti sunt novatores, non imputandi sunt Ecclesiæ cujus doctrina semper fuit sancta, sed hominibus et præsertim quæstoribus, ut ipsum concil. Trid. satis indicat in decreto citato.

Animadverti potest quantum sibi contradicant Protestantes, qui, dum agitur de satisfactione, nullam imponi volunt, suamque crudelitatem catholicis exprobrant, laxitatem vero nimiam, dum agitur de indulgentiis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS QUI HABENT POTESTATEM CONCEDENDI INDULGENTIAS.

Hæc potestas non est ordinis, sed jurisdictionis; competit :

1° Summo Pontifici respectu omnium fidelium; ille enim solus habet jurisdictionem universalem;

2° Episcopis qui concedere possunt indulgentias diœcesanis suis, ut probat usus constans; sed concil. Late-

ran. IV, anno 1215, statuit, can. 62, quod annum duntaxat concedere possint die consecrationis ecclesiæ, et in quibuscumque aliis circumstantiis quadraginta dies tantum.

3° Papa vel alius episcopus electus et canonice institutus, licet non ordinatus, indulgentias concedere potest quia jurisdictionem habet. Episcopus, e contra, dimissus, vel *in partibus infidelium*, potestatem concedendi indulgentias non habet, quia caret jurisdictione.

4° Delegatus ad hoc easdem concedere potest indulgentias ac ille a quo fuit delegatus; apud omnes enim in confesso est actus jurisdictionis per delegatos exerceri posse.

5° Cum episcopi non habeant jurisdictionem in extraneos, solis diœcesanis indulgentias directe concedere possunt : si vero indulgentiam alicui loco affixissent, extranei eam consequerentur, opus determinatum perficiendo.

6° Cardinales centum dies concedere possunt in ecclesiis quarum sunt titulares, festis solemnibus, quando divinis officiis assistunt.

7° Legati a latere septem annos et septem quadragenas in terris suæ jurisdictionis concedere possunt.

8° Vicarii generales, juxta multos, indulgentias concedere non possunt sine speciali delegatione Papæ vel episcopi.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CAUSIS OB QUAS LICET CONCEDERE INDULGENTIAS.

Quoniam potestas concedendi indulgentias a Deo concessa est, Papa et episcopi non sunt illius domini, sed tantum depositarii : unde illa valide uti non possunt sine justa causa, quæ duo complecti debet, nempe finem Deo gratum et opus ad consequendum hunc finem idoneum.

1° *Finem Deo gratum.* Sola autem remissio pœnæ temporalis non reputatur finis legitimus, alioquin Ecclesia omnem pœnam temporalem peccatis debitam semper sine alio motivo remittere posset, quod evidenter repugnat.

Similiter indulgentia valide concedi non potest ob finem mere temporalem, v. g., ad obtinendam pecuniam, nisi hæc pecunia in bonum opus cedere debeat.

Fines vero legitimi propter quos indulgentias concedere licet, sunt : — a) conversio infidelium, exstirpatio hæreseon, et exaltatio sanctæ matris Ecclesiæ; — b) augmentum pietatis inter fideles qui, frequentiori usu sacramentorum aliisve motivis et auxiliis supernaturalibus accensi, excitantur ad melius vivendum ; — c) ædificatio vel reparatio alicujus ecclesiæ, fundatio nosocomii, vel alicujus religiosi instituti in honorem Dei vel sanctorum, aut in gratiam pauperum, infirmorum, etc.

2° *Opus ad assequendum hunc finem idoneum;* id est, opus quod justam habeat proportionem cum fine obtinendo. Non necesse est ut pœnæ remittendæ æquivaleat, alioquin indulgentia jam non esset indulgentia; neque ut sit graviter molestum ; aliunde enim sufficientem habere potest proportionem, v. g., si fidem excitet, spem erigat, charitatem inflammet, etc. Similiter quædam videri possunt levia respectu singulorum, quamvis sint majora respectu communitatis, ut recitare quinquies *Pater* et *Ave,* ad postulandam exstirpationem hæreseon, etc.

Non est fidelium, nec etiam sacerdotum judicare de sufficientia causæ ob quam indulgentia conceditur. Cæterum, cum indulgentia sit divisibilis, si causa ad totum non valeat, valet saltem ad partem; si autem opus præscriptum recte perficiatur, pars ista obtinebitur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE NATURA INDULGENTIARUM.

Sensus præsentis quæstionis est an Ecclesia concedendo indulgentias, a pœna temporali debita realiter absolvat. Contendimus illam realiter absolvere ; vel enim a pœna realiter absolvit, vel tantum permittit ut bona opera per modum suffragii Deo in compensationem pœnæ offerantur : atqui posterius dici non potest; potestas enim

concedendi indulgentias probatur ex verbis Christi : *Quæcumque solveritis erunt soluta* : porro hæc verba veram absolutionem indicant. Unde summi Pontifices, indulgentias concedendo, prædicta verba sæpe referunt iisque nituntur, ut potestatem suam adstruant. Ergo.

Hæc tamen proprie dicta absolutio respectu vivorum duntaxat locum habet : nam mortui in purgatorio exstantes Ecclesiæ militanti non sunt subditi : ergo realiter absolvi nequeunt. Indulgentiæ igitur per modum suffragii ipsis applicari possunt, non vero per modum absolutionis. *Ita omnes theologi*, et summi Pontifices aliter non loquuntur quando permittunt aliquam indulgentiam mortuis applicari ; dicunt enim eam per modum suffragii applicabilem esse.

ARTICULUS QUINTUS.

DE THESAURO INDULGENTIARUM.

Nomine thesauri indulgentiarum, intelligitur superabundantia satisfactionum Christi et sanctorum, quæ non fuerunt applicatæ et in memoria Dei custodiuntur.

Notandum est dari discrimen inter merita et satisfactiones ; merita personæ merenti sunt propria et alteri communicari non possunt ; v. g., qui præclaris gestis jus ad mercedem acquisivit, efficere non potest ut alter, jus suum ei cedendo, eadem mercede dignus sit. Contra vero satisfactiones pro altero solvi possunt : v. g., Petrus centum nummos debet Paulo ; si hanc summam in proprio nomine Petri tribuam Paulo qui eam acceptet, Petrus erit liberatus in stricto rigore justitiæ. Sic Christus pro nobis satisfecit.

Certum est ipsius satisfactiones fuisse superabundantes ; nam unica actio ejus satisfactoria erat valoris infiniti, et pœna temporalis peccatis hominum debita, quantacumque supponatur, est finita : ergo maxima pars satisfactionum Christi nondum fuit applicata, dispensationi

Ecclesiæ committitur, et ab ea juxta prudentiæ regulas, applicari potest.

Sancta Maria ab omni labe peccati originalis et actualis divino auxilio custodita; S. Joannes Baptista in ventre matris sanctificatus, qui tamen austeram duxit vitam et decollatus fuit, multique alii sancti Deo obtulerunt satisfactiones pœnam peccatis suis debitam longe superantes; hæc superabundantia satisfactionum, tum Christi tum sanctorum, spiritualem Ecclesiæ thesaurum et indulgentiarum fontem inexhaustum constituit. Veritas ista contra Protestantes eam negantes probatur auctoritate Clementis VI, Extrav. comm. l. III, cap. 2; — auctoritate Leonis X, propositionem Lutheri damnantis atque dicentis indulgentias concedi *ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum;* — auctoritate Pii VI, qui in bulla *Auctorem fidei*, n. 41, propositionem eumdem habentem sensum quem habet propositio Lutheri, damnavit; — usu Ecclesiæ publice et constanter docentis thesaurum indulgentiarum e satisfactionibus Christi et sanctorum coalescere. Hinc merito dicere possumus cum Apostolo, Rom. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

ARTICULUS SEXTUS.

DE EFFICACIA INDULGENTIARUM.

Effectus indulgentiarum spectari possunt respectu vivorum et respectu mortuorum.

I. DE EFFICACIA INDULGENTIARUM RESPECTU VIVORUM. — *Certum est* 1° indulgentiam non remittere peccatum, sive mortale, sive veniale, quoad culpam : nam remissio peccati supponit mutationem voluntatis et effusionem gratiæ : at indulgentia voluntatem non mutat, nec gratiam infundit, sed tantum compensat satisfactiones justitiæ Dei a peccatore debitas, et ad solum hunc finem conceditur.

Certum est 2° eam non remittere pœnam peccatis re-

missis debitam, si homo relapsus sit in novum peccatum mortale : nam homo in peccato mortali constitutus cujuslibet operis vivi est incapax ; nec mereri, nec satisfacere de condigno, nec igitur remissionem pœnæ per applicationem indulgentiæ obtinere potest.

Si quædam bullæ, indulgentias concedentes, de remissione peccatorum loquantur, hoc intelligendum est de pœna peccatis debita ; vel si de peccatis, eo sensu accipiendum est quod bona opera præscripta et religiose impleta contritionem excitent, peccata venialia remittant et ad remissionem peccatorum mortalium disponant.

3° Pœnitentia olim canonibus determinata est juxta mensuram quam sequitur Ecclesia in concedenda indulgentia. Unde indulgentia Quadragesimæ, centum dierum, septem annorum, etc., est relaxatio seu remissio, non solum coram Ecclesia, sed coram Deo, pœnæ temporalis quæ expiata fuisset per quadragenam, centum dies, aut septem annos pœnitentiæ canonicæ. Quæ vero pars purgatorii huic pœnitentiæ respondeat, quis sit modus applicationis indulgentiæ, Ecclesia non definiit. Quando autem conceditur indulgentia *plenaria* ea intelligitur quæ ex se sufficit ad plenam remissionem pœnæ temporalis solvendæ, et quæ illam revera remittit pro iis qui, positis debitis conditionibus, ipsam lucrantur.

Nunquam certi esse possumus nos, per plures indulgentias etiam plenarias, plenissimam obtinuisse remissionem totius pœnæ temporalis peccatis nostris debitæ ; sæpe enim indulgentia plenaria fit partialis, præcipue e defectu dispositionis in agente.

Hinc 1° indulgentia ab obligatione pœnitentiam agendi non eximit ; *a fortiori* fidelis pœnitentiam sacramentalem sibi injunctam propria auctoritate omittere non potest, sub prætextu quod lucratus vel lucraturus sit indulgentiam ; quia hæc pœnitentia legitime imposita et acceptata, ad integritatem sacramenti pertinet, et solus sacerdos tanquam judex eam mutare potest.

Hinc 2° Indulgentiæ centum annorum vel majores, vel quævis sint, possunt adhuc esse insufficientes ad com-

pensandam totam pœnam temporalem quam peccator solvere tenetur; v. g., si quis millies, tum interne, tum externe iteraverit peccatum pro quo pœnitentia decennalis imponenda erat ex canonibus, certe per talem indulgentiam pœnitentiam canonicam non compensaret; aliunde nihil probat totam pœnam temporalem peccatis debitam pœnitentia canonica deleri. Ergo.

Hinc 3° peccatores vere conversi satagere debent ut bonis operibus et indulgentiis, sive partialibus, sive plenariis, debita quibus erga divinam justitiam astringuntur, quotidie minuant, atque penitus compensent in hac vita, ne in carcerem purgatorii missi, unde non exibunt donec novissimum solverint quadrantem.

II. De efficacia indulgentiarum respectu mortuorum. — Certum est indulgentiam applicari posse defunctis in purgatorio detentis eisque prodesse; et, juxta *Sylvium*, Suppl. q. 71, art. 10, hæc propositio ad fidem pertinet. Etenim 1° Ecclesia ubique concedit indulgentias, declarans eas applicabiles esse defunctis : ergo credit eas defunctis prodesse. 2° Leo X damnavit, anno 1520, propositionem Lutheri qui contendebat indulgentias defunctis non prodesse. 3° Pius VI proscripsit, in bulla *Auctorem fidei*, n. 42, aliam propositionem propositioni Lutheri similem, *tanquam falsam, temerariam, pias aures offendentem, summis Pontificibus injuriosam et praxi universalis Ecclesiæ contrariam*. Ergo.

At, cum animæ in purgatorio detentæ jurisdictioni Ecclesiæ non subdantur, indulgentia ipsis applicari non potest per modum absolutionis sicut vivis, sed tantum per modum suffragii; id est fidelis, concedente summo Pontifice, haurit in thesauro Ecclesiæ satisfactiones quas exhibet Deo, illum suppliciter rogans ut eas pro tali vel tali anima acceptare dignetur. Qua autem proportione Deus eas acceptet, nemo definire potest : itaque nunquam certi esse possumus animas, ope indulgentiarum, sive partialium, sive plenariarum eis applicatarum, a purgatorio fuisse liberatas. Unde indulgentia qua promittitur liberatio unius animæ e purgatorio, vim habet quidem

animam liberandi, verum semper ignoratur quo gradu de facto fuerit applicata.

Quæritur quid necessarium sit ut indulgentia applicari possit defunctis.

R. Requiritur ex parte conferentis, ut superior ecclesiasticus declaraverit eam applicabilem esse defunctis; est enim actus jurisdictionis et a voluntate ejus pendet cui administratio thesauri Ecclesiæ concredita est. Hinc indulgentia simpliciter concessa pro vivis applicari non potest defunctis, nec indulgentia mortuis destinata, ut indulgentia altaris privilegiati, vivis applicari potest : si autem declaretur tantum applicabilis defunctis, ad nutum fidelis eam lucrari conantis, ipsi vel defunctis applicari potest.

Ex parte lucrantis, requiritur 1° intentio determinata. Revera enim dici non posset indulgentiam applicari, juxta verba Pontificis, si nulla aut vaga et indeterminata duntaxat existeret intentio eam applicandi. Quamvis definire nollemus indulgentiam pro pluribus defunctis oblatam eis non prodesse, saltem tutius est eam alicui individuo, vel nominatim, vel ex aliqua circumstantia determinato applicare, v. g., animæ magis derelictæ, ei pro quo magis teneor orare, etc. Optimum est etiam plures simul habere personas in mente, sed conditionate, v. g. : Hanc indulgentiam applicare volo Andreæ; si Andreas ea non indigeat, vel illius non sit capax, eam dirigo ad Petrum; defectu Petri, ad Joannem, etc.

2° Requiritur ut conditiones præscriptæ accurate impleantur. Si contritio et confessio inter has conditiones inveniantur, ut ordinarie contingit, status gratiæ necessarius est, *ut satis patet*. Si vero indulgentia applicabilis defunctis cuidam operi externo annexa sit, nulla facta mentione confessionis aut communionis, probabilius est eam applicari posse defunctis ab homine in statu peccati mortalis constituto; nam opera præscripta non sunt causa meritoria indulgentiæ, sed tantum conditiones sub quibus conceditur : atqui opus externum non est vitiatum, quia fit ab homine in statu peccati mortalis consti-

tuto : ergo. Ita Navarrus, *Suarez*, Sylvius, *Bonacina*, *Billuart* et multi alii, contra paucos qui æstimant statum gratiæ esse necessarium.

Ex parte defuncti cui applicatur indulgentia, requiritur ut in statu gratiæ decesserit : *hoc patet*. Cajetanus et quidam cum ipso docuerunt indulgentiam iis duntaxat prodesse defunctis qui, dum viverent, meruerunt ut ipsis applicari posset, claves Ecclesiæ honorando, indulgentias defunctis applicando, alias pro seipsis lucrando et aliter justitiæ Dei satisfacere conando. Sententia ejus communiter rejicitur, licet plerique dicant indulgentias plus minusve prodesse defunctis, prout hi actibus suis meruerunt illas sibi applicatum iri. Hinc quanta sollicitudinis causa, sive erga nosmetipsos, sive erga defunctos !

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE CONDITIONIBUS AD LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITIS.

I. De conditionibus ex parte personarum. — 1° Indulgentia est actus jurisdictionis et absolutionis erga vivos : qui ergo non sunt membra Ecclesiæ, eam lucrari non possunt.

2° Cum indulgentia sit remissio pœnæ temporalis, supponit statum gratiæ et remissionem culpæ in eo qui eam lucrari intendit. Non tamen necesse est ut opera præscripta in statu gratiæ impleantur, modo adsit gratia sanctificans eo instanti quo ultimum opus perficitur : nam in eo momento indulgentia applicatur.

Peccatum veniale non impedit quin indulgentia peccatis remissis respondens applicari possit : verum tunc non est plenaria in sua applicatione, siquidem pœna peccato veniali adhuc exstanti debita non remittitur.

3° Requiritur intentio positiva saltem virtualis indulgentiam lucrandi : intentio virtualis ea dicitur quæ fuit actualis et in serie actionum adhuc perseverare censetur, quamvis agens de illa non cogitet. Nisi hujusmodi saltem intentio existeret, dici non posset hominem indulgen-

tiam lucrari velle : attamen repugnat illum lucrari indulgentiam quam non intendit : ergo. Communiter docetur hanc intentionem per diem integrum perseverare, nisi retractetur : laudabilis est igitur et utilissima praxis piarum animarum quæ mane semper innovant propositum omnes lucrandi indulgentias bonis operibus hac die ab ipsis faciendis annexas.

II. De conditionibus ex parte operum. — Cuncta opera præscripta fideliter impleri debent; nam præcipue in hac materia valet axioma : *Verba tantum valent quantum sonant.*

Quædam opera omnibus indulgentiis plenariis ordinarie sunt communia, videlicet confessio, communio et preces juxta intentionem concedentis.

1° *Confessio.* Nisi præscriberetur, stricte necessaria non esset, ne quidem pro iis qui alicujus peccati mortalis sunt conscii; nam per contritionem perfectam justificationem obtinere possent.

At quando habetur in bullis, ut fere semper, *rite contritis et confessis*, certum est necessariam esse confessionem sacramentalem iis qui peccato mortali inquinantur, quantumvis sint contriti : ita respondit sacra Congregatio Indulgentiarum, die 19 septembris 1729.

Ab hac obligatione fere omnes theologi eximebant eos qui tantum habebant venialia : verum eadem Congregatio pronuntiavit, die 19 maii 1759, illos pariter ad confessionem obligari. Clemens XIII hoc decretum approbavit, publicari et vim legis habere voluit.

Sed postea supplicationibus multarum communitatum virorum ac mulierum, parochorum et episcoporum cedens, rigorem hujus decreti temperavit per indultum diei 9 septembris 1763, quo statuit ut omnes qui singulis hebdomadis confiteri solent, indulgentias plenarias occurrentes sine nova confessione lucrari possent, dummodo conscientia eorum nullo peccato mortali gravaretur. Hæc dispositio adhuc subsistit.

Dicta indulgentiarum Congregatio aliud edidit decretum a Pio VII die 12 junii 1822 approbatum, quo permisit in gratiam eorum qui singulis hebdomadis non solent

confiteri ut confessio ad lucrandam indulgentiam in die festo necessaria, octo dies ante festum fieri posset.

Sæpius concessa sunt indulta specialia ad tempus tantum duratura, vi quorum, illi qui solent confiteri bis in mense eodem privilegio gaudent ac ii qui singulis hebdomadis confitentur. In frequentibus istius modi confessionibus necessarium non est absolutionem dare, ut declaravit S. Indulgentiarum Congregatio die 15 dec. 1841.

2° *Communio*. Quandoque plenariam indulgentiam lucrari licet absque communione, v. g., in articulo mortis, ubi sacrum viaticum administrari non potest; in pio exercitio dicto *Via Crucis*, etc. Verum ordinarie præscribitur communio quæ ipso die festi fieri debet: attamen decretum Congregationis Indulgentiarum diei 12 junii 1822, a Pio VII approbatum, eam facere permittit in vigilia festi.

3° *Preces*. Ordinarie dicitur, in actis concessionum, *Qui pie oraverint;* sæpe exprimitur finis propter quem orandum sit, v. g., concordia principum christianorum, exaltatio sanctæ matris Ecclesiæ, exstirpatio schismatis ac hæreseon, conservatio summi Pontificis. Si finis non exprimatur, sufficit ut secundum intentionem concedentis indulgentiam oretur.

Non determinantur orationes faciendæ, et sufficit quinquies recitare *Pater* et *Ave*, aut aliquid æquivalens, v. g., decanam Rosarii, litanias sanctissimi Nominis Jesu, beatissimæ Mariæ Lauretanæ, etc.

Oratio mentalis non sufficeret, quia per orationem simpliciter intelligitur oratio vocalis, eo modo articulata ut quis se audire possit.

Tempus ad recitandas hujusmodi preces determinatum extenditur a primis vesperis ad ultimum crepusculum diei festi, et in diebus ferialibus, a media nocte ad mediam noctem sequentem.

E declaratione Benedicti XIV, Inst. 53, n. 7, et Encyclica *Inter præteritos*, diei 3 decembris 1749, § 53, opus aliunde præscriptum inservire non potest ad lucrandam indulgentiam Jubilæi: unde qui recitaret preces ad quas

ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ, aut ex mandato confessarii tenetur, conditionem orandi ad lucrandam indulgentiam a summo Pontifice præscriptam non impleret.

Multa sunt alia scitu necessaria circa indulgentias plenarias et partiales, circa confraternitates et Jubilæum : pro iis ediscendis remittimus ad tractatum nostrum Gallicum cui titulus : *Traité dogmatique et pratique des Indulgences, des Confréries et du Jubilé, à l'usage des ecclésiastiques qui travaillent dans le saint ministère;* 1 vol. in-12, dixième édition.

FINIS TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

TRACTATUS

DE EXTREMA-UNCTIONE.

Extrema-Unctio, sic dicta quia infirmis in extremo vitæ periculo constitutis administratur, vel potius quia ultima est onctio sancta homini destinata, aliis etiam donatur nominibus : v. g., dicitur *unctio infirmorum*, *sacramentum exeuntium* ; et apud Græcos, *oleum sanctum, oleum cum oratione*, *oleum benedictionis*. Arcudius, l. v, cap. 1.

Definiri potest : *Sacramentum novæ Legis quo, per olei benedicti unctionem et sacerdotis orationem, Christiano periculose ægrotanti animæ et etiam corporis, si expediat, sanitas restituitur*. Veritas hujus definitionis ex dicendis patebit.

Præsentem dividemus Tractatum in octo capita. In I° de existentia, in II° de materia, in III° de forma, in IV° de ministro, in V° de effectibus, in VI° de necessitate, in VII° de subjecto, et in VIII° de ritibus hujus sacramenti disseremus. In appendice dicetur de sepultura ecclesiastica.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA EXTREMÆ-UNCTIONIS SACRAMENTI.

Juxta Bellarminum et quosdam alios, Valdenses, Wiclefistæ et Hussitæ, sacramentum Extremæ-Unctionis negaverunt : verum *Bossuet*, *Histoire des variations*, l. XI,

num. 108, *Juénin*, aliique plures eos ab hoc errore vindicant. Lutherani vero et Calvinistæ illud suggillantes, procul rejiciunt. Inter eos, tamen, plures fere nobis in hoc suffragantur. *Leibnitz*, Syst. Theol., dicit « non multo » disputandum de unctione infirmorum, quæ verba habet » Scripturæ sacræ, interpretationem Ecclesiæ cui pii et » catholici homines tuto fidunt, etc. » Vide antiquiorum testimonia apud Serrarium, recentiorum vero apud *Esslinger*, citantem *Ammon*, *Augusti*, etc.

PROPOSITIO.

Extrema-Unctio est sacramentum novæ Legis proprie dictum.

Prob. Illa propositio est de fide catholica, et insuper probatur Scriptura sacra, traditione et præscriptione.

Est de fide catholica. Fuse enim exponitur in Decreto ad Armenos, et definitur in concilio Trid., sess. 7, can. 1, de Sacramentis in genere, et sess. 14, de Extrema-Unctione, can. 1, sic se habente : « Si quis dixerit Extremam- » Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a » Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apo- » stolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Pa- » tribus, aut figmentum humanum ; anathema sit. » Ergo.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Ep. B. Jacobi, v, 14 et 15 : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Unde sic : In Extrema-Unctione repetitur, ex illo textu, — a) signum sensibile, *ut patet* ; — b) promissio gratiæ, cum peccata remitti debeant ; — c) institutio Christi, quia solus Christus gratiam huic signo annectere potuit ; — d) institutio tandem facta modo permanenti ; hic enim non agitur de quibusdam personis aut de circumstantiis peculiaribus, sed de recursu ad presbyteros pro omni tempore omnique in-

firmorum genere; is nempe est sensus obvius verborum B. Jacobi. Ergo 1°.

Prob. 2° *Traditione.* Origenes, Hom. 2 in Levitic., n. 4 : *Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum* (est sacramentum Pœnitentiæ cujus characteres describit); addit : *In quo impletur et illud quod Apostolus dicit : Si quis autem infirmatur*, etc. Extremam-Unctionem comparat Pœnitentiæ et velut supplementum ejus habet: porro æstimat ibidem Pœnitentiam esse sacramentum : ergo.

S. Chrysost. de Sacerdotio, l. III, n. 6 : « Neque sacer-» dotes tantum cum nos regenerant, sed etiam post re-» generationem admissa peccata condonare possunt; nam » *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? advocet presbyteros* » *Ecclesiæ*, etc.

S. Innocentius I, mortuus anno 417, in Epistola ad Decentium episcopum, ab illo interrogatus de quibusdam dubiis circa hoc sacramentum, respondet, inter alia, hoc sacramentum negandum esse pœnitentibus publicis quibus cætera sacramenta negantur : « Nam, inquit, pœni-» tentibus istud infundi non potest, quia genus est sa-» cramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, » quomodo unum genus putatur posse concedi? » *Labbe*, t. II. Ergo 2°.

Prob. 3° *Præscriptione.* Hoc enim sacramentum communis est usus, non solum in Ecclesia latina, sed in cunctis Ecclesiis orientalibus; in cunctis retro sæculis reperitur existens, nec ulla assignari possunt introductionis ejus vestigia; merito applicatur regula S. Aug. : « Quod » universa tenet Ecclesia, nec conciliis fuit institutum, » sed semper retentum est, non nisi ab Apostolis traditum » rectissime creditur. » Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Dices : Antiqui auctores, vitam et ultimos actus plurimorum virorum illustrium scribentes, de administratione hujus sacramenti omnino silent; v. g., Eusebius, in Vita Constantini Magni; S. Athanasius, in Vita S. Antonii; Sulpitius Severus, in Vita S. Martini; Possidius, in Vita S. Aug., etc. Ergo illud sacramentum tunc non existebat.

R. Nego conseq. Nam 1° multi vitam aliorum pietate conspicuorum enarrantes, de susceptione sancti Viatici nihil dicunt; et tamen incredibile est eos divinum illud sacramentum non suscepisse, cum concil. Nicæn., can. 13, dixisset: « De iis qui ad exitum veniunt, etiamnum lex » antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egredi- » tur e corpore, ultimo et necessario viatico minime pri- » vetur; » *Labbe*, t. II. 2° Indubitatum est S. Bernardum Extremam-Unctionem, cujus utilitatem in Vita S. Malachiæ plurimum commendat, ante mortem quam prævidebat suscepisse; nullibi tamen legitur eum sacramentum istud suscepisse. Aliunde antiquissima citari possent monumenta; sic Gregorius Turonensis refert Extremam-Unctionem administratatam fuisse Arthemio cuidam a S. Nepotiano; sic scimus adhuc S. Eugendum, abbatem, defunctum an. 510, eam suscepisse; idem dicendum de S. Clothilde regina, ex ejus Actis. Ergo e silentio auctorum nobis objectorum nihil concludi potest.

Constat, e dictis in Tractatu *de Sacramentis in genere*, cap. 4, Extremam-Unctionem a Christo fuisse institutam; sed quo tempore, an ante Passionem, an post resurrectionem ejus, ignoramus, nec quærendum esse judicamus.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Duplex est materia hujus sacramenti, sicut et Baptismi ac Confirmationis; materia remota scilicet et materia proxima.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATERIA REMOTA.

I. De oleo ut materia remota extremæ unctionis. — 1° Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum,

et constat : — a) textu citato B. Jacobi, *ungentes eum oleo;* oleum enim simpliciter dictum, est oleum olivarum: ubi alia olea exprimenda sunt, aliquid communiter additur, et dicitur, v. g., oleum nucum, oleum amygdalarum, etc.: — b) e Decreto ad Armenos, in quo legitur de Extrema-Unctione : *cujus materia est oleum olivarum;* — c) e tota traditione et unanimi doctorum ac Pontificum consensu.

2° Oleum debet esse purum, id est, sine ulla admixtione alterius liquoris, saltem ex præcepto ecclesiastico, ut ait Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 1, n. 3. Contendit tamen *Suarez* contra institutionem Christi non esse alium liquorem huic admiscere, et balsamum oleo infirmorum aliquando admixtum fuisse : hanc opinionem communiter rejiciunt doctores, sed fatentur validum fore sacramentum si, contra communem et perpetuam Ecclesiæ praxim, aliquid oleo infirmorum misceatur balsami, modo quantitas tanta non sit ut species olei corrumpatur et fiat unguentum.

II. De benedictione olei infirmorum. — 1° Requiritur ut oleum ab episcopo sit benedictum : patet ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, ex concil. Trid., sess. 14, cap. 1, de Extr.-Unct., dicente *materiam* (Extremæ-Unctionis) *esse oleum ab episcopo benedictum*, ex Rituali Romano, etc.

Paulus V, in congregatione generali coram se habita die 15 januarii 1655, temerariam et errori proximam declaravit propositionem in qua dicebatur Extremam-Unctionem valide administrari cum oleo episcopali benedictione non consecrato. Eodem sensu pronuntiavit Gregorius XVI die 14 septembris anni 1842.

2° Hæc benedictio in ordine ad sacramentum Extremæ-Unctionis adeo necessaria est, juxta communiorem sententiam, ut sacramentum cum oleo profano, vel cum oleo catechumenorum, vel etiam cum sancto chrismate administratum, nullum esset. Quia tamen non pauci arbitrantur sanctum chrisma vel oleum catechumenorum sufficientem esse materiam, docet S. Ligorius, l. VI, n. 709, in necessitate Extremam-Unctionem cum chrismate vel oleo catechumenorum ministrari posse sub conditione,

et deinde iterandum sacramentum sub alia conditione, si, habito oleo infirmorum, ægrotus adhuc vivat.

Unde oleorum sacrorum distributor qui ea, etiam absque ulla culpa, promiscuisset, parochos sic deceptos monere teneretur sub peccato mortali, et alia obtinenda essent olea non dubia.

3° Benedictio ad sanctificandum oleum infirmorum necessaria, non adeo propria est episcopis ut ex delegatione expressa vel tacita summi Pontificis simplicibus presbyteris delegari non possit : nam « In Ecclesia orien» tali, inquit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 1, » n. 4, mos viget, a mille et amplius annis in ea receptus, » ut ipsimet presbyteri, cum se accingunt ad infirmum » inungendum, oleum in ea sacramentali unctione adhi» bendum, benedicant. » Mos iste apud alias orientales Ecclesias, v. g., apud Armenos, existit, et Ecclesia Romana illum pluries ratum habuit, ut videre est apud Bened. XIV, in loco citato, et in Constit. *Etsi pastoralis*, § 4, ubi agens de Italo-Græcis, ait : « Non sunt cogendi pres» byteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab episcopis » Latinis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis » in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex ve» teri ritu, conficiantur seu benedicantur. *Bullar.*, t. I.

4° Hæc autem facultas in Ecclesia Latina simplicibus presbyteris nunquam conceditur, sed procul dubio concedi potest, sicut et apud Græcos. Verum Pius VI, qui, diebus 10 martii et 18 augusti 1791, omnibus archiepiscopis et episcopis catholicis Galliæ facultatem concesserat olea sacra, etiam extra *Cœnam Domini*, conficiendi, eam, die 1ª april. 1794, denegavit vicariis generalibus diœceses episcopis destitutas administrantibus, dicens, *in usu non esse in Ecclesia Latina hujusmodi potestate simplices presbyteros ab Apostolica Sede insigniri.* (*Collect. gén. des brefs*, etc., t. II, p. 100 et 486).

5° Oleum infirmorum, sicut chrisma, singulis annis renovandum est et quidem sub gravi, et feria V in Cœna Domini ab episcopo diœcesano, vel, sede vacante, a viciniori episcopo benedici debet. Valet tamen sacramentum

cum veteri oleo administratum; imo eo uti licitum est si novum oleum nundum haberi potuerit.

6° Vetera olea, habitis novis, comburuntur et cineres in sacrarium mittuntur, vel si copia sit major, consumi potest in lampade coram venerabili Sacramento ardente; *Dens*, t. VII.

7° Si oleum in sufficienti non videatur quantitate ut per annum non deficiat, oleum olivarum commune cum oleo benedicto commiscere licet, juxta Rituale Romanum et omnes theologos, sed in minori quantitate; alioquin prius oleum desineret esse benedictum, quia moraliter idem jam dici non posset. Sed hæc adjunctio pluribus vicibus iterari potest, « ita ut oleum adjunctum considera- » tum separatim, et in unaquaque admixtione, sit in mi- » nori quantitate quam oleum benedictum, quamvis, con- » sideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas » major non benedicti; quemadmodum resolutum est a » S. Congreg. Concilii, die 23 septembris 1628. » Sunt verba Pii VI respondentis, die 1ª aprilis 1794 ad plurima quæsita a presbyteriis Gallicanis sibi proposita, *opere citato*, p. 486.

8° Vigilandum est ut oleum profanum ita cum sancto commisceatur, ut nulla pars ejus, sine aliqua parte olei benedicti, sumi possit; quia probabilius manet commune, et non fit benedictum nisi per commixtionem cum oleo benedicto, quidquid in contrarium dicant *Collet*, *Billuart* aliique plures.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MATERIA PROXIMA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

I. Quid sit materia proxima Extremæ-Unctionis. — 1° Materia proxima est applicatio materiæ remotæ, ac proinde in Extrema-Unctione est unctio cum oleo infirmorum ab episcopo benedicto: patet ex verbis B. Jacobi, *ungentes eum*, et ex perpetua ac universali traditione.

2° Unctio fieri debet cum pollice dextro, et, in casibus

extraordinariis, v. g., pestis, licet *sacramentum Extremæ-Unctionis ministrare, seu unctionem sensus peragere adhibita oblonga virga.* Bened. XIV, *de Synodo diœces,* l. XIII, cap. 19, n. 30, et generaliter theologi. Ea adhibenda est olei quantitas quæ ad unctionem proprie dictam sufficiat.

II. QUOT ET QUÆNAM UNCTIONES FIERI DEBEANT. — 1° Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, septem numerat unctiones ad sacramenti hujus administrationem faciendas, videlicet : « Ungendus est (infirmus) in oculis propter » visum, in auribus propter auditum, in naribus propter » odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in » manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, » in renibus propter libidinem ibidem vigentem. » Idem habet Rituale Romanum, quod tamen addit : « Sed re- » num unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper » omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus com- « mode moveri non potest. » Et alia corporis pars pro renibus ungi non debet juxta Ritualis Romani dispositionem.

2° Constat unctiones pedum et renum, aut pectoris vel colli, ad essentiam sacramenti non pertinere : *a fortiori* multæ aliæ unctiones apud Græcos usitatæ, v. g., in fronte, in mento, in genis, in cruribus, in genibus, etc., essentiales non sunt, siquidem sæpe variantur vel prorsus omittuntur, sine sacramenti detrimento.

3° Certum est necessarium non esse, necessitate sacramenti, ut unctio in duplici organo ejusdem sensus fiat, scilicet in duobus oculis, in duabus auribus, in utraque manu vel in utroque pede : unum singulorum sensuum organum ungere sufficit, ut valeat sacramentum.

Disputant theologi an unctio quinque sensuum sit essentialis Multi inter quos Sylvius, Estius, Natalis Alexander, *Juénin*, *Drouin*, *Tournely*, Theologia Lugd., Rothom., etc., æstimant unicam unctionem in quocumque sensu et præsertim capitis, sub forma universali, inferius referenda, ad essentiam sacramenti sufficere : — a) quia verba B. Jacobi verificantur; — b) quia numerus unctionum

nunquam fuit uniformis, sed variavit diversis temporibus, tum in Oriente, tum in Occidente, ut erudite ostendit Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 3, n. 3; — c) quia plurima Ritualia permittunt ut, in casu necessitatis, unica fiat unctio : quam disciplinam Bened. XIV, referens, ib. n. 4, minime ut reprehensibilem arguit. Ergo.

Multi vero alii, cum S. Thoma, ut *Layman*, Sotus, *Suarez*, Bellarminus, *Concina*, *Bonacina*, *Billuart*, S. Ligorius, etc., docent unctionem quinque sensuum essentialem esse, idque constare dicunt ex perpetuo usu Ecclesiæ et communi doctorum consensu.

Posterior hæc sententia tutior est et sola in praxi sequenda, nisi periculum mortis urgeat; quo in casu unicam adhibere licet unctionem in sensu magis obvio, alios sensus in forma modo generali exprimendo : melius est quippe dare sacramentum dubium quam nullum. Si vero infirmus supervivat, aliæ supplendæ erunt unctiones sub conditione tacita.

III. De ordine servando inter unctiones. — 1° Jure ecclesiastico omnes unctiones in Rituali præscriptas, juxta ordinem determinatum, unusquisque sacerdos facere debet, nec a peccato gravi excusari posset si voluntarie ab eo ordine recederet, vel aliquam unctionem extra necessitatem omitteret.

2° Attamen ordo inter unctiones non est essentialis, juxta omnes : hinc qui ignoranter vel per inadvertentiam unum sensum ante alium unxisset, unctionem semel factam iterare non deberet.

3° Si quis esset mutilatus, ungenda esset pars membro amputato vicinior, cum forma sensui cujus membrum erat organum correspondente : sic Rituale Romanum et omnes theologi. Similiter ungendi essent oculi cæci a nativitate, sub forma consueta, quia, licet per visum peccare non potuerit, non repugnat eum per desideria ad visum spectantia peccasse.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

I. De forma regulariter usurpanda pro sacramento Extremæ-Unctionis. — 1° Forma hujus sacramenti in Ecclesia Latina a multis sæculis usitata, in Decreto ad Armenos et in Concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., cap. 1, tradita, est sequens : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum ;* vel ut Rituali Romano habetur, *quidquid per visum deliquisti.*

2° Eadem repetitur forma ad unamquamque unctionem, solummodo expressionem sensus mutando, et dicendo, *per odoratum, per gustum et locutionem, per tactum, per gressum, per ardorem libidinis et alia prava desideria*, pro unctione pectoris in viris et colli in mulieribus; *per lumborum delectationem*, ad unctionem renum, ubi hæc uncto pro viris est in usu.

3° Si, ob necessitatem, unica fiat unctio, exprimitur sensus cujus organum inungitur, et alii adduntur generice, et melius specifice, ut multi volunt, arbitrantes essentiale esse ut omnes sensus exprimantur, hancque adhibendam esse formam contendunt : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.* Monent expedire verbum *deliquisti* præmittere, quia si ægrotans ante prolationem illius moreretur, certo nullum esset sacramentum, et dubium fieret ad summum, si mors ante expressionem aliorum sensuum consummaretur. S. Ligorius, l. VI, n. 710.

3° Una tantum est forma pro duplici unctione oculorum, aurium, manuum et pedum : cavendum est ne absolvatur priusquam secunda facta fuerit unctio ; quæ a

membro dextro semper incipienda est, in sinistro statim continuanda, et unica reputatur.

5° Forma apud Græcos usitata longa est oratio, cujus sequentia tantum verba Arcudius, l. v, cap. 5, æstimat necessaria : *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana hunc servum tuum a morbo corporis et animæ quo detinetur.*

II. De forma uti essentiali habenda. — Verba, *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, aut alia æquivalentia, sunt essentialia; nullum enim omitti potest quin sensus substantialiter mutetur. Dubium est, ex modo dictis, an expressio uniuscujusque sensus sit essentialis.

Cætera verba non habentur ut essentialia.

Disputatur inter theologos an forma indicativa ad validitatem sacramenti sufficeret.

Certum est 1° Christum formam hujus sacramenti explicite non instituisse, cum diversa sit apud Græcos et Latinos, et aliunde constet sacramentum Extremæ-Unctionis in utraque Ecclesia validum esse.

Certum est 2° formam deprecatoriam solam in usu esse tum in orientali, tum in occidentali Ecclesia, *ut patet ex dictis.*

Quæstio igitur est an forma indicativa absolute sufficere posset. Affirmant plurimi, ut Tannerus, Estius, *Juénin*, *Tournely*, *Martène*, *Drouin*, in argumentum sententiæ suæ innumeras exhibentes formas absolutas et non deprecatorias, in variis ecclesiis Latinis olim usurpatas, et a nemine ut insufficientes damnatas, v. g., sequentem, quæ S. Ambrosio tribuitur et Ambrosiana dicitur : *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.*

Negant autem alii multo plures et communius; quia, ex verbis S. Jacobi, effectus sacramenti hujus tribuitur orationi, et mos forma deprecatoria utendi universalis est. Quoad citatas veteres formas, dicunt vel aliquam in eis inclusam fuisse orationem, vel saltem post verba absoluta

adhibitam fuisse orationem. Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 2, quæstionem exponit et non definit; nec nos eam definire intendimus.

CAPUT QUARTUM.

DE MINISTRO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

I. De eo qui valide administrare potest extremam-unctionem. — 1° De fide est solum sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti : sic enim traditur in Decreto ad Armenos et definitur a Concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., can. 4 : « Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum » inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo » ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; » ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non » esse solum sacerdotem; anathema sit. » Hæc definitio textu B. Jacobi et perpetua traditione fundatur.

2° Quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, interdictus et degradatus, valide hoc sacramentum administrare potest, quia potestas illud administrandi, non a jurisdictione, sed a solo charactere pendet.

3° Idem sacerdos debet unctionem facere et verba formæ proferre, nec valeret sacramentum si unus ungeret et alter formam pronuntiaret.

4° Verum, cum singulæ unctiones propriam habeant formam sibi correspondentem, et partem efficiant integram, valeret sacramentum si tot essent sacerdotes quot unctiones faciendæ et unusquisque suam unctionem faciendo verba correspondentia pronuntiaret, observando duplicia ejusdem sensus organa sub unica forma ungenda esse. *Ita omnes.*

5° Unde Græci etiam nunc septem, vel saltem tres, ubi septem haberi non possunt, advocare solent sacerdotes ad

ungendum infirmum. Doctissimus *Martène*, de Antiq. Eccl. Ritib., l. I, cap. 7, art. 3, et Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 4, diserte ostendunt hunc morem in occidentali Ecclesia diu viguisse, et Valdenses hoc sacramentum reprobasse *propter sacerdotes ibi necessarios*, qui pro sua opera non exiguam exposcebant mercedem : unde fiebat ut pauperes sine Extrema-Unctione decederent.

Omnes tamen fatentur unicum sacerdotem tunc temporis sacramentum istud, etiam coram aliis sacerdotibus, valide administrare potuisse, sicut et apud Græcos illud valide administraret; ideoque verba beati Jacobi, *inducat presbyteros*, non eo intelligenda esse sensu quod plures necessarii sint, sed quod ad sacerdotes, non vero ad alios recurrendum esset; quemadmodum Christus dixit leprosis, apud Luc. XVII, 14 : *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, quamvis sufficeret ut uni tantum sacerdoti se ostenderent.

Nunc vero apud nos graviter peccaretur si plures ad conferendam Extremam-Unctionem more veteri concurrerent, propter contrariam exstantem disciplinam, nisi sacerdos post incœptas unctiones deficeret, easque perficere non posset : tunc alter sacerdos præsens illas continuaret, jam factas non repetens; si notabile temporis intervallum effluxisset, v. g., quadrans, omnes incipiendæ essent, quia unio moralis non existeret. Sic S. Ligorius et plures apud ipsum, l. VI, n. 724.

II. De eo qui licite administrat extremam-unctionem. — 1° Solus parochus vel episcopus, aut a parocho vel ab episcopo delegatus, hoc sacramentum licite administrare potest, excepto casu necessitatis. *Sic omnes.* Quicumque ergo sacerdos, nec pastor, nec legitime delegatus, Extremam-Unctionem administraret, graviter peccaret, et religiosus excommunicationem majorem incurreret, ut in Clement., l. V, tit. 7, cap. 1, statuitur.

2° In gravi necessitate autem consensus sive parochi, sive episcopi præsumitur, et omnis sacerdos etiam regularis sacramentum istud licite administrare potest et ex charitate debet. *Ita generaliter theologi*, qui inferunt om-

nes sacerdotes ritum sacramentum Extremæ-Unctionis administrandi percallere teneri.

III. De obligatione administrandi extremam-unctionem. — Parochi et vices eorum gerentes mortaliter peccant si petentem inungere negligant, vel cum probabili periculo ne sine unctione moriatur differant, nisi aliqua legitima causa eos excuset, quia in re gravi non præstant id ad quod ex justitia obligantur.

Alii sacerdotes, parocho et vicariis deficientibus aut nolentibus, ad idem conferendum sacramentum ex charitate tenentur, sub gravi vel sub levi, juxta necessitatem ægroti. S. Ligorius, l. vi, n. 729, et *Ferraris*, v° *Extrem.-Unct.*, n. 42.

Tempore pestis, succurrendum est ægroto per sacramenti Extremæ-Unctionis administrationem, etiam cum periculo morbum contrahendi, si in gravi sit necessitate, præsertim si aliud suscipere non potuerit sacramentum.

CAPUT QUINTUM.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS EFFECTIBUS.

Effectus hujus sacramenti *est mentis sanatio et in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis*, inquit concil. Florent., in Decreto ad Armenos.

Concil. Trid. sic habet, sess. 14, de Extr.-Unct., can. 2: « Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit. »

Sacramenti hujus quatuor sunt effectus, scilicet, gratia sanctificans animam sanans, peccatorum remissio, reliquiarum peccatorum abstersio et corporis allevatio.

1° *Gratia sanctificans.* Probatum est enim Extremam-Unctionem esse novæ Legis sacramentum : ergo gratiam

sanctificantem producit et quidem ex opere operato, idque de fide esse constat, tum ex Tractatu *de Sacramentis in genere*, tum e canone concil. Trid. supra citato.

Hæc gratia primario sanat animam, ut docet concil. Florent., ac proinde non est mortuorum, sed vivorum, quia mortuus non sanatur; est igitur per se augmentatio gratiæ sanctificantis, dans jus ad gratias speciales in tentationibus exitum e præsenti vita comitantibus necessarias.

2° *Peccatorum remissio.* Hoc de fide est, *ut patet ex supradictis*, ex verbis beati Jacobi : *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, et ex traditione universali. Per peccata autem intelliguntur venialia quæ directe per sanationem animæ remittuntur, et mortalia quæ in homine sufficienter attrito, saltem per accidens, et probabilius directe remittuntur. Conclusio hæc deducitur — a) ex verbis Apostoli quæ, cum generalia sint, tam mortalia quam venialia complectuntur peccata; — b) ex verbis concil. Trid. supra relatis; — c) consensu omnium doctorum;— d) ex verbis formæ : *Indulgeat tibi Dominus quidquid per... deliquisti.*

Diximus *saltem per accidens*, quia cum sacramentum istud primario institutum non fuerit ad peccata mortalia delenda, sicut Baptismus et Pœnitentia, accidentaliter tantum secundum plures, ea remittit; directe vero, juxta multos, licet secundario, si nempe infirmus in eis sit, sive per oblivionem, sive quia sacramentum Pœnitentiæ suscipere non potest, sive quia invalide fuit absolutus.

3° *Reliquiarum peccatorum abstertio*, quod sic exprimit concil. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., cap. 2 : « Peccati » reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et con» firmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam » excitando, quia infirmus sublevatus et morbi incom» moda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis » calcaneo insidiantis facilius resistit. » Per reliquias peccatorum, intelliguntur torpor animi ad cœlestia, horror mortis, timor ob incertitudinem salutis, pronitas ad malum, pusillanimitas, mentis dejectio, etc. Gratia sa-

cramenti hæc radicitus non tollit, sed per auxilia supernaturalia plus minusve abundantia, secundum suscipientis dispositionem, dat robur contra illa et efficit ut ægrotus ex ultimis pugnis victor evadat.

4° *Corporis allevatio.* Hæc assertio fulcitur — a) verbis beati Jacobi : *Et alleviabit eum Dominus,* quæ, cum ad infirmum referantur, de allevatione corporali simul et spirituali intelliguntur; — b) verbis Decreti ad Armenos supra relatis; — c) sequentibus verbis concil. Trid., cap. 2 : « Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti ani- » mæ expedierit, consequitur. »

Conditio, *ubi expedierit*, in verbis beati Jacobi et concilii Florent. necessario includitur, nam Extremæ-Unctionis sacramentum ad spiritualem hominis utilitatem fuit institutum : porro sæpe saluti hominis non utile est ut amplius vivat vel sanitatem recuperet : ergo. Imo communius docent theologi hanc corporis sanitatem, etiam saluti utilem futuram, non infallibiliter per illud sacramentum produci, sed tantum juxta divinæ Providentiæ ordinationem.

CAPUT SEXTUM.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS NECESSITATE.

I. AN SIT NECESSARIA EXTREMA-UNCTIO NECESSITATE MEDII AUT PRÆCEPTI. — *Certum est* 1° Extremam-Unctionem ex se necessariam non esse necessitate medii : homo enim absque hoc sacramento justus esse potest. Si autem in justitia decedat, salvus erit Ergo. Diximus *ex se,* quia hoc sacramentum per accidens fieri potest necessarium quasi necessitate medii, si nempe homo in peccato mortali constitutus, voce orbatus, mox sit discessurus. Ita multi auctores.

Certum est 2° apud omnes sacramentum hoc contem-

nere, aut cum aliorum offensione et scandalo negligere vel prætermittere, peccatum esse mortale, propter gravem irreverentiam rei sacræ illatam, aut propter scandalum : nullus ergo Christianus tantum Dei beneficium tuta conscientia negligere potest, et multo minus sibi oblatum respuere.

Disputant theologi an sacramentum istud sit de præcepto sive divino, sive ecclesiastico. *Suarez*, Estius, Sylvius, *Cabassut*, *Sainte-Beuve*, *Billuart*, S. Ligorius, etc., negant, contenduntque verba apostoli de consilio intelligenda esse, nisi, ut ait *Sainte-Beuve*, ægrotus gravibus prematur tentationibus, ad quas superandas novo indigeat hujus sacramenti munimine.

Alii vero multi docent grave existere præceptum divinum et ecclesiasticum hoc suscipiendi sacramentum. Præcepti divini existentiam sic probant : — a) ex verbis S. Jacobi, *inducat presbyteros*, quæ præceptum et non merum consilium exprimere videntur ; — b) ex concilio Trid., quod, cap. 3 Extr.-Unct., ait : « Quare nulla ratione au» diendi sunt qui contra tam apertam et dilucidam Apos» toli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem vel » figmentum humanum, vel ritum a Patribus acceptum, » nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ haben» tem ; » — c) ratione, quia homo sacramentum hoc negligens, magna privatur gratia et auxiliis ei annexis : ergo contra charitatem sibi debitam graviter peccat.

Patroni alterius sententiæ fatentur hanc posteriorem omnino suadendam esse : nemo igitur Extremam-Unctionem tuto negligere potest.

Existentia præcepti ecclesiastici infertur ex communi persuasione fidelium et pastorum ; et ex plurimorum conciliorum particularium decretis, uti Coloniensis I, anno 1536 celebrati, præcipientis privandos esse sepultura ecclesiastica qui hoc sacramentum contempserint ; et tandem ex Ritualium dispositione ubi præceptum supponi videtur.

Curandum igitur, quantum fieri potest, ut ægroti tempore opportuno ultima suscipiant sacramenta.

II. De iteratione extremæ-unctionis. — *Quæritur* 1° an et quando sacramentum Extremæ-Unctionis iterari possit.

R. Nonnulli theologi in undecimo et duodecimo sæculo, docuerunt, referente Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 8, n. 3, fidelem oleo sancto semel inunctum eodem deinceps inungi non posse; alii contra, illum in eadem infirmitate versantem, de novo inungi posse post tringinta dies; alii hoc sacramentum bis dari non posse in eodem anno; alii vero plures antiqui, ut refert *Martène*, de Ant. Eccles. Rit., l. I, cap. 7, art. 2, n. 5, volebant infirmos vita periclitantes per septem dies continuos sancto oleo esse perungendos.

« Sed usus postea ab universa Ecclesia receptus, a theo-» logis communi calculo approbatus, et synodorum ac » Ritualium auctoritate roboratus, obtinuit ut semel » duntaxat in eadem infirmitate Extrema-Unctio adhi-» beatur, » inquit Bened. XIV, ibid., n. 4. Hæc regula in omnibus Ritualibus statuitur et sola sequenda est.

« Quod si infirmi, post susceptam hanc unctionem, » convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari » poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen incide-» rint. » Sic conc. Trid., sess. 14, de Extr.-Unct., cap. 3.

Extrema Unctio igitur in eadem infirmitate *iterari non debet*, ut ait Rituale Romanum, *nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, et iterum in periculum mortis incidit.*

Non requiritur quidem ut ægrotus radicitus fuerit sanatus, sed ut tanquam convalescens habitus fuerit, atque in novum vitæ periculum inciderit : si, omnibus perpensis dubium existat, « magis pro reiteratione inclinan-» dum est, eo quod hæc reiteratio conformior sit veteri » Ecclesiæ consuetudini, tum quod per eam novum ipsi » infirmo subsidium spirituale sperari possit. » Sic concludit *Van-Espen*, part. 2, tit. 8, cap. 3, n. 39, et Bened. XIV hanc conclusionem citat et approbat.

Quæritur 2° an Extrema-Unctio iteranda esset si ægrotus eam cum malis dispositionibus suscepisset.

R. negative, tunc enim effectus manet suspensus, et sublato obice, applicatur. Ita *Dens*, t. VII.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Nobis dicendum est 1° de iis quibus administrari potest Extrema-Unctio; 2° de dispositionibus ad eam requisitis; 3° de iis quibus neganda est; 4° de ordine inter sacrum Viaticum et Extremam-Unctionem servando.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUIBUS ADMINISTRARI POTEST EXTREMA-UNCTIO.

Solis baptizatis, peccati post Baptismum commissi reis, infirmis et graviter periclitantibus hoc sacramentum conferri potest.

1° *Solis baptizatis*, cum Baptismus sit janua cæterorum sacramentorum.

2° *Peccati post Baptismum commissi reis.* Extrema quippe Unctio peccatum originale remittere non posset, quia non fuit instituta ad regenerandum hominem, nec valide conferretur homini qui nullum peccatum actuale commisisset; tunc enim effectus ad quos primario destinata est, nempe sanitatem animæ, etc., obtinere non posset.

Probabilius est Extremam-Unctionem conferri posse adulto infirmo statim post Baptismum; quia per Baptismum non omnes auferuntur peccatorum reliquiæ, ut torpor ad bonum, pronitas ad malum aliaque similia ex peccatis actualibus provenientia. Ergo. Ita *Layman*, *Suarez*, S. Ligorius, l. VI, n. 721, etc.

3° *Infirmis.* Mos existit quidem apud Græcos, sanos

oleo sancto inungendi, et plures, ut *Juénin*, *Sainte-Beuve*, etc., volunt verum tunc administrari sacramentum : longe communius autem docent theologi invalidum fore hoc sacramentum sano ministratum, suamque sententiam probant — a) verbis beati Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*, quæ denotare videntur statum infirmitatis necessarium esse ; — b) præceptis et statutis diversorum conciliorum, Extremam-Unctionem infirmis adhibendam præcipientium ; — c) dispositionibus Ritualium de solis infirmis, nunquam vero de sanis loquentium.

Quoad morem apud Græcos usitatum, dicendum est cum Bened. XIV de Synodo diœces. l. VIII, cap. 5, n. 5 et 6, vel eos existimasse hanc unctionem sanis collatam, meram esse cæremoniam et sacramentalem quamdam benedictionem, ut contendit P. *Goar ;* vel illos graviter errasse, quod minus probabile est, siquidem in concilio Florentino, de singulis ritibus suis rationem reddere coacti sunt, nec circa hoc punctum fuerunt reprehensi, et tamen Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, dicit : « Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte time» tur, dari non debet. » Ergo.

4° *Graviter periclitantibus.* Nonnulli docuerunt hoc sacramentum cuilibet infirmo valide et licite conferri posse, quia beatus Jacobus gravitatem periculi exigere non videtur ; verum communissima sententia tenet non solum illicite, sed invalide dictum sacramentum infirmis non periclitantibus conferri : probant — a) ex verbis Eugenii IV, superius relatis ; — b) ex concilio Trident., quod, sess. 14, in proœmio de Extr.-Unct., ait : « Ita Extremæ» Unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo » quodam præsidio, munivit (Deus). » Finis ergo hujus sacramenti est succurrendi infirmis periclitantibus, ac proinde aliis valide conferri non potest.

Non tamen ultimus exspectandus est vitæ exitus : certe in hoc gravis existit obligatio Extremam-Unctionem administrandi ; sed valide, licite et prudenter administratur ubi verum existit periculum mortis ex præsenti infirmitate sequendæ, quamvis non proximæ : idque pro-

batur — a) ex verbis Decreti ad Armenos jam citatis, *de cujus morte timetur;* — b) ex his concil. Trid., ibid., cap. 3, dicentis « hanc unctionem infirmis adhibendam, » iis vero præsertim qui in exitu vitæ constituti videan» tur. » Vox *præsertim* supponit hoc sacramentum aliis infirmis in exitu vitæ nondum constitutis administrari posse; — c) ex auctoritate Benedicti XIV, qui, Const. *Ex quo primum*, diei 1 martii 1756, § 46, ait hoc sacramentum ministrandum esse « solis fidelibus graviter ægrotan» tibus; neque tamen exspectetur, inquit, tempus illud » quo æger jam suæ mentis compos non est. »

Quapropter, quoties viaticum ministratur infirmo, Extremam-Unctionem administrare expedit, quia tunc saltem probabile adesse vitæ periculum judicatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCIPIENDAM EXTREMAM-UNCTIONEM REQUISITIS.

Requiritur intentio expressa, vel tacita et legitime præsumpta, sacramentum istud suscipiendi, ut diximus in Tractatu *de Sacramentis in genere.*

Cum sacramentum istud ad sanandam animam primario instituatur, supponit eam esse viventem, licet infirmam; itaque, si fieri potest, confessio sacramentalis semper ei præmittenda est, aut saltem ægrotus eam habere debet attritionem quæ ad obtinendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ necessaria est.

Ad uberiorem sacramenti hujus fructum percipiendum, necesse est ut ægrotus vividam habeat fidem et firmam salutis impetrandæ fiduciam; divinæ voluntati perfecte se subjiciat; vehementi desiderio ad regnum cœleste properandi et Christo perfruendi accendatur, ut peccata sensibus correspondentia, dum inungitur, toto corde detestetur, suasque preces orationibus Ecclesiæ jungere studeat, de quo monendus est a sacerdote.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IIS QUIBUS NEGANDA EST EXTREMA-UNCTIO.

Ex superius dictis, Extrema-Unctio neganda est: 1° pueris baptizatis usum rationis nondum assecutis, quia illius sacramenti nondum sunt capaces : ministranda vero foret, non solum pueris usum rationis certo habentibus, licet ad sacram communionem nondum fuissent admissi, sed et iis de quorum usu rationis vere dubitatur, quia pars tutior est eligenda : sic S. Ligorius, qui vult eos sub conditione ungendos esse : conditio autem non exprimitur. « Non denegatur (hoc sacramentum) etiam pueris, » si septimum attigerint annum, nec iis in quibus ma» litia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint. » Bened. XIV hæc Ritualis Argentinensis refert verba eaque approbat, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 6, n. 2.

2° Deneganda est perpetuo amentibus, qui scilicet rationis usu nunquam potiti sunt ; non autem eis qui usum rationis habuerunt, et postea amentia aut phrenesi correpti sunt, quia rationem peccati habere possunt, et præsumitur eos ante amentiam vel phrenesim voluisse ut sacramentum illud in periculo sibi ministraretur.

Non vero neganda est surdis-mutis, et cæcis a nativitate, nisi constet eos non peccasse, quia hujus sacramenti sunt capaces, et unctiones faciendæ sunt in organis vitiatis ; etsi enim homines isti per ea exterius non peccaverint, interius peccare potuerunt per potentias ad illa correspondentes.

3° Neganda est sanis mox decessuris, v. g., præliaturis, naufragantibus, supplicio mortis plectendis, quia non sunt infirmi : non vero negaretur graviter vulneratis in prælio, naufrago ex aquis educto et graviter periclitanti, nec seni nullum dolorem experienti, sed præ senio deficienti : vere quippe sunt infirmi.

Non conceditur mulieri parituræ, etiam ante primum partum, quia, licet periculum timendum sit, reipsa non

existit : secus si mulier illa in labore partus judicetur periclitari; tunc enim vere est infirma et administrari debet, sicut alii quilibet infirmi, cum celeritate et cautione ex circumstantiis præscripta.

Neganda est homini nunc non periclitanti, sed periculosissimam subituro operationem, v. g., membri amputationem, calculi exstirpationem, nisi jam graviter infirmus esset; tunc ante operationem omnibus muniretur sacramentis.

4° Neganda est iis qui eam sibi oblatam recusarunt cum impietate, obstinatione, sufficienter ostendentes se hoc sacramentum suscipere nolle : item iis qui publice in peccato vivunt, v. g., in concubinatu, in matrimonio pure civili, in boni alieni possessione, etc., et scandalum reparare nolunt.

5° Iis qui sensibus subito destituuntur Extrema-Unctio concedenda vel neganda est, juxta regulas pro absolutione concedenda aut neganda, in Tractatu *de Pœnitentia* statutas.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ORDINE INTER S. VIATICUM ET EXTREMAM-UNCTIONEM.

In plerasque regiones olim irrepserat abusus ut oleo sancto non lenirentur infirmi, nisi vitam jam exhalaturi essent, quia sæculo decimo tertio falsa plurimorum animos invaserat persuasio quod, Extrema-Unctione semel accepta, non liceret, etiam post restitutam sanitatem, uxores cognoscere, carnes comedere, nudis pedibus ambulare. Alii postea putarunt per Extremæ-Unctionis susceptionem facultatem condendi testamentum adimi, hunc-que errorem reperimus damnatum in concilio Mechliniensi, anni 1607 : nunc, his erroribus amotis, nihilominus fideles a sacra unctione perinde ac a morte abhorrent, persuasum habentes nihil postea sibi exspectandum esse præter sepulcrum. Hinc contigit ut sacrum Viaticum ante Extremam-Unctionem ministraretur.

Nullum est dubium quin Extrema-Unctio, velut sacramenti Pœnitentiæ supplementum, sacro Viatico præmissa fuerit; id scite demonstrant *Suarez*, *Martène*, *Sainte-Beuve*, Bened. XIV, etc.

Non tamen deerant exempla Extremæ-Unctionis post sacrum Viaticum administratæ, ut ostendit idem *Martène*, l. I, cap. 7, art. 2, n. 4, et posterior hæc praxis adeo invaluit, in Catechismus concilii Trid., S. Carolus Borromæus ut suis Instructionibus, et innumera Ritualia Extremam-Unctionem post Viaticum præbendam esse decreverint; ratio est quia Eucharistia ut cibus ad confortandum in via præbetur, et ideo ut detur non est exspectandum ultimum vitæ periculum; hoc vero sacramentum, scilicet Extremæ-Unctionis, est exeuntium et quasi in ultimum fuit institutum.

Quædam Ritualia nihilominus permittunt Extremam-Unctionem nunc ante Viaticum conferri : tum ut fideles ab eo sacramento minus abhorreant, videntes mortem non tam frequenter, nec tam cito illius susceptionem sequi; tum ut ægrotus, ope illius sacramenti magis emundatus, sacram Eucharistiam cum abundantiori fructu suscipiat.

Bened. XIV, de Synodo diœces., l. VIII, cap. 8, n. 2, hanc permissionem non improbat, licet « in locis in quibus » hic mos obsolevit, vigetque disciplina a concilii Triden- » tini Catechismo præscripta, non facile permitteremus, » inquit, ab hac recedi, solum ad indulgendum privatæ » et peculiari infirmi devotioni. »

At, ex Rituali Romano, si tempus et infirmi conditio permittant, ante Extremam-Unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur. *Catalani* in Rit. t. I, p. 303 et seq.

CAPUT OCTAVUM.

DE RITIBUS SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Pauca in hoc capite dicemus; remittimus enim ad Rituale quod unusquisque percallere et apprime sequi tenetur. Sint tamen sequentia :

1° Qui extra necessitatem hoc sacramentum ministraret sine vestibus præscriptis, nempe superpelliceo et stola, graviter peccaret; *ita omnes;* quia gravis est irreverentia erga sacramentum. Si vero urgens existeret necessitas, plures volunt sacramentum istud tunc sine dictis vestibus administrari posse, maxime si ægrotus aliud sacramentum suscipere non possit, propter magnam quam inde percepturus est utilitatem. Alii, e contra, negant, quia honor sacramenti simplici fidelis utilitati anteponendus est.

2° Omittere preces in Rituali præscriptas, ante et post unctiones faciendas, sine necessitate, peccatum est mortale; in necessitate, nullum est peccatum, cum Rituale dicat infirmum statim ungendum, et postea, si adhuc vivat, preces omissas continuandas esse.

3° Deferre Extremam-Unctionem ad ægrotum eamque ministrare sine lumine, non videtur mortale, sed tantum veniale. Hoc tamen cavendum est pro administratione.

Omittere formam crucis inungendo, non reputatur peccatum mortale in se. Sic plures apud S. Ligorium.

4° Extremam-Unctionem sine ministro qui respondeat conferre, non reputatur etiam mortale, et, in necessitate, nullum esset peccatum. In eo casu ministerio feminæ uti non liceret. Ita S. Ligorius, l. VI, n. 724, et plures apud ipsum.

« Minister, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos, post

» quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo glo-
» bulo bombycis, vel rei similis, eaque in vase mundo
» reponat : et ad ecclesiam postea deferat, comburat, ci-
» neresque projiciat in sacrarium. » Sunt verba Ritualis Romani.

5° Oleum sanctum domi retinere non licet, nisi forte sacerdos prævideat se noctu vocandum, et periculum esse ne serius adveniret, si ad ecclesiam ire teneretur. S. Ligorius, l. VI, n. 730.

6° Confessarius et præsertim parochus ne arbitretur ministerium suum erga moribundum per Extremæ-Unctionis collationem esse completum; illum enim frequenter visitare debet, si possit; erudire, hortari, confortare, et denique pro posse suo, in tanta extremitate adjuvare, ut in Rituali optime explicatur.

APPENDIX

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

In omnibus sacræ sepulturæ circumstantiis quadruplicem finem sibi proponit Ecclesia, scilicet, vivorum solatium, pietatis debitum, defunctorum honorem eorumque refrigerium, ope divini officii celebrationis, bonorum operum et precum, sive propinquorum, sive cæterorum fidelium. Ideo corpora in loco sancto deponuntur.

Sepositis iis quæ ad officium defunctorum, cæremoniarum ordinem et expensas pro exsequiis solvendas respiciunt, pauca dicemus de tempore et loco sepulturæ, ac de iis quibus sepultura ecclesiastica neganda est.

I. De tempore sepulturæ. — Art. 77 Codicis civilis, prohibetur ne sepultura fiat absque licentia magistratus civilis, gallice *le maire*, scripto data, in papyro libero, et tantum viginti et quatuor horas post obitum, excepti-

casibus extraordinariis, a magistratu civili determinandis, v. g., propter pestem, putredinem, etc. Cavere debent parochi ne ad sepulturam cujusvis fidelis procedant quin licentia supradicta sibi fuerit exhibita, quamque prudenter servabunt. Qui absque dicta licentia defunctum sepelirent aut sepelire facerent, damnari possent ad carcerem pro tempore a sex diebus usque ad duos menses, et ad mulctam sexdecim ad quinquaginta francos (*Code pénal, art.* 358).

II. De loco sepulturæ. — Decretum diei 12 junii 1804, semper existens, multas continet dispositiones circa loca sepulturis destinata quæ vocantur cœmeteria, et stricte prohibet ne mortuorum corpora in ullis ædificiis clausis, in quæ fideles cultus sui causa coadunari solent, sepeliantur. Parochi ab ea prohibitione recedere non debent.

Non prohibetur sepultura intra capellam in cœmeterio existentem.

Ponendi sunt defuncti secundum ordinem incœptum, sine ulla distinctione, nisi aliqua obtineatur concessio juxta conditiones in decreto 12 junii 1804, art. 10, præscriptas.

Proprietarius qui habet sacellum domesticum, a civitate vel pago saltem triginta et quinque metris distans, in eo sepeliri poterit, si id testamento præscripserit, vel alio modo postulaverit. Hoc merito infertur ex articulis 1, 2 et 14 citati decreti.

Cum autem sacellum ad sepulturam ecclesiasticam non sit destinatum, necesse est ut parochus licentiam episcopi obtineat.

III. De iis quibus sepultura ecclesiastica neganda est. — Certum est nullam nunc existere legem civilem vi cujus parochus aliusve sacerdos catholicus ad sepulturam alicujus defuncti procedere teneatur aut cogi possit : in decreto 12 junii 1804 statuitur, art. 19, quod, uno divini cultus ministro officium suum pro sepultura negante, magistratus civilis alterum ejusdem cultus ministrum ad eam sepulturam faciendam committet ; sed nulla decernitur pœna ; imo additur : *Dans tous les cas,*

il est chargé (le maire) de faire porter, présenter, déposer et inhumer les corps.

Quicumque ergo ecclesiasticos honores alicui defuncto negabit, non magistratibus laicis, sed solis superioribus ecclesiasticis rationem reddere tenebitur.

Cavendum tamen ne leviter denegetur sepultura ecclesiastica, quia non modica inde oriri solent incommoda. In sequentibus tantum casibus negandam esse nunc docemus :

1° Iis qui sectæ ab Ecclesia catholica separatæ per actus externos adhærebant, et nullum conversionis signum ante mortem dederunt, quales sunt Lutherani, Calvinistæ, sectatores dicti *de la petite église ;* item iis qui publice profitebantur impietatem et omnem abjecerant religionem, si morte præoccupati nulla pœnitentiæ exhibuerint signa ;

2° Iis qui certantes in duello, statim occumbunt, nec ostendere possunt se pœnitere, aut scandalum reparare nequeunt, dolorem suum saltem coram nonnullis personis manifestando ;

3° Iis qui in flagrante delicto moriuntur, id est, in actu peccati, v. g., in voluntaria et mortali ebrietate, quod raro evidenter cognoscitur, vel seipsos ex desperatione occidendo ; non vero si ex morbo aut phrenesi mortem sibi inferrent aut si, posita culpabili causa, ante obitum se pœnitere sufficienter ostenderent ;

4° Iis qui scienter sacramenta Ecclesiæ sibi oblata ex impietate recusarunt, aut injustitiis notis vel aliis publicis scandalis satisfacere noluerunt, v. g., usuras lege damnatas restituendo, inimicis condonando, concubinam ejiciendo, matrimonium civile legitimando, etc.

In dubiis, pro sepultura magis quam pro ejus negatione inclinandum est : verum tunc consulendus est episcopus, si per tempus liceat, ut omnis, quantum fieri potest, præcaveatur imprudentia.

Notandum parochos jus non habere apud nos impediendi ne corpora quibus honores ecclesiasticos denegant, in cœmeteriis juxta ordinem consuetum deponantur, nec polluitur cœmeterium, modo defunctus fuerit baptiza-

tus, et non excommunicatus publice denuntiatus. Si vero non sit baptizatus, conandum est ut in parte infantibus sine Baptismate decedentibus reservata sepeliatur : alioquin pollueretur cœmeterium, et nulla in eo fieri posset sepultura ecclesiastica, donec, ex consensu episcopi, reconciliatum fuisset, corpore prius exhumato.

FINIS TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

INDEX.

TRACTATUS DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

Pag.

I. De diversis SS. Eucharistiæ nominibus. 1
II. De figuris Eucharistiæ. 2
III. Tractatus dividitur 3

PARS PRIMA.

DE MYSTERIO PRÆSENTIÆ REALIS IN EUCHARISTIA.

CAP. I. De præsentia reali in Eucharistia 4
I. Annumerantur errores circa præsentiam realem . . . 4
II. Asseritur et comprobatur dogma catholicum. . . . 6
— Prop. Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum continet vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum 6
I. Argumentum primum ex verbis promissionis petitum. 7
II. Argumentum secundum ex verbis institutionis petitum. 10
III. Argumentum tertium ex usu Eucharistiæ desumptum. 13
IV. Argumentum quartum ex SS. Patrum doctrina petitum. 14
V. Argumentum quintum ex præscriptione petitum. . . 20
Corollarium 21
— Solvuntur objectiones 21
I. Objectiones contra argumenta ex scriptura sacra petita. 21
II. Objectiones contra argumenta ex Patribus et præscriptione petita 25
III. Objectiones ex ratione petitæ 31
— Exponuntur theologorum systemata. 32
I. Explicatio eorum qui tenent materiam esse essentialiter extensam 32
II. Explicatio eorum qui tenent dimensionem posse a corporibus separari 33
III. Tertia explicatio eorum qui tenent dimensionem esse corporibus essentialem, sed fieri posse insensibilem . . 36
CAP. II. De modo quo Christus fit præsens in Eucharistia, seu de transsubstantiatione. 39
Art. I. De transsubstantiatione. 39
I. Quid transsubstantiatio. 39
II. Errores adversus transsubstantiationem. 40

Pag.

III. Comprobatur dogma catholicum de transsubstantiatione 41
Prop. Christus est in Eucharistia per transsubstantiationem 41
Solvuntur objectiones 44
Scholium 46
De natura transsubstantiationis 46
Art. II. De natura accidentium panis et vini post consecrationem 49
Ia Opinio 49
IIa Opinio 50
IIIa Opinio 51
CAP. III. De modo quo Christus subsistit in Eucharistia et præsens permanet 53
Art. I. De modo quo Christus subsistit sub speciebus . . 53
I. Aperitur et probatur modus juxta quem Christus subsistit sub speciebus 53
Prop. Christus est totus sub utraque specie et sub singulis uniuscujusque speciei partibus sensibilibus, saltem separatione facta. 53
II. Modus præsentiæ realis magis explicatur 55
Art. II. De permanentia præsentiæ Christi in Eucharistia. 58
I. Asseritur et probatur Christum sub speciebus eucharisticis permanere 58
Prop. Christus est sub speciebus panis et vini modo permanente. 58
II. Observanda practica circa permanentiam Christi sub speciebus 60
III. De cessatione præsentiæ realis. 62
CAP. IV. De cultu Christo in divina Eucharistia præsenti debito. 63
Prop. Cultus latriæ Christo debetur in Eucharistia . . . 63

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRAMENTUM.

CAP. I. De existentia et natura sacramenti Eucharistiæ . . . 65
Art. I. De existentia sacramenti Eucharistiæ 65
I. An Eucharistia sit proprie sacramentum novæ legis . . 65
II. De signo sensibili in sacramento Eucharistiæ 66
Art. II. De natura sacramenti Eucharistiæ. 67
I. De iis in quibus non consistit hoc sacramentum . . . 67
II. In quo specialiter consistat sacramentum Eucharistiæ. 68
Art. III. De unitate et identitate sacramenti Eucharistiæ. 69
CAP. II. De materia et forma sacramenti Eucharistiæ . . . 69
Art. I. De materia sacramenti Eucharistiæ 70
§ 1. De pane Eucharistico 70
I. De pane Eucharistico, in quantum triticeus esse debet . 70
Prop. Solus panis triticeus adhibendus est ad consecrationem corporis Domini 70
II. Consectaria ad praxim spectantia. 71
III. De validitate utriusque panis sive azymi sive fermentati. 73

Pag.

Prop. Valet consecratio, tum in azymo, tum in fermentato, et disciplina utriusque Ecclesiæ retinenda est . . 73
IV. De praxi utriusque servanda 74
§ II. De vino Eucharistico 75
I. Quodnam vinum sit materia valida sacramenti aperitur. . 75
Prop. Solum vinum ex vite est materia consecrationis calicis 75
II. Consectaria ad praxim spectantia. 76
§ III. De aqua in calice cum vino miscenda 78
I. An debeat in conficiendo sacramento aqua cum vino infundi 78
Prop. Aqua commiscenda est vino in Eucharistia. . . . 78
II. Notanda practica circa infusionem aquæ cum vino miscendæ 79
§ IV. De modo quo materia debeat esse præsens et determinata 81
I. De modo quo materia determinari debeat quantum ad præsentiam 81
II. Quonam momento præsentari debeat materia Sacramentalis. 82
III. Quomodo materia Sacramentalis determinari debeat quoad intentionem Sacerdotis 83
§. V. De unione utriusque speciei in consecratione . . . 84
I. An debeant utraque species simul consecrari 84
Prop. Jure divino prohibetur ne una species sine altera consecretur. 85
II. Consectaria practica 86
Art. II. De forma Eucharistiæ 87
I. De erroribus aut variis opinionibus circa formam Eucharistiæ 87
II. Quid pertineat ad sensum, validitatem aut licitatem formæ Eucharistiæ 88
CAP. III. De Eucharistiæ ministro 90
Art. I. De Ministro confectionis sacramenti Eucharistiæ . 90
Prop. Soli sacerdotes Eucharistiam valide consecrare possunt 91
Quæritur an plures ministri eamdem hostiam et idem vinum simul consecrare possint 92
Art. II. De ministro distributionis. 93
§ I. De ministro ordinario distributionis Eucharistiæ . . 93
I. Quinam sint ministri ordinarii distributionis Eucharistiæ. 93
II. De necessitate alicujus jurisdictionis ut ministri licite Eucharistiam administrent 94
§ II. De ministro extraordinario distributionis Eucharistiæ. 95
I. An diaconi sint ministri extraordinarii distributionis Eucharistiæ 95
II. De aliis clericis quoad sacramenti dispensationem . . 96
Quæritur an, urgente necessitate, aliquis sacram Eucharistiam sibi administrare possit 96
§ III. Notanda circa tempus, locum et modum sacram Eucharistiam administrandi, asservandi et ad absentes deferendi 97

Pag.
I. Tempus communionis 97
II. Locus communionis 99
III. Modus dandi communionem 100
IV. Modus sacram Eucharistiam asservandi 101
V. Modus sacram Eucharistiam deferendi ad infirmos . . 103
CAP. IV. De sacræ Eucharistiæ subjecto 104
Art. I. De iis qui ad sacram Eucharistiam admitti possunt 105
§ I. De infantibus et pueris. 105
§ II. De amentibus. 106
§ III. De surdis-mutis 107
§ IV. De peccatoribus, reis et capite damnatis 107
Art. II. De dispositionibus ad suscipiendam Eucharistiam requisitis 108
§ I. De dispositionibus ex parte animæ 108
I. De præcepto confessionem præmittendi ante communionem vel missæ celebrationem 108
II. De causis communicaturum et præcipue sacerdotem celebraturum a confessione præmittenda excusantibus . 110
§ II. De dispositionibus ex parte corporis 112
Sectio I. De præcepto jejunii 113
Sectio II. De modo quo observari debeat jejunium eucharisticum. 114
I. Quid observandum sit circa tempus 114
II. Observanda circa ea quæ frangunt aut non frangunt jejunium 115
Sectio III. De causis a jejunio eucharistico excusantibus . 117
I. De periculo mortis 117
II. De necessitate perficiendi sacrificium 118
III. De periculo profanationis 119
Quæritur an sacerdos non jejunus celebrare debeat aut possit, ne moribundus viatico careat 119
Sectio IV. De munditie corporis 120
CAP. V. De necessitate Eucharistiæ 121
Art. I. De præcepto divino circa sumendam sacram Eucharistiam. 122
§ I. De præcepto divino circa necessitatem Eucharistiæ quatenus omnes generaliter obliget 122
I. De existentia præcepti. 122
II. Quinam eo præcepto obligantur et quonam tempore . 122
§ II. De præcepto divino communionis quatenus moribundos spectat seu de Viatico. 123
I. De præcepti existentia. 123
II. De iis qui ad susceptionem sancti Viatici admitti debent. 124
III. De jure parochi circa sancti Viatici administrationem 126
Art. II. An Eucharistia ex præcepto ecclesiastico sit necessaria 127
I. De præcepti existentia et natura 127
II. De iis qui ad communionem paschalem obligantur . . 128
III. Quo tempore fieri debeat communio paschalis . . . 129
IV. De loco ubi fieri debet communio paschalis 131
Art. III. An communio sub utraque specie sit necessaria . 133
Prop. Nullum est præceptum divinum de sacra Eucharistia sub utraque specie sumenda 133

Pag.

Quæritur an tanta conferatur gratia in communione sub una quanta in communione sub utraque specie . . . 136
Corollarium 137
Art. IV. De frequenti communione 139
§ I. De utilitate frequentis communionis 139
Prop. Laudabilis et utilis est per se frequens communio . 139
§ II. De dispositionibus requisitis ut quis ad frequentem communionem accedat. 141
Prop. Ad frequentem communionem non solum necessaria est immunitas a peccato mortali, sed requiritur ut nullus sit affectus ad peccatum veniale et ardens existat desiderium communicandi 141
§ III. Notanda circa frequentem communionem. . . . 142
I. Monita ad confessarios speciatim directa 142
II. De iis qui admittendi sunt ad frequentem communionem, vel ab ea arcendi. 143
CAP. VI. De effectibus Eucharistiæ. 146
I. De Eucharistia, quatenus fidelem sanctificat et ad Christum adunat 146
II. De Eucharistia, quatenus hominem sanat a peccato. . 147
III. De Eucharistia, quatenus producit gloriæ adeptionem 148
IV. Quæstiones variæ ad effectus Eucharistiæ spectantes . 149

PARS TERTIA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRIFICIUM.

CAP. I. De sacrificiis in genere 150
I. De nomine sacrificii. 150
II. De definitione sacrificii 151
III. De variis sacrificiorum speciebus. 152
IV. De sacrificii necessitate 153
V. De sacrificiorum institutione 154
VI. De sacrificiorum unitate 156
CAP. II. De existentia sacrificii Missæ. 157
I. De diversis sacrificii eucharistici nominibus 157
II. Annumerantur sacrificio Missæ adversantes 158
III. Asseritur ac probatur dogma catholicum de existentia sacrificii Missæ 159
Prop. In Eucharistiæ confectione, quæ dicitur Missa, verum Deo offertur sacrificium. 159
Solvuntur objectiones 164
IV. Exponuntur theologorum opiniones ad explicandum Missæ sacrificium. 167
CAP. III. De essentia Missæ sacrificii 170
Art. I. De re in sacrificio Missæ essentialiter offerenda . 170
I. Quid sentiant heterodoxi de re in sacrificio Missæ offerenda 170
II. Veritas catholica exponitur ac probatur. 171
Prop Nuda sacrificii crucis repræsentatio ad essentiam sacrificii Missæ, prout a Christo fuit instituta, non sufficit, sed præsentia realis est omnino necessaria. . . . 171

Pag.
ART. II. De actione in qua essentia sacrificii consistit . . 173
I. Enumerantur actiones sacrificii Missæ 173
II. Excluduntur actiones in quibus non consistit essentia sacrificii. 173
III. Indicatur actio in qua consistit sacrificii essentia . . 174
CAP. IV. De effectibus sacrificii Missæ. 175
ART. I. Quos effectus sacrificium Missæ producat. . . . 175
PROP. I. Sacrificium Missæ est propitiatorium. 175
PROP. II. Sacrificium Missæ est impetratorium. 177
ART. II. Quomodo sacrificium Missæ effectus suos producat 177
I. Sacrificium Missæ principalem effectum suum producit *ex opere operato*. 178
II. Quosdam effectus sacrificium Missæ producit immediate, et quosdam mediate. 178
ART. III. Quis sit valor sacrificii Missæ 179
I. De valore sacrificii Missæ in se spectati 179
II. De valore sacrificii Missæ quoad applicationem fructuum 179
CAP. V. De Ministro sacrificii Missæ 181
Quinam sint ministri sacrificii Missæ. 181
ART. I. De obligatione quam habent sacerdotes Missam celebrandi. 182
I. De obligatione celebrandi in genere 182
II. Quandonam celebrare teneantur sacerdotes 182
ART. II. De frequenti celebratione Missæ 184
I. Optimum est frequenter seu potius quotidie celebrare . 184
II. Quibus diebus liceat vel non liceat celebrare 185
III. De iteratione celebrationis in eodem die 186
ART. III. De obligatione applicandi fructus Missæ. . . . 188
I. De obligatione fidelibus applicandi fructum Missæ . . 188
II. De iis qui tenentur ad applicationem fructus Missæ . 190
III. Consectaria ad praxim spectantia 191
ART. IV. De stipendio et obligationibus ex illo nascentibus 193
§ I. De origine et legitimitate stipendii pro Missa . . . 193
I. De origine stipendii et de variis illud solvendi modis . 193
II. De legimitate hujus stipendii 195
§ II. De quantitate stipendii et ejus ad alios transmissione 196
I. De institutione taxæ pro stipendio Missarum 196
II. Regulæ practicæ circa stipendium Missarum 197
§ III. De modo satisfaciendi pro stipendiis acceptis. . . 199
Punctum I. De intentione 199
I. Qua via fit applicatio fructus specialis Missæ 199
II. Quibusnam personis applicari possit aut debeat fructus divini sacrificii 200
III. Qua parte Missæ aut quo ordine applicatio fieri debeat 202
Punctum II. De altari privilegiato 202
I. Quid altare privilegiatum et quibus concessum. . . . 202
II. Præcipuæ regulæ ad Missam spectantes 203
III. Aliæ obligationes ad sacerdotem spectantes 205
Punctum III. De qualitate Missarum. 205
I. Quæ Missa dicenda sit ut satisfiat obligationi ex stipendio accepto 205
II. Quo loco Missa dicenda est 206

Pag.
Punctum IV. De dilatione Missarum. 207
§ IV. De Missis fundatis et earum reductione. 208
I. De missarum fundatione, et fundationum expletione . 208
II. De fundationum reductione. 209
III. De Missarum condonatione. 211
CAP. VI. De iis pro quibus offerri potest divinum sacrificium . 212
§ I. De divino sacrificio pro viventibus oblato. 212
I. De sacrificio oblato pro iis qui sunt de Ecclesia . . . 212
II. An et quomodo liceat sacrificium offerre pro iis qui non sunt de Ecclesia 212
§ II. De divino sacrificio pro mortuis oblato 214
I. De mortuis pro quibus offerendum est Missæ sacrificium. 214
II. De mortuis pro quibus non offertur Missæ sacrificium. 215

APPENDIX.

De regulis liturgicis in celebratione divini sacrificii observandis 216
ART. I. De diversis liturgiis. 217
§ I. De liturgiis orientalibus. 218
II. De liturgiis occidentalibus 220
§ III. De cæteris liturgiis minoris momenti 225
ART. II. De variis liturgiæ nostræ partibus 230
ART. III. De variis Missarum speciebus 261
§ I. Missæ majores et minores 261
II. De Missa publica et privata 262
III. Missa præsanctificatorum. 265
IV. Missa sicca 265
V. Missæ de tempore 266
VI. Missæ de sanctis. 266
VII. Missæ votivæ 267
VIII. Missæ defunctorum 271
§ IX. Missæ sponsalium 274
X. Missæ coram exposito SS. Sacramento 275
ART. IV. De loco ubi Missa celebrari potest 277
§ I. De ecclesiarum origine et forma. 277
II. Consecratio ecclesiarum 280
III. Exsecratio et pollutio ecclesiarum 283
IV. Reconciliatio ecclesiarum. 287
V. Necessitas ecclesiarum 289
VI. Imagines in ecclesiis 292
VII. Reliquiæ sanctorum 294
VIII. Campanæ in ecclesiis 297
§ IX. Aqua benedicta ad ecclesiarum januas 300
ART. V. De altari et ejus ornamentis 303
§ I. De altari in genere 304
II. De altarium consecratione 306
III. De altarium exsecratione et pollutione. 308
IV. De ornamentis altaris 311
ART. VI. De vasis sacris et objectis ad ea attinentibus. . . 317
§ I. Calix et patena 317
II. Ciborium, ostensorium et tabernaculum. 321

Pag.
§ III. Corporalia, pallæ et purificatoria 323
§ IV. Velum calicis, bursa, manutergium, etc 326
Art. VII. De vestibus sacris. 327
§ I. De vestium sacrarum origine et significatione . . . 327
§ II. De necessitate, benedictione et colore vestium sacrarum 331
§ III. De birreto, seu biretto aut bireto 335
§ IV. De dalmatica et tunica, nec non specialibus episcopi paramentis. 336
§ V. De cappa seu pluviali, superpelliceo, etc 338
Art. VIII. De rubricis servandis 340
§ I. De obligatione rubricarum ad Missam spectantium. . 340
§ II. De modis quibus peccari possit contra rubricas in Missa servandas 342
§ III. Quædam observationes in cæremonias et ritus Missæ privatæ 348
§ IV. Observationes ad Missam solemnem vel simpliciter cantatam spectantes. 356
P. I. Processiones 357
P. II. Cantus, musica, organum 358
P. III. Thurificatio 360
Art. IX. De defectibus in Missa occurrentibus 362
Art. X. De interruptione Missæ 364
Art. XI. De hora qua celebrare liceat 365
Art. XII. De præparatione et gratiarum actione celebrantis. 367

TRACTATUS DE POENITENTIA.

Definitio Pœnitentiæ 371
CAP. I. De existentia sacramenti Pœnitentiæ 372
Prop. I. Pœnitentia est verum novæ Legis sacramentum . 373
Prop. II. Pœnitentia est sacramentum a Baptismate prorsus distinctum 377
Prop. III. Sententia absolutionis non tantum declarat peccata esse remissa, sed ea vere remittit. 379
Quæritur 1° an sententia veterum theologorum qui docebant absolutionem sacerdotis esse tantum declaratoriam, sit hæretica 382
Quæritur 2° quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ sacramentum 383
CAP. II. De efficacia sacramenti Pœnitentiæ. 383
Art. I. De remissione omnium peccatorum per pœnitentiæ sacramentum 383
Propositio I. Sacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi omnia peccata etiam graviora post Baptismum commissa 385
Prop. II. Peccata semel remissa per lapsum in novum peccatum non redeunt simpliciter. 389
Art. II. De collatione gratiæ per sacramentum Pœnitentiæ 390
Prop. Gratia specialis producitur in sacramento Pœnitentiæ 390

Pag.
Art. III. De reviviscentia meritorum. 390
Prop. Bona opera, per peccatum mortificata, efficacia sacramenti Pœnitentiæ reviviscunt 391
Quæritur quo gradu reviviscant merita 392
CAP. III. De materia sacramenti Pœnitentiæ. 392
Art. I. De materia remota sacramenti Pœnitentiæ . . . 392
Prop. I. Omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ. 393
Prop. II. Peccata venialia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, sed non necessaria 394
Prop. III. Peccata jam directe remissa sunt materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ. 394
Art. II. De materia proxima sacramenti Pœnitentiæ . . 395
Prop. Tres actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ. . 397
CAP. IV. De singulis materiæ proximæ sacramenti Pœnitentiæ partibus 399
Art. I. De contritione. 400
§ I. De contritione in genere 400
Sectio I. De necessitate contritionis in genere ad justificationem 400
Prop. I. Omni tempore contritio saltem implicita fuit necessaria tum necessitate medii tum necessitate præcepti ad remissionem peccatorum mortalium 401
Prop. II. Peccatum veniale non remittitur sine aliqua contritione. 402
Quæritur quandonam præceptum contritionis obliget . . 403
Sectio II. De dotibus seu qualitatibus contritionis . . . 405
Punctum I. An contritio debeat esse interna 406
Prop. Necesse est ad justificationem ut contritio sit interna 406
Punctum II. An contritio debeat esse supernaturalis . . 406
Prop. Contritio ad justificationem necessaria debet esse supernaturalis, tum ratione principii, tum ratione motivi 406
Punctum III. An contritio debeat esse universalis . . . 407
Prop. Contritio ad justificationem necessaria debet esse universalis quoad peccata mortalia. 408
Punctum IV. An contritio debeat esse summa. 409
Prop. Contritio ad justificationem necessaria, debet esse summa *appretiative*, non vero *intensive*, nec *extensive*. 409
Punctum V. De proposito non peccandi de cætero . . . 412
Prop. Contritio ad justificationem requisita necessario includit propositum non peccandi, saltem mortaliter, de cætero 412
Punctum VI. De modo quo contritio in sacramento Pœnitentiæ adesse debeat 413
§ II. De contritione perfecta. 414
Sectio I. An contritio perfecta hominem Deo semper reconciliet ante sacramentum 415
Prop. Contritio perfecta hominem semper Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur, quamvis sit in gradu infimo 415

Pag.

Sectio II. An contritio perfecta votum sacramenti requirat ad operandum justificationem 418
Sectio III. An contritio perfecta sit dispositio necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ. 419
Prop. Contritio perfecta, ex se justificans, non necessaria est ad sacramentum Pœnitentiæ 419
§ III. De contritione imperfecta 420
Sectio I. An attritio, ex consideratione pœnarum gehennæ concepta, sit honesta 420
Prop. Attritio, ex metu servili gehennæ concepta, honesta est, supernaturalis esse potest, et voluntatem peccandi non includit 421
Sectio II. Qualis attritio requiratur et sufficiat ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ 425
Prop. Ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam aliquis requiritur Dei amor 426
Art. II. De confessione. 428
§ I. De necessitate confessionis. 428
Prop. I. Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post baptisma mortaliter peccaverunt 429
Quæritur 1° quo tempore præceptum divinum confessionis obliget 440
Quæritur 2° utrum confessio ex institutione divina debeat esse publica vel secreta 441
Prop. II. Confessio sacramentalis necessaria est jure ecclesiastico 442
Quæritur 1° quinam præcepto confessionis teneantur . . 443
Quæritur 2° an qui nullius peccati mortalis conscius est, nihilominus præcepto confessionis teneatur 444
Quæritur 3° quandonam et quomodo illud præceptum obliget 445
§ II. De conditionibus confessionis 447
Sectio I. De necessitate integritatis in confessione . . . 448
Punctum I. De integritate quoad numerum, species et circumstantias 448
Prop. Confessio jure divino debet esse integra quoad numerum, species et circumstantias peccatorum saltem mutantes speciem, quantum pœnitens moraliter potest. 449
Punctum II. An peccata dubia sint declaranda. 452
Quæritur 1° an absolutio super peccatum dubium concedi possit 453
Quæritur 2° an pœnitens qui confessus est peccatum ut dubium illud declarare teneatur, si advertat esse certum. 453
Quæritur 3° ad quid teneatur qui bona fide confessus est peccatum, sive mortale, sive veniale, quod non commisit. 453
Punctum III. An peccata jam confessa vel inculpabiliter omissa debeant iterum declarari 454
Quæritur an pœnitens distincte confiteri teneatur peccata jam alias confessario nota. 456
Corollarium. De confessione generali 457
Punctum IV. An invalide aut illicite confiteatur qui confessionem dividit, aut mentitur in confessione. . . . 458

Pag.

Sectio II. De causis excusantibus ab integritate confessionis 460
Prop. Impotentia tum physica tum moralis, ab integritate confessionis excusat. 460
Quæritur an pœnitens qui proprium crimen confessario aperire non potest quin complicem ei manifestet, ab integritate confessionis excusetur 462
Quæritur an sit obligatio confitendi peccatum quod declarari nequit sine infamatione alterius qui non fuit complex, sed occasio peccati. 464
Quæritur an pœnitens possit crimen complicis aut alterius confessario manifestare, si integritas confessionis id non requirat 464
Quæritur an liceat confessario exquirere nomen complicis aut alterius rei 464
Quæritur an confessio sacramentalis scripto fieri possit vel etiam aliquando debeat 465
Quæritur an confessio sacramentalis confessario absenti per litteras fieri possit 466
Quæritur an qui timet ne peccatum mortale e memoria excidat, illud scribere teneatur 467
Art. III. De satisfactione 468
§ I. De necessitate satisfactionis 469
Prop. I. Remissa culpa, non semper remittitur pœna temporalis, sed ordinarie remanet luenda. 469
Prop. II. Homo pœnam temporalem peccato remisso debitam operibus satisfactoriis redimere potest 473
Quæritur an homo pro pœna temporali de condigno satisfacere possit 474
Prop. III. Homo pro pœna temporali satisfacere tenetur . 475
§ II. De impositione satisfactionis sacramentalis 477
Sectio I. An confessarius teneatur aliquam imponere pœnitentiam 477
Prop. Confessarius satisfactionem seu pœnitentiam peccatis proportionatam regulariter imponere tenetur. . . 477
Quæritur an confessarius teneatur sub gravi injungere pœnitentiam pro venialibus aut gravibus jam remissis, supposito quod absolutionem concedat 478
Sectio II. De quantitate et qualitate pœnitentiæ a confessario injungendæ. 478
Quæritur an confessarius possit imponere pœnitentiam gravem sub levi pro peccatis mortalibus 485
Sectio III. Quænam opera pro satisfactione injungere possit confessarius 485
Quæritur an bona opera pœnitentis, etiam non imposita, per verba confessarii, *quidquid boni feceris et mali sustinueris*, ad effectum pœnitentiæ sacramentalis eleventur. 487
Sectio IV. An et quomodo possit confessarius commutare pœnitentiam a se vel ab alio impositam 488
§ III. De obligatione accipiendi et adimplendi pœnitentiam 489
Quæritur 1° quo tempore implenda sit pœnitentia . . . 491
Quæritur 2° quænam sint conditiones quibuscum pœnitentia impleri debeat 492

Pag.
Quæritur 3° an unus pro altero satisfacere possit . . . 493
Quæritur 4° Quomodo impleri debeat pœnitentia quoad circumstantias a confessario pœnitentiæ adjunctas . . 494
CAP. V. De forma sacramenti Pœnitentiæ 494
ART. I. Quæ sit forma sacramenti Pœnitentiæ. 495
Quæritur 1° quænam verba sint essentialia. 496
Quæritur 2° an absolutio sub forma æquivalenti prolata, v. g., *Condono, remitto tibi peccata tua,* etc., sit valida. 497
Quæritur 3° an forma absolutionis ita essentialiter consistat in verbis ore prolatis, ut scriptura vel nutus non sufficiat. 497
Quæritur 4° an forma sub conditione prolata sit valida et licita. 497
ART. II. An forma deprecatoria sit valida 499
PROP. Probabilius est formam pure deprecatoriam ad validitatem sacramenti non sufficere. 499
CAP. VI. De ministro sacramenti Pœnitentiæ 501
ART. I. De charactere in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisito 502
PROP. Solus sacerdos minister est sacramenti Pœnitentiæ . 502
ART. II. De jurisdictione ministro sacramenti Pœnitentiæ necessaria 505
§ I. An jurisdictio sit necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ valide administrandum 506
PROP. Præter ordinis potestatem, necessaria est jurisdictio in sacerdote ut valide absolvat 506
§ II. De jurisdictione ordinaria. 507
§ III. De jurisdictione delegata. 510
Quæritur 1° an quidam habeant a jure facultatem confessarium sibi eligendi. 511
Quæritur 2° an delegatus alium subdelegare possit . . . 512
Quæritur quamdiu duret jurisdictio delegata 514
§ IV. An qui ex errore communi pro pastoribus ordinariis vel pro delegatis habentur, valide absolvere possint . . 515
Quæritur 1° an ex solo errore communi, sine titulo, Ecclesia suppleat jurisdictionem 517
Quæritur 2° an liceat uti jurisdictione probabili in personas vel in peccata 517
§ V. Quinam a peccatis reservatis absolvere possint. . . 518
PROP. I. Summus Pontifex et episcopi jus habent quosdam sibi reservandi casus. 519
PROP. II. Extra mortis articulum vel probabile ejus periculum, solus superior cui casus reservantur, vel ipsius delegati, ab eis valide absolvere possunt 522
§ VI. De jurisdictione in articulo mortis 525
Quæritur an simplex sacerdos, præsente approbato, moribundum in articulo mortis absolvere possit 526
§ VII. De approbatione 527
Quæritur 1° an pro audiendis confessionibus monialium specialis requiratur approbatio episcopi 529
Quæritur 2° an capellani militum seu missionarii castrenses approbatione episcoporum indigeant 530
ART. III. De obligationibus confessarii 531

Pag.

§ I. De obligationibus confessarii quæ spectant confessionem 531
Sectio I. De probitate in confessario necessaria 532
Sectio II. De scientia in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisita 533
Quæritur an confessarius distinctam habere debeat singulorum peccatorum notitiam 535
Sectio III. De prudentia in confessario requisita 536
Sectio IV. De obligatione audiendi confessiones 537
Quæritur an in penuria confessariorum simplices sacerdotes possint tuta conscientia munus confessarii repellere, cum illud exercere queunt. 538
Sectio V. De obligatione interrogandi pœnitentes. . . . 539
Quæritur quid agere debeat confessarius qui novit peccatum quod pœnitens non accusat. 543
Sectio VI. De obligatione monendi et erudiendi ignorantes. 544
Quæritur quid agendum sit erga senes, hebetes et rudes, qui mysteria necessitate medii necessaria discere aut retinere non possunt. 545
Quæritur an confessarius absolvere possit pœnitentem quem videt sequi opinionem minus tutam et minus probabilem. 548
Sectio VII. De obligatione quam habet confessarius dignoscendi et procurandi contritionem in pœnitente. . . 548
§ II. De obligationibus confessarii quæ spectant ad absolutionem. 550
Sectio I. De generali obligatione confessarii in danda aut differenda absolutione. 550
Sectio II. De agendi ratione confessarii erga eos qui ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem tenentur. 553
Sectio III. De agendi ratione confessarii erga eos qui versantur in occasione peccandi. 554
Sectio IV. De agendi ratione confessarii erga consuetudinarios et recidivos. 558
Prop. Peccator pluries absolutus et cum eodem habitu pravo rediens, absolvi non potest, extra necessitatem, nisi extraordinaria det signa conversionis 559
Quæritur 1° quanto tempore probandus sit consuetudinarius recidivus, ut tuto absolvi possit. 562
Quæritur 2° quid sentiendum sit de iis hominibus qui in Quadragesima tantum confiteri volunt, et quotannis eadem referunt peccata mortalia. 563
Quæritur 3° quandonam confessiones recidivorum iterandæ sint. 563
Sectio V. De agendi ratione confessarii erga eos qui peccata sua negant. 564
Sectio VI. De agendi ratione confessarii erga moribundos. 565
Sectio VII. De agendi ratione confessarii erga scrupulosos 568
Sectio VIII. De agendi ratione confessarii erga personas devotas. 571
Sectio IX. De agendi ratione confessarii erga eos quos male absolvit. 573

Pag.

§ III. De obligationibus confessarii quæ spectant ad sigillum. 574
Sectio I. De obligatione servandi sigillum. 574
Prop. Strictissima est obligatio inviolabiliter servandi sigillum confessionis. 574
Quæritur ex qua confessione oriatur obligatio sigilli. . . 576
Sectio II. De iis quæ sub sigillo cadunt. 577
Sectio III. De iis qui ad sigillum obligantur. 579
Quæritur 1° an ipse pœnitens obligatione sigilli teneatur. 580
Quæritur 2° an confessarius quandoque loqui possit cum pœnitente de ipsius confessione. 580
Quæritur 3° an confessarius aliquando uti possit notitia ex confessione accepta. 580

APPENDIX

DE PURGATORIO ET INDULGENTIIS.

CAP. I. De purgatorio. 581
Prop. Existit purgatorium. 582
Quæritur 1° quæ sit natura pœnarum in purgatorio luendarum. 585
Quæritur 2° ubinam sit purgatorium. 586
Quæritur 3° quanto tempore animæ justorum in purgatorio detineantur. 586
Quæritur 4° an animæ in purgatorio detentæ, certæ sint de salute suâ. 587
Quæritur 5° an animæ in purgatorio orare possint. . . 587
Quæritur 6° an animæ in purgatorio detentæ, suffragiis vivorum adjuvari possint. 587
CAP. II. De indulgentiis. 588
Art. I. De potestate Ecclesiæ concedendi indulgentias. . 589
Prop. Existit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias. 589
Art. II. De iis qui habent potestatem concedendi indulgentias. 591
Art. III. De causis ob quas licet concedere indulgentias. 592
Art. IV. De natura indulgentiarum. 593
Art. V. De thesauro indulgentiarum. 594
Art. VI. De efficacia indulgentiarum. 595
I. De efficacia indulgentiarum respectu vivorum. . . . 595
II. De efficacia indulgentiarum respectu mortuorum. . . 597
Quæritur quid necessarium sit ut indulgentia applicari possit defunctis. 598
Art. VII. De conditionibus ad lucrandas indulgentias requisitis. 599

TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

Definitio Extremæ-Unctionis. 603
CAP. I. De existentia sacramenti Extremæ-Unctionis. . . . 603

Pag.

Prop. Extrema-Unctio est sacramentum novæ Legis proprie dictum. 604
CAP. II. De materia Extremæ-Unctionis. 606
Art I. De materia remota. 606
Art. II. De materia proxima Extremæ-Unctionis. . . . 609
CAP. III. De forma sacramenti Extremæ-Unctionis. 612
CAP. IV. De ministro Extremæ-Unctionis. 614
CAP. V. De Extremæ-Unctionis effectibus. 616
CAP. VI. De Extremæ-Unctionis necessitate. 618
Quæritur 1° an et quando sacramentum Extremæ-Unctionis iterari possit. 620
Quæritur 2° an Extrema-Unctio iteranda esset si ægrotus eam cum malis dispositionibus suscepisset. 620
CAP. VII. De subjecto Extremæ-Unctionis. 621
Art. I. De iis quibus administrari potest Extrema-Unctio. 621
Art. II. De dispositionibus ad suscipiendam Extremam-Unctionem requisitis. 623
Art. III. De iis quibus neganda est Extrema-Unctio. . . 624
Art. IV. De ordine inter sacrum Viaticum et Extremam-Unctionem. 625
CAP. VIII. De ritibus sacramenti Extremæ-Unctionis. . . . 627
Appendix. De sepultura ecclesiastica. 628

EXPLICIT TOMUS TERTIUS.

Besançon. — Imprimerie d'Outhenin Chalandre fils.

208.9
B 669
#793
BOUVIER
AUTHOR
Institutiones Theologic III
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
793
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY CA 94709